1-36, Leipzig 1752-1794
Mgl. Bd. 37 (alding gehüttet)

Ca 29 II

+ Acat. Suppl. 1-2 of 4
+ Index triplex II of 3.
Kirchner 1033

Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of
an Anonymous Friend
of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS I. PARS I.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
MDCCLII.

[library stamp]

QH
7
C66
V.1
SCNHRB

Inſtituti Ratio.

Qui in ſcientiis et artibus pertractandis et elaborandis verſantur, ii omnino, ne taedioſiſſimos per ſe labores incaſſum ſuſcipiant, neque in rebus, quae ab aliis iam ad aliquem perfectionis gradum deductae fuerunt, diu multumque deſudent, ſcripta et inuenta aliorum auctorum attento examinare coguntur animo; id, quod cum noſtro nunc tempore in omni ſcientiarum et artium ambitu nihil ferme intactum relinquatur, ſolertiſſimi potius viri in diſquirendis non ſolum doctrinarum elementis, ſed et in omnibus iis, quae tanquam adminicula ſcientiarum conſiderari poſſunt, diſciplinis haud exiguam ſtudii partem collocent, neceſſarium admodum eſſe videtur.

Haec vero rerum, ab aliis iam peractarum, conſideratio in artis ſalutaris ſtudio prae reliquis adhibenda erat. Scientia enim naturalis, quam medica ars tanquam ſuae cognitionis fundamentum agnoſcit, id exigit, ut innumerae prius experientiae colligantur, quam generales quaſdam propoſitiones ex iis, ſtudioſe inter ſe com-

paratis, efformare et principia medicinae indubitata ſtabilire tentemus. Ars ſalutaris, per ſe conſiderata, effectus et mutationes corporis humani attendit, diiudicat, dirigit et mutat. Nec naturales tantum ſani corporis, ſed praeternaturales quoque et in morbis occurrentes, eius affectiones ſcrutinium medici exigunt, qui inde ad cauſas deuenit, quae vel in ipſo corpore haerent, vel ex aliis, in noſtrum corpus agentibus, rebus petendae ſunt, et ita, moderando aut abigendo cauſas atque effectus, ſani aeque ac aegrotantis hominis, curam gerentis medici officium explet. Ampliſsimum itaque rerum diſquirendarum campum, in quo vires ſuas exercere, et rerum cognoſcendarum fundamenta inueſtigare poſsit, medico patere, totum tamen ſtudii ambitum non perfici, nec, niſi ſingulae, ad totius perfectionem conſpirantes, partes ſumma cum cura examinentur, ultimum medicinae finem attingi poſſe, ex antea dictis intelligitur.

Ipſa haec rerum conſiderandarum copia tantas in ſtudio medico, feliciter pertractando, parit difficultates, ut plurimi inde a laboribus ſuſcipiendis vel prorſus detineantur, vel particulae tantum, ex medicis diſciplinis abruptae, operam adhibentes verum medici nomen non tueantur. Illi enim ex cognitione ſpeciali morborum, memoria tantum adiuti, remedia uſitata addiſcunt, et ea, neceſsitate urgente, applicantes empirici ſunt, et naturalium cauſarum ſcrutinium prorſus contemnunt. Hi contra, cum doctrinarum medicarum nexum vel ignorent, vel per omnem medicinae ambitum, ob virium tenuitatem, exſpatiari nequeant, eam ſaepius vix inueniunt viam, quae ad curandam ciuium ſalutem directa eſt, theoreticis potius ſubtilitatibus implicati,

plicati, quae in medicina facienda nullo modo adhiberi poſſint, in ſinu ſuo fouent ſententias.

Licet vero phyſiologia, pathologia et therapia, principes medicinae partes, quibus diaetetica, ſemiotica et chirurgia apte interponi iungique poſſint, appellari mereantur, praeter linguarum tamen atque philoſophiae ſtudium, quae, cum omnibus reliquis quoque ſcientiis praemitti debeant, noſtram in praeſenti attentionem non poſtulant, permultae adhuc aliae et ad medicinam preſſius ſpectantes, diſciplinae in rerum, a medico tractandarum, catalogo ſuum ſibi vindicant locum. Sic phyſica corporum naturalium cognitio, matheſeos ope perfectior reddita; hiſtoria naturalis in tribus naturae regnis ampliſſima; diſſectio corporis humani ſani aeque ac morboſi, et plurium animalium comparatiua anatome; ſelectus remediorum ex tanta corporum naturalium copia in materia medica inſtituendus; chemia, quae mixtiones corporum naturalium euoluit, et pharmacia, quae medicamentorum praeparationem declarat, in accurata atque perfecta artis ſalutaris tractatione ſtudioſe inueſtiganda ſunt. Omnes itaque, qui medicinam tanquam objectum laborum ſibi eligunt, tunc demum in ea colenda atque perficienda rite progrediuntur, ſi in omnibus nunc indicatis partibus anteceſſorum veſtigiis inſiſtunt, in perpenſis eorum ſententiis alia corrigunt, alia iisdem addunt, et ita ſinguli eorum ad ſtudii medici incrementum atque perfectionem ſuam quoque ſymbolam conferunt.

In tanta namque rerum diſquirendarum varietate, unita eruditorum opera et conſpirantes

eorum labores requiruntur, ſi alias de perpolienda et illuſtranda medica ſcientia cogitare velimus. Conditae hanc ob cauſam in cultioribus Europae prouinciis perſpiciuntur ſocietates permultae, quae in tractandis phyſico medicis argumentis occupatae, feliciter, quod libri earum teſtantur, in adiuuanda et emendanda ſalutari arte laborarunt. Praeclara vero eiuſmodi exempla nonnullis ex Lipſienſibus Doctoribus et Profeſſoribus incitamento fuerunt, qui, cum in perantiqua hac muſarum ſede, in qua, praeter ſcientiarum culturam, commercia quoque, quae literas iuuant, optime florent, de incremento artis ſalutaris, per mutuam eruditorum diligentiam curando, omnium optime cogitari poſſe intelligerent, ab aliquo iam tempore ineundae ſocietatis medicae conſilium ceperunt, et faciendo inter ea, aut docendo medicinam colere ſuſceperunt, nonnulla inſuper ſcripta et ſchediaſmata, pro ratione exigui, quod hominibus, de ciuium ſanitate ſollicitis, conceſſum eſt, literarii otii publicarunt. In omnibus hiſce negotiis fideliter peragendis, tam generalem, quam ſpecialem noſtri aeui medicinae hiſtoriam non utilem tantum, ſed neceſſariam magis eſſe cognouerunt, quam, cum ſinguli condere non poſſent, coniunctis viribus conficere allaborarunt. Grato itaque amicitiae vinculo diu iam iuncti, ſaepius nunc ſunt congreſſi, et ea, quae in medicis doctrinis acta ipſis innoteſcebant, mutuo auxilio diſquiſiuerunt; hinc omnia, quae vel in libris ipſis, vel in diariis eruditorum, in quibus ſcripta medicorum recenſentur et diiudicantur, notatu digna occurrunt momenta, ſtrenue collegerunt, ſibi inuicem communicarunt, et unita opera examinarunt, quo quilibet ea, quae maxime ſibi conuenire viderentur, ſpeciatim annotaret, et

omnes

omnes inſimul hiſtoriae medicinae recentis cognitionem generalem acquirerent.

Primis equidem huius inſtituti temporibus nullam ſeruabamus ordinis atque ſermonis rationem, cuilibet potius erat relicta poteſtas, ea ex dictis in ſuos uſus conuertendi, quae ad diſciplinam, in qua potiſſimum excolenda occupatus erat, pertinere ipſi videbantur, paulo poſt vero librorum breues recenſiones cum iudiciis aptis et obſeruationes varias de inuentis nouis medicis, vel in ſcriptis publicis pasſim expoſitas, vel literis amicorum, cum quibus nobis commercium intercedebat, inſertas, fata quoque medicorum in muneribus academicis ſuſceptis et permutatis, conſcriptas tandem demortuorum medicorum vitas collegimus, ita vero, quo rectius cuncta peragi, nec quicquam notatu dignum noſtram attentionem praeterire poſſet, laborem, quem operoſum eſſe cognoſcebamus, ſumus partiti, ut factis quaſi rerum medicarum capitibus, quilibet eam potisſimum ſibi ſumeret partem, eaque colligeret atque examinaret, quibus pro ſtudiorum ratione maxime delectabatur.

Licet autem a primo huius inſtituti exortu is tantum nobis propoſitus fuerit finis, ut mutuis hiſce laboribus et nobis ipſis et amicis, cum quibus literaria colebamus commercia, utiles eſſemus, deinde tamen, cum res accuratius perageretur, a rei medicae commodis alienum non fore monebant ſociorum nonnulli, ſi hi, qui omnem medicinae hiſtoriam concernunt, commentarii colligerentur, et cum harum rerum amatoribus communicarentur. Fuerunt interim, quae huius conſilii executionem impediuerunt, nunc demum remota, obſtacula.

Ipſa certe rerum medicarum huc uſque tradita hiſtoria, huius diarii editionem exigere videbatur. Cum enim, qui medico phyſica argumenta tractant libri, rarius, et ab auctoribus harum rerum vel prorſus inſciis, vel leuiter tantum iiſdem imbutis, recenſeantur; pauci praeter ea, medica tantum commemoranda ſibi ſumant, medicorum, cum quibus literarium nobis eſt commercium, nonnulli, laboris huc uſque a nobis ſuſcepti ex parte ignari, id ſaepius in datis ad nos literis, exoptabant, ut, cum amplos librorum theſauros condere ipſis, in praxi tantum medica occupatis, et iis ita, ut decet, uti non liceret, commentarii extarent, in quibus, quae rem medicam attinent, ſeparata a reliquis deſcriberentur. Nonnulli eorum artis iam noſtrae incrementa commode et breui quidem labore perſpici poſſe putabant, ſi titulos librorum, accurate exſcriptos, et breuia de illis iudicia notata, ea praeter ea, quae in diariis nouisque literariis diſperſa reperiuntur, in unum collecta haberent. Hac methodo conſcripta medicinae hiſtoria, quae manca ſemper, nec utilis ſatis nobis eſſe videtur, cum exoptaretur, id demum effecit, ut noſtris et nonnullis amicorum uſibus dicatum laborem aliis quoque publice conſecrare, et num exteris quoque ille placeret, experiri velle apud nos conſtitueremus, in id potisſimum allaboraturi, ut quae ad illuſtrandam huius aeui medicinae hiſtoriam ullo modo pertinere videntur, in volumina, per partes edenda, colligamus, et in iis conficiendis eo uſque progrediamur, quo, pro loci et temporis ratione noſtraque in rebus medicis peritia, aſpirare licebit.

Vt vero intelligant Lectores, quaenam in commentariis noſtris locum inueniunt, limites labo-

laborum noſtrorum quodam modo definiendi ſunt. Arctisſimus ſane medicam inter et naturalem ſcientiam obſeruatur nexus, qui nobis ut medicis, de rebus, ad artem noſtram pertinentibus, ſollicitis, ad phyſicam quoque oculum ut dirigamus iniungit. Dum enim ſalutarem artem, in quantum illa ſanitatis conſeruationem et corporis aegrotantis curam intendit, conſideramus, eam equidem, veluti ſcientiae naturalis partem, ex reliquo doctrinae nexu deſumtam, tractamus, et eas peculiari ſtudio colimus diſciplinas, quae propius ad medicinam facientes, ex naturalis ſcientiae ambitu deſumtae, medicis in primis relinquendae ſunt, et a phyſices cultoribus nobis etiam conceduntur. Inter ea tamen reliquae etiam hiſtoriae naturalis partes noſtram attentionem merentur, quippe quae, quod pleraque ſic dicta naturalia corpora in hominem ſuo modo agunt, et vitae integritatem vel iuuant, vel deſtruunt, notabilem cuncta cum medicina habent affinitatem. Ex phyſicis itaque omnibus, in noſtris commentariis locus ſuo iure manebit, doctrinis, quae artem noſtram tam ornant, quam explicant atque illuſtrant.

De medicis vero aeque ac phyſicis huius generis argumentis omnium optime nos acturos eſſe putamus, ſi maioris non tantum molis libros, ſed diſſertationes quoque, programmata et ſchediaſmata examinemus, tractationes praeter ea, quae ad indicatas antea claſſes pertinent, ex variis quibuscunque collectionibus atque diariis eruditis conquiramus, et diſſerentes de ſingulis, completam, quoad fieri poteſt, recentioris medicinae hiſtoriam conficiamus. Praefixum hunc nobis finem, quo aſſequi valeamus, omnes iam dudum de eo fuimus ſolliciti, ut bibliothecam,

commodis noſtris inſeruientem, colligeremus, cuius etiam augmentum in noſtri nunc inſtituti uſum ſollicite curabimus. Licet enim ſuſcepta hac ratione librorum collectio haud exiguos ſumtus exigat, nobis tamen, quod ſtudiorum varietas, uni hos, illi alios, omnes tamen ad medicam artem pertinentes, libros neceſſarios reddit, onerosa valde illa eſſe non poterit, ut inde in diiudicandis auctorum ſententiis, non aliorum iniquis ſaepius iudiciis inſiſtere cogamur, ſed cuncta eo, quo fieri debet, ſtudio examinata, ex ipſis ſcriptis confirmare valeamus.

Quoniam vero, ſi numeroſam medicorum eruditorum, in Europa degentium, ſeriem penſitamus, omnes eorum libros colligere, et ex ampliſſimo eorum, qui ad noſtras manus perueniunt, apparatu, ſingulos copioſa oratione proſequi, impoſſibile vere eſſe cognouimus, ita rem noſtram peragendi cepimus conſilium, ut in omni horum commentariorum volumine ab anno huius ſeculi quinquageſimo incipientes, de permultis eorum referamus, reliquos vero, qui ex omni medica doctrina nobis innotuerunt libros, in catalogum ſollicite redigamus, eumque prioribus adiungamus.

In ipſis vero illis, de quibus dicemus, libris ſeligendis maxima nobis difficultas poſita eſſe videtur; cum enim omnibus ſua placeant, quilibet a nobis id etiam exiget, ut ſui quoque ſcripti uberiorem mentionem iniiciamus. Id quod, cum fieri non poſſe ipſi probe perſpiciamus, illos, qui ampliorem librorum ſuorum recenſionem in noſtris commentariis non inueniunt, in limine ſtatim, ut perpendant, rogamus, nos, vel librum eorum non poſſidere, vel ſolum operis titulum ad contenta in eo indicanda ſufficientem

habere,

habere, vel ob alias ſonticas et honorificas etiam ipſis ſaepius auctoribus rationes, uberiorem ſcripti recenſionem, tradere noluiſſe. Prae reliquis eximios, et in rei medicae adiumentum euulgatos, lectorum attentione dignos, libros paulo copioſius enumerandos eſſe cenſemus, licet interdum leuioris quoque momenti tractatus indicare, ne titulo decipiantur emtores, ſed, quid de iis ſtatuendum ſit, ſciant, a re noſtra prorſus alienum non eſſe arbitremur. Eos, quos caſu aliquando tacemus, auctores, non mala inde nota inſignire nos velle putandum eſt; quod ſi enim in hoc laboris principio, quo numeroſa admodum eſt librorum commemorandorum ſeries, non omnibus ſatis facere queamus, in poſterum tamen, ſi tantus, expoſitis reliquis, eorum apparatus ad manus non eſt, id ſemper efficiemus, quo neminem auctorum ſileamus, aut praetermiſſos ſubſequentibus commentariorum voluminibus inſeramus.

Methodum porro commemorandis libris adhibendam quod attinet, variam eam, pro illorum diuerſitate, eſſe debere, quilibet ſtatim intelligit. Cum enim auctorum nonnulli omnem doctrinae, in qua laborant, ambitum emetiantur et eo ordine cuncta proponant, quo in ſyſtematibus conficiendis uti nos decet, acri in ſingulis ſtudio laborantes; alii contra hiſtorici magis, quam ſtrenui indagatoris officium ſuſcipientes, in aliorum ſententiis et obſeruationibus colligendis ordinandisque ſint occupati; alii denique, eorum veſtigiis inſiſtentes, aliquam medicinae partem perficere ſtudeant, non omnibus unam eandemque adhiberi poſſe regulam ſponte ſua pateſcit. Noſtrum itaque, in variis his et diuerſimode compoſitis libris recenſendis, eſſe putamus,

mus,

mus, ut ipſam, in ſingulis eorum, inſtituti rationem tradamus, modum deinde, quo auctor in pertractanda materie uſus eſt, in ſpecimine ſaltim, ſi fieri poteſt, indicemus, noua porro, ſi quae ab eo prolata, aut recedentem ab aliorum more veritatis demonſtrationem ulterioremque eius confirmationem inuenimus, fideliter commemoremus, noſtram denique et recenſitis huc usque momentis ſuperſtructam ſententiam, de ipſo, quod indicamus, opere libere profiteamur.

Non leuis equidem circa iudicia, de libris exponenda, animis noſtris ſe ſiſtit difficultas. Sunt, qui ab omni errore alienos ſe credunt, et, dum libros diuulgant, ne leuem quidem commiſſi erroris notam, nedum diſſenſum aliorum, aequo ferunt animo: Alii non laudes tantum, quas promeruerunt, ſed inſignia et verborum blandimentis referta elogia exigunt: alii denique viliſſima quoque ſcripta, immaturos ſui laboris fructus, a diariorum auctoribus laudari cupiunt. His omnibus nos placere non poſſe, licet praeuideamus, veritatem tamen, per logicas regulas bonitatem librorum inueſtigantes, profiteri nulli unquam dubitabimus. Abſint elogia vana, adulationis pleniſſima, abſint e contra contumelioſae vituperationes, nos ea aliis praeſtare intendimus officia, quae ab illis iterum expectamus, ex aequitatis atque humanitatis natura fluentia. Quilibet auctor pro ſuo modulo in amplificandis ſcientiis laborat, qui optima quaeuis præſtiterunt, aſſenſum merentur et commendationem, qui optimum laboris ſcopum ſibi non poſuerunt, vel praefixum eundem non attigerunt, ne ſe multum praeſtitiſſe credant, in quo a recta via aberrauerint, certiores reddendi

ſunt.

ſunt. Licet etiam, omne ſtudium omnemque operam in veritate inueſtiganda et propalanda adhibituros nos eſſe, ſpondeamus, ipſi tamen, aliquando humani quid pati nos poſſe, iam praeuidemus, hinc commiſſos a nobis errores, meliora edocti, indicare atque corrigere, decere nos magis, quam turpem rem agere putabimus.

Praeter librorum recenſiones alia adhuc, quae praeſentem medicinae conditionem concernunt, a nobis praetermittenda non ſunt. Vniuerſitatum namque et academiarum, aeque ac medico chirurgicorum, in quibus iuniores inſtituuntur, collegiorum flos et incrementum, cum ex doctorum ſuſceptis laboribus diiudicetur et profeſſorum et doctorum, in medica potisſimum arte pertractanda clarorum virorum, catalogi exhibendi, reliquaque, quae illuſtres reddunt academias, inſtituta, horti nimirum botanici, laboratoria chemica, theatra tandem anatomica commemoranda erunt. In eruditis porro ſocietatibus deſcribendis, noſtra verſabitur diligentia, in iis potisſimum, quorum membra non docendo, ſed meditando tantum et tentamina phyſico medica inſtituendo, vitae ſuae partem tranſigunt et utiles ſuos labores publici iuris facientes, ſcientiarum culturam coniunctis viribus perficiunt. Indicandum praeter ea erit, ſi qui eruditorum medicorum publice docendi munus ſubeunt, ſocietatibus eruditis adſcribuntur, officia publica mutant, et ex quadam academia in alteram abeunt, quando illi e vivis excedunt, vel aliam quandam felicem aut minus felicem, quae cum ſcientiarum cultura aliquem nexum habet, experiuntur vitae vicisſitudinem.

Non tantum vero in academiis et ſocietatibus eruditis augmentum ſcientiarum curatur,

ſaepius

ſaepius etiam priuati, et in otio quaſi degentes, eruditi unam alteramque medicinae et naturalis hiſtoriae partem ſummo cum ſtudio feliciter haud raro pertractant. Horum equidem labores, prius quam libri, ab iis confecti et euulgati, a nobis recenſeantur, indicare non poſſumus. Inter ea tamen, ſi quidam ex illis, in ſuſceptis laboribus de libris, obſeruationibus, nouis inuentis aliorum, et huius generis ſimilibus momentis, eruditorum ſententiam atque auxilium exigant, eorum etiam quaeſtiones aeque ac aliorum ad illas reſponſiones, dum modo breuitate utraeque ſeſe commendent, locum in noſtris his commentariis obtinebunt.

In deſcribendis phyſicorum et medicorum defunctorum vitis eam ſequemur regulam, ut ex ampla eorundem ſerie, reliquis tantum nominatis, illos praecipue, qui in ſcientiis ipſis excolendis cum laude verſati ſunt, elogio, vitae ſummam in ſe continente, poſteritati commendemus. Quam ob rem ab aliis eruditis id omnino petimus, ut amicorum ſuorum vitas nobiſcum communicent, ne tamen oneroſum ipſis iniungere videamur officium, non longas recenſiones ab iis exigimus, ſed, ut ex vitae curriculo ea tantum colligant, quae hiſtoriam medicinae illuſtrant, maximopere rogamus. Ex his primarium nobis eſſe videtur, ut confecti a claris viris libri ſedulo annotentur, quod quidem optimo inſtituto in quibusdam programmatibus academicis fieri ſolet, interdum tamen, cum magno hiſtoriae literariae detrimento, prorſus negligitur. De moribus equidem et animi ingeniique dotibus in clarorum virorum elogiis plerumque et recte quidem refertur, nos tamen, cum pius erga defunctos amor, adulatio ſaepe, eorum tantum virtutes

tutes enumeret, vitia vero ſileat, morum praeter ea notae eruditionem ipſam non doceant, in reliquis recenſendis parciores, de iis tantum dicemus, quas ſuis ipſi libris impreſſas, ut optimum vitae bene peractae teſtimonium, reliquerunt viri poſt fata in iis ſuperſtites.

Supereſt, ut normam, quam in concinnandis his commentariis nobis propoſuimus, ipſam nunc indicemus. Latino, ut communi omnibus eruditis, ſermone in iis conſcribendis utemur, vix unum ex eruditis, cuius applauſum promereri cupimus, inueniri opinantes, qui linguae latinae culturam contemſerit prorſus atque neglexerit. Licet enim in variis Europae prouinciis nonnulli reperiantur ſcriptores, qui patriae vel alii linguae inſigniter faueant, et eam ſolam ad proponendas eruditorum meditationes aptam iudicent, omnium optime tamen linguam latinam, prae reliquis nunc uſitatis, ut uſu receptam adhiberi poſſe, vix diſſentientes nos habituros eſſe putamus cordatiores. Nec chirurgorum aut pharmacopolarum cauſa ab hacce regula recedere potuimus. Praeter enim, quod illi, diuerſarum nationum artifices, peculiari quodam iisque communi ſermonis idiomate non utantur, praeſtantisſimos etiam ex iis ſcientiis inſimul delectari, literariam ſuae artis hiſtoriam attendere, et latini ſermonis non prorſus ignaros eſſe videmus.

Neque varietatem orationis, quam ob diuerſos, qui hic exponunt, auctores euitare non potuimus, vitio quemquam nobis daturum eſſe ſperamus, idque, ne contingat, eo confidentius nobis perſuademus, quo minus incommodi atque dedecoris rei noſtrae inde accedit. In id tamen ſedu-

ſedulo allaborabimus, quo, cum ſtili elegantiam in ſcripto hiſtorico affectare non liceat, perſpicuitate potiſſimum et puritate ſermonis lectoribus placeamus.

Dabimus vero, tertio quouis menſe elapſo, laborum noſtrorum, duodecim circiter plagulis circumſcriptam, partem, ita, ut volumen ex quatuor eiuſmodi partibus compoſitum, una cum indicibus aptis intra annum compareat, curamque habebimus, ut bibliopola nitore et characterum puritate id praeſtet, quod libris plerumque haud leuem commendationem conciliat.

Omnem vero medicinae et illas ſcientiae et hiſtoriae naturalis partes, quae cum ſalutari arte affinitatem alunt, in commentariis noſtris, dum pertractare animus eſt, ex iis, ſi forte nonnulla, et ea quidem notabiliora momenta, ob rei peragendae amplitudinem interdum praetermittamus intacta, facilem nos inuenturos ſperamus Lectorum beneuolentiam; moniti namque id ſumus acturi, ut praeteruiſa ſequentibus ſtatim voluminibus inſeramus, vel, ſi forte rerum indicandarum copia obruamur, quadripartitis commentariorum voluminibus ſupplementa addamus et completam inde noſtri aeui medicam hiſtoriam, quantum fieri poteſt, conficiamus.

Si qui itaque eorum, qui naturalem aut medicam ſcientiam tractant, iuſta quaedam de laboribus noſtris monita aut literaria noua, pro aequo in artem, quam colunt, amore, nobiſcum communicare velint, eos perhumaniter rogatos habemus, velint proximis, quos ſciunt, bibliopolis ad officinam librariam Gleditſchianam, quae multum cum exteris habet commercii,

trans-

tranſmittendas committere ad nos pertinentes literas, vel ſi haec via minus commoda ipſis videatur, literas ipſas quauis data occaſione ad Chriſtianum Gottlieb Ludwig, Doctorem et Profeſſorem medicinae Lipſienſem, dirigere. Quamuis autem ſumtibus, ad operis ſuſcepti perfectionem impendendis, neutiquam parcamus, ea tamen, quae noſtrum non tangunt inſtitutum, publice deprecamur commercia. Ita enim gerendis, circa varia medicinae dogmata, eruditis bellis dirimendisque actis iam controuerſiis, commentarios noſtros dicatos non eſſe, nunc praemonemus. Breuiores, quae locum forte in iis habere poſſent, annotationes, litem, de rebus ardui momenti et diſquiſitione dignis motam, non abſoluunt, friuolae vero et vehementius agitatae altercationes praeter id, quod nihil adiumenti veritati praebeant, ſaepius etiam ipſis auctoribus moleſtae, ſupprimendae magis quam publici iuris faciendae ſunt. Nec confectas de libris, ad rem noſtram pertinentibus, recenſiones in iis admittimus, neque demum libri, honorificae enumerationis cauſa ad nos tranſmiſſi, eo nos adigent, ut, turpi lucri aut fauoris captandi conſilio ducti, ea de iis praedicemus, quae veritati et aequitati, noſtro denique in commemorandis libris iudicio, contrariari tantum videntur.

Ad primum hoc, cui praefamur, quod attinet ſpecimen, illud equidem non ex omni parte perfectum, velut rerum proponendarum exemplar, cum lectoribus noſtris communicamus, varia potius in eo nobis ipſis iam innoteſcunt, in ſequentibus demum faſciculis perficienda momenta. Ita enim ad libros in eo commemoratos ſi ſpectes, illos, ut quinquageſimo huius ſeculi anno iam

diuulgatos ad medicinam recentiorem referendos non eſſe opinari quis poſſet. Sed cum ab illa, quam nobis poſuimus, ſupra iam indicata regula ob ſonticas cauſas recedere nequeamus, praeter catalogum, nonnullos ſaltim, ad quinquageſimum annum pertinentes, libros ſpeciminis loco eum in finem nunc recenſuimus, quo retardatae per annum editionis culpam, ex parte tantum auerteremus. Nec nouas huc usque, de medicis rebus collectas, obſeruationes, aeque ac medicorum celebrium, quae ipſis contigere, fata ſingula huic faſciculo immiſcere potuimus; nouiter tantum accepta eaque primaria indicaturi.

Accipe itaque, beneuole Lector, primum hoc commentariorum noſtrorum ſpecimen, matura de eo atque limata iudicia exoptamus, iniqua, a quibus nos abſtinemus, deprecamur. In libera verſamur re publica literaria, nullas alias nobis praeſcriptas eſſe leges putamus, quam quae genuina veritatem inueſtigandi ratio et aequitas nobis dictitat. Lipſiae, Menſ. Ianuario, An. C. N. MDCCLII.

I. Memoi-

I.

Memoires de mathematique et de phyſique préſentés à l'academie royale des ſciences par divers ſçavans et lus dans ſes aſſemblées. Tome premier à Paris de l'imprimerie royale 1750. 4. 3 Alph. 5 pl. Tab. aen. 18.

Hoc eſt:

Commentarii mathematico phyſici academiae regiae ſcientiarum, per varios eruditos oblati et in eius conuentibus praelecti.

Academia regia ſcientiarum Pariſina numeroſam huc usque voluminum ſeriem dedit, in quibus obſeruationes utiles et egregiae, matheſin potiſſimum, phyſicam et medicinam illuſtrantes, continentur. Licet vero praeter has, a membris eruditae huius ſocietatis confectas, elaborationes varii numero ſociorum non adſcripti, ſed literaria tantum commercia cum ſocietate alentes eruditi, ſuas ſaepius obſeruationes aliasque diſſertationes cum ea communicauerint, de iis tamen, quod multae leuioris momenti ſimul obuenirent, aliae vero praeſtantiores elaborationes, ab auctoribus repetitae, et variis deinde diariis publicis inſertae fuerint, in peculiari et a reliquis ſeparato volumine edendis, ſollicita eſſe non potuit. Sed, cum tanta nunc commentariorum copia ad manus eſſet, quae componendo volumini ſufficeret, illud in lucem emiſerunt academici, eo inſi-

mul reſpicientes, ut obſeruationes, quae incremento ſcientiarum et rei publicae commodis utiles iudicabant, reliquis praeferrent. Nos praeſtantiſſimos commentarios eo, quo proponuntur, ordine enumerabimus *.

p. 1. 1. *Obſeruationes phyſicae de terris, ad dextram ſiniſtramque partem Rhodani ſitis, ab oppido Belloquarda (Beaucaire) uſque ad mare, quod Caii Marii agrum (Camargue) appellant, directis, una cum conſilio de his terris fertilibus reddendis*, Auctore Dn. VIRGILIO. Inundationes Rhodani terram hanc, ſalinis particulis ſcatentem, ad culturam plantarum ineptam reddiderunt; cum tamen ſalinae particulae nutritionem plantarum non prorſus impediant, in primis, ſi pluuiae copioſae tunc, quando terra aratro vertitur, eam emolliunt, et ad alendas plantas diſponunt. Hoc enim, ſi eueniat, ſemina paulo citius ſpargi, et ita cereales plantae maturitatis terminum attingere poſſunt, antea, quam calor aeſtiuus earum incrementum cohibet. Solennem itaque pluuiae in his terris defectum, per inundationes artificiales Rhodani, a ſuperiori parte deriuatis, ſuppleri, et inde oryzae prae reliquis culturam cum felici ſucceſſu ſuſcipi poſſe, confirmat Cl. Auctor.

2. *De*

* In uniuerſum hic monendum eſt, nos et in his commentariis, et in diuerſis in poſterum diariis, quae collectos variorum auctorum labores continent, ea, quae ad inſtitutum noſtrum non pertinent, prorſus omiſſuros, neque titulos quidem indicaturos eſſe, ut itaque, ſi in enumeratione ſucceſſiua numeri quidam deficiunt, eiuſmodi elaborationes ſub iis comprehendi, quilibet reminiſcatur. Ad noſtrum vero propoſitum ſpectantes, diſſertationes omnes recenſebimus, niſi ex aliis libris depromtae et repetitae occurrant, quo in caſu titulo exſcripto diarium illud indicabimus; ipſam vero recenſionem dabimus, de omni collectione differentes, niſi forte ex ſcripto deſumta ſit elaboratio, quod in noſtra non cadit tempora.

DSI

2. *De uſu egregio ſalis communis in nutritione animalium brutorum* idem Auctor diſſerit. Rem pecuariam agriculturae amplificandae et inſigniter quidem fauere, res admodum nota eſt. Poſtquam igitur varias circa rem pecuariam in diuerſis terrae tractibus, ad Rhodanum ſitis, inſtitutas obſeruationes propoſuit, ſi ſalis communis uſum introducerent ruricolae, variis in locis eandem augeri poſſe oſtendit Cl. Auctor; ſal enim hoc digeſtionem alimentorum adiuuare, ſanguinem depurare, et eius circuitum liberiorem reddere, per experientiam non tantum aſſumit, ſed nonnullis quoque experimentis corroborat, et nutritionem aeque ac vigorem animalium inde perfici et inſtaurari poſſe oſtendit. Epidemicum tandem morbum pecorum, numeroſis gregibus ſaepe funeſtum, ex corrupto victu et vermibus, hepati potiſſimum inhaerentibus, oriundum, nec non mictum cruentum, his animalibus plerumque infenſum, ſalis communis uſu coerceri et prorſus forte tolli poſſe exiſtimat.

3. *Diſſertatio hydraulico anatomica, ſeu nouus conſpectus de interna arteriarum ſuperficie, harumque ſtructura reſpectu motus ſanguinis progresſiui*, Auctore BASSUEL*. Plures certe ſunt et medici et phyſici, qui in vaſorum ſanguinem vehentium naturam, diuiſionem, excurſum, amplitudinem, angulos etc. curioſius inquiſiuerunt, ut inde motus progreſſiui rationem variam ſubtilius definirent. Ex iis autem haud paucos, imo fero omnes, ad externum arteriarum p. 23.

 habi-

* Tradita academiae 1744. Cum in ſimilibus obſeruationum et diſſertationum collectionibus, ſaepius eae typis exprimantur, quae iam ante aliquot annos cum ſocietate communicatae fuerunt, illud, quo traditae reperiuntur, tempus ſemper annotabimus, in primis, ubi rei pertractatae dignitas, aut nouiter inuentae gloria, id exigunt.

habitum ſimilesque conditiones tantum attendiſſe et reſpexiſſe exiſtimat Cl. Auctor, ita, vt vix cogitauerint, eſſe etiam in interna illarum facie quicquam, quod ad aequalem et impeditam ſanguinis propulſionem ac diſtributionem neceſſarium ſit, in primis ubi ex maioribus truncis rami exeunt, vel illi aliter diuiduntur. Eam igitur Cl. Auctor diligentius inſpexit atque diſſecuit, et obſeruationes inde natas collectasque in hac diſputatione propoſuit. Conficiunt autem illam tres partes. Harum prima agit de orificiis arteriarum minorum, a latere maiorum exeuntium, deinde etiam de iis, ubi arteria quaedam ſimplex bifida fit, vel aliter in plures ſecedit. De lateralium orificiorum figura in genere monet: eam quidem in cadaueribus et arteriis ſanguine non repletis plus minus oualem videri, in viuo tamen animali arteriisque ſanguine plenis ac diſtentis magis rotundam exiſtere. Omne autem orificium duas quaſi ſibi oppoſitas partes ſiſtit, aut in has diuidi poteſt, quarum una in nouum exeuntem ramum ſe inclinat ac deſinit, altera contra elatior eſt, et producto elongatoque margine prominens, ita, ut et ſanguis irruens in cauum oſtii commodius dirigi, et eius flumen diuidi facilius poſſit. Cum vero iſtis orificiis omnibus non idem ſitus ſit et varia inde eorum ratio naſci videatur, placuit Auctori horum duo genera efficere. Vnum vbi illa ſolitaria quaſi ſunt, alterum vbi duo aut plura in eadem fere ſede ſimul exiſtunt, aut proxime ad ſe poſita reperiuntur. Vtrumque horum genus, et plicas, quas verſus internum trunci cauum elongata latera ſiſtunt, laborioſius poſtea deſcribit. Atque cum exiſtimet, ad cognoſcendam veram alterni arteriarum motus rationem multum omnino facere, ſi modum et fabricam illorum omnis generis orificiorum, quae inciſa arteria mox in eius interna facie non apparet, ſed ſub hac tecta abſconditaque latet, exacte prius cognitam compertamque habeamus, in hanc magno certe

ſtudio

ſtudio inquiſiuit. In altera igitur diſſertationis parte internam earum aperturarum diuiſionumque ſtructuram, ac fibrarum muſcularium circa has directionem variam, et quae ſunt ſimilia, prolixe exponit. In tertia autem iſtius parte rerum earum omnium utilitas in iuuando ac perficiendo ſanguinis per arterioſa vaſa tranſitu explicatur, et rationibus variis comprobatur. Ex his autem potiſſimum cogi conficique debet, cur ſanguis libero facilique motu per orificia in laterales ramos, ac diuiſos truncos ingredi pellique poſſit, deinde et quo modo cor ſine magno apparatu, ac minus forti et laborioſa contractione, per omnes vaſorum diſtributiones proiiciatur. Denique LOWERI ſententia, quam de arcus arteriae, aortae et in eo reperiundorum orificiorum mechaniſmo et uſu, ſuperiori iam ſeculo propoſuit, adiicitur, et quam lubrico falſoque fundamento ea innixa ſit, docte ſatis commonſtratur. Accedunt tabulae aeneae duae, quibus iſtorum orificiorum et diuiſionum in arteriis ratio ac fabrica illuſtrari debet atque facilius perſpici.

7. *Obſeruatio de Reſeda flore odorato*, Auctore DALIBARDIO*. Plantae, licet ſpecie conueniant, non ſemper omni ex parte ſibi inueniuntur ſimiles, ſed multis aliquando modis, in primis odore variant. An itaque ex hac plantarum proprietate ſpecies determinari debeant, ut veteres fecere, an vero, ut recentiſſimi exigunt, varietates modo conſtituant, Cl. Auctor experimentis, cum hac odorata reſedae ſpecie inſtitutis, oſtendere allaborauit. Planta, quam ipſe ſibi eligit, nominatur vulgo a botanicis Reſeda aegyptia minor odoratiſſima, et cum hac omnino conuenit alia, quae Reſeda minor vulgaris dicitur, ſolo modo odore differunt; huius enim flos nullum plane, illius vero gratum atque ſatis fragrantem exhibet. Odo- p. 95.

 ratae

* An. 1743.

ratae itaque plantae ſemina fictilibus immiſit, quae terra diuerſae indolis, nunc macra, nunc pingui, nunc arenoſa repleta fuere; ea, quae ſabuloſae, praeparatae et communi hortulanorum terrae tradita fuere, ſemina, progerminarunt non ſolum, ſed et ulterior vegetatio vix aliquam differentiam in his plantulis monſtrauit. Flore vero tandem euoluto, miram metamorphoſin factam fuiſſe apparuit. Illae enim plantae, quae in terra, ſingulari modo praeparata, nec non in pingui hortulanorum collocatae fuerunt, fragrantiſſimum exhibuerunt odorem, illae vero e contrario, quae in ſabuloſa habitarunt, nullo modo olfactum commouerunt. Porro etiam iuniores plantulas ex ſabuloſa in pinguem terram tranſplantauit, neque tamen et nunc odoriferae factae fuerunt. Alias quoque ex pingui terra ſabuloſae commiſit, quae vero perierunt. Et haec ſunt primaria, a Cl. DALIBARDIO inſtituta, experimenta, reliqua hic lubentes omittimus. Concluſiones ex hiſce eruit ſequentes: 1) Ex ſolo odore plantarum ſpecies non eſſe conſtituendas, cum cultura, ſolo, aliisque cauſis ille et augeri et imminui poſſit, quod veriſſimum eſſe et nos exiſtimamus. 2) Qualitatem odoriferam in ipſa germinatione plantis conciliari, cum plantae, ex ſabuloſa in pinguem terram tranſplantatae, nullum odorem exhibuerint. Quod ſane enunciatum plurimis adhuc experimentis corroborandum erit.

p. 100. 8. *Diſquiſitio de indole peculiari ſalis tartari, qua illud omnia ſalia neutra praecipitat, in quae tamen vi ſua agere nequit*, quam Dn. BARON Medic. Facult. Pariſ. proponit *. Aquam, ſale quodam bene ſaturatam, alia ſalia ſuperaddita ſoluere poſſe, chemici norunt, et Cl. LEMERY, dum hoc phaenomenon in actis gallicis explicaret, illa tantum ſalia, quae in iam ſolutum nullam actionem habent, admiſceri poſſe oſten-

* An. 1744.

oſtendit. Sal tartari vero, quod in nitrum non agit, nitri tamen ſolutionem praecipitare perſpiciens, ſingularem huncce euentum ita explicat, quod ſcilicet ſal tartari particulas aqueas in poros ſuos ſugat, qui p. 102. tamen particulas nitri ſimul ſuſcipere nequeant, ideoque has ipſas praecipitari: hinc ſal tartari ut filtrum conſiderat, quod aquam quidem, minime vero nitrum, tranſmittit. Huic explicationi contraria phaenomena adducit Cl. Auctor, et oſtendit 1) oleum tar- p. 103. tari per deliquium idem praeſtare, licet iam diſſolutum alcali fixum, filtri vices habere non poſſit. 2) Sal tartari, in ſolutionem iniectum, fundum petere, et pedetentim diſſolui, et, hac demum diſſolutione facta, nitrum praecipitari. 3) Reſinas, per ſpiritum vini ſolutas, ab aqua affuſa praecipitari, quo certe in caſu, cum aquae pori, ſpiritum vini ſugentes, concedi vix poſſint, filtrum in rei demonſtrationem adhiberi nequeat. 4) Spiritum vini eodem, quo ſal tartari, modo nitrum et alia ſalia neutra praecipitare, neque hanc quoque praecipitationem per filtrum explicari poſſe. Adducta haec phaenomena nihil oſtendere, arbitrari quis poſſet, qui quaeſtionem ita format: cur unum ſal, alterum, in quod tamen non agit, praecipitet? Huic obiectioni breuiter tantum occurrit Auctor, dum ea corpora, quae diſſoluendo in ſe inuicem non agunt, praecipitationem tamen praeſtare poſſe monet. Inſiſtit his ſuis demonſtrationibus Cl. p. 107. BARON; ſolutiones aluminis, vitrioli viridis, et tartari vitriolati cum acido vitriolico praecipitauit, et cum in inſtitutis hiſce experimentis praecipitationes lentius ſuccederent, ipſas ſolutiones in acidum vitriolicum infudit, easque citius quodam modo euenire perſpexit. In explicatione, quam Auctor huius diſ- p. 109. quiſitionis exhibet, in chemicis eodem modo, ut in omnibus phyſicis phaenomenis, quod indolem particularum mixti in figura et actione perſpicere nequeamus, a ſimilibus, quae obſeruantur, phaenomenis de-

ſumtam declarationem ſufficientem omnino habendam eſſe, praecipue urget; permulta igitur experimenta hunc in finem producit, et aquam minime reſinis, ſed potius ſpiritui vini, ſe adiungere, aquam non camphorae, ſed potius acidis concentratis, in quibus camphora ſoluitur, uniri, acida ſulphuri ſe non admiſcere, ſed potius ſalibus alcalinis fixis, in quibus ſulphur ſolutum fuit, vini tandem ſpiritum non ſalibus, ſed potius aquae, in qua ſalia prius ſoluta fuerunt, adunari, et in omnibus his aeque ac aliis praecipitationibus idem, quod in noſtra praeci-
p. 112. pitatione nitri fieri obſeruatur, euenire docet, relationem nimirum, affinitatem et conuenientiam particularum maiorem in quibuſdam corporibus per admixtionem obortam. Noluit forte Cl. Auctor vocabulis attractionis vel cohaeſionis uti, quibus nonnulli recentiores in his phaenomenis explicandis utuntur, quoniam et hoc modo euentus cauſa obſcura manet, ex indole particularum non ſatis declaranda.

p. 113. 9. *De motu cerebri* a Cl. SCHLICHTING exhibita * diſſertatio multa, eaque notatu digna continet. Cl. potiſſimum WINSLOWII de defectu experimentorum, quae cerebrum eiuſque actionem declarant, prolatis quaerimoniis inductus Cl. Auctor, per plures annos principem hanc corporis humani ſedem percontatus et cerebri motum eumque duplicem ſibi reperiſ-
p. 114. ſe viſus eſt. Primo enim in *omni exſpiratione cerebrum uniuerſum aſcendere i. e. intumeſcere, atque in quauis inſpiratione illud deſcendere i. e. detumeſcere*, animaduertit. Reciprocum huncce cerebri motum, vulnera non ſolum capitis, fontanella infantum, et hernia cerebri, ſed animalia quoque, hunc in finem cultro ſubiecta, docuerunt Auctorem. Spatium uero, in quo hic motus contingere poſſit, in cranii cauitate ſuper-

eſſe,

* An. 1744.

eſſe, aer inſpirationis tempore apertum cranium ingrediens, et inter exſpirandum cum bullulis iterum erumpens, ſtilus inter meninges facile huc illucue mouendus, copia cruoris inter membranas congeſta, et oſſa caluariae, intumeſcente cerebro ex eius ſententia, diuaricata, comprobare videntur. Diſciſſae deinde atque exciſae membranae, cerebri cortex pro parte ablatus, ſternutatio, tuſſis et eiulatio animalium, nec a durae matris contractione, quae firmiter oſſibus adhaeret, neque ab arteriarum pulſatione, obſeruatam hanc cerebri commotionem deriuandam, ſed ipſius cerebri maſſae, de cerebello enim dubia adhuc res eſt, tribuendam eſſe oſtendunt. Vti vero piſces aeque ac aues examinatae, ob paruam, quae iis eſt, reſpirationem, ſynchronum illi cerebri motum non produnt, ſic cauſſa quoque conſpirantis pulmonum et cerebri motus, inuentu admodum difficilis eſt. Vtrum p. 117.
enim ſyſtole atque diaſtole cerebri, reſpirationem alternam cauſetur, an cruor aut aer vel uterque exſpirationis tempore verſus cerebrum copioſius urgeatur, illudque intumeſcat, ſubſequente vero inſpiratione iterum liberetur, ut coniecturas tantum proponit Cl. Auctor, ex phaenomenis tamen recenſitis, auctae a tuſſi cephalalgiae, cruoris et puris diu ſaepius in cranio abſque noxa ſubſiſtentis, cerebri, in hernia eius, per tuſſim ſternutationemque expulſi, actionum cerebri perſiſtentium in epilepſia, cauſas intelligi, itemque quod corpus interdum inflammatione, ſuppuratione tumoreque cerebri vix mutetur, ſuturae vero cranii a tumoribus inſigniter diducantur, nulla porro idearum impreſſio in cerebro locum habeat, effectus tandem in nauigantibus et in gyrum circumductis, alteratum cerebri motum indicantes, explicari poſſe exiſtimat. *Alterum, qui eſt in ce-* p. 120.
rebro, motum, quod attinet, eum in fibrillis cerebri contingentem, illo experimento didicit Cl. SCHLICHTING, quo per adactum, in canis moloſſi cerebrum,

medul-

medullam oblongatam verſus, ſtilum, conuulſiones excitauit, et digito in meditullium cerebri immiſſo, illud circumcirca pulſaſſe et palpitaſſe intellexit, ita quidem, ut pro aucta vel imminuta conuulſionum vehementia, ipſam quoque palpitationem mutatam et cerebrum ſub conuulſionibus, corde contracto durius deprehenderet. Ex hac vero praeter naturali, quae ipſi cum reliquarum partium conuulſione conſpirare videbatur, cerebri contractione, ad naturalem eius, licet leuiorem et ſubtiliorem motum, argumentari poſſe videtur, ſimili modo quo cutis pori, vaſa, eorumque aperturae, tendines, aponeuroſes, uuea potiſſimum atque dartos tunica, in ſtatu morboſo exerunt motum manifeſtum, in ſanitate quoque praeſentem, licet debiliorem. Nec obſtat intrinſecae huic fibrarum cerebri atque neruorum commotioni, earum mollities atque teneritudo, ut enim in ſimpliciſſima muſculi fibra, teſticulorum vaſis molliſſimis et cerebri vaſis analogis, glandulis ſynouiae praeparandae dicatis, et ipſis corporis motionibus variis inſeruientibus neruis, motus illi naturales atque conſueti obſeruantur, ſine deſtructione fabricae, ſic quoque cerebri, fluido continuo irrigatae, fibrae, leniores illas agitationes ſuſtinere poterunt. Ad curuaturam deinde regreſſum atque flexuram neruorum in refellenda hacce ſententia prouocare, continuatus fibrarum in inteſtinis incuruatis et varie flexis, oſcillatorius atque tenſiuus motus, aeque ac ſingularia illa atque notiſſima, ex ſolo partium conſenſu declaranda, phaenomena, prohibent. Non omni porro, ſed acuto tantum doloris ſenſu, cerebrum carere, cum per allata experimenta et inſignem vaſorum ſanguiferorum, quae cerebro inſunt, numerum comprobare ſtudeat Cl. Auctor, a debiliori quoque illa ſenſatione ad ſubtiliorem fibrarum cerebri motum, ſiue contractionem argumentari poſſe, non du-
p. 127. bitat. Et ex ea quidem, quam breuiter adumbrare

ſtudui-

ſtuduimus, theoria, ſenſuum externorum aeque ac internorum, opii effectuum, doloris, celerrimi conſenſus neruorum, ſomni, inſomnii atque vigiliarum naturam declarare ſuſcipit, ſenſum, cognitionem ac voluntatem ubique in toto corpore et in quauis eius parte adeſſe et gradualem tantum, quoad ſenſationem, homines brutaque animalia intercedere differentiam, aſſerit; de animi tandem pathematibus, appetitu, voluntate, conſuetudine, memoria, iudicio, et facultate, res nondum cognitas addiſcendi, eam, ut conſectarium ex theoria de fibrarum cerebri motu profert ſententiam, quae hominem machinam, motore non indigentem, et ſecundum mechanicas fere regulas cogitantem, effingere videtur. P. 131. P. 135.

10. *Diſſertatio anatomico medica de corde inuerſo*, Auctore TORRES *. Huic conſcribendae oportunitatem dedit obſeruatio de corde inuerſo, collecta in pago quodam regni Valentini, cui nomen eſt la Almoyna. In hoc cum An. 1737. puella in lucem ederetur colore cadauerino ita donata, ut ab aſſidentibus mortua crederetur, operam dedit TORRES, ut illam non modo per duodecim, quos vixit, dies ſedulo examinare poſſet, ſed et poſt mortem incidere. Cognouit igitur integri corpuſculi menſuram, eam unius pedis vix aequare, omnem corporis habitum ſumme macilentum ac oſſa tenera eſſe, haecque ex ſuo loco ſponte elabi. In cute cinerei coloris papillae eminebant, quae hanc illi, deplumati anſeris, ſimillimam faciebant. Oculos puella non aperiebat, os contra non claudebat. Praeter ea difficulter reſpirabat, neque lac ſugere poterat infans, aluum nunquam deponebat, abdomine tumido perſiſtente, urina vero quotidie et frequentius excernebatur. Pulſus nullibi, quam in dextro latere poterat percipi. In huius deinde puellae, duodecimo die extinctae, cadauere, cranii P. 136.

* An. 1744.

nii cauum, meninges in lympha foetida, et albumini oui haud abſimili, fere immerſas, duramque matrem flaccidam, rarioris molliorisque texturae, et ſanguiferis ſuis vaſis maximam partem deſtitutam, continuit cerebrique loco repertae ſunt mucoſae lymphae duae librae. Quamuis autem eius medullaris ſubſtantia nondum omnino liquefacta eſſet, in illa tamen, quae forte ſupererat, parte nulla amplius cum ſano infantili cerebro vera ſimilitudo inueniri aut demonſtrari potuit. Cerebellum contra integrum et ſanum nil plane inſoliti aut contra naturam nati oſtendit. Nares deinde, maxillae, labia, lingua, palatum, plura et copioſiora vaſa exhibuerunt, quam ſecundum conſuetum naturae ordinem in aliis exemplis oſtendere ſolent. In viſcerum porro examine repertus eſt pulmo cinerei coloris, ſatis ſpongioſus, qui autem iniectus aquae fundum petiit. Cor deſtitutum fuit pericardio, neque in eo quaedam viſa ſunt pinguedinis veſtigia. Cor praeter ea inuerſum fuit, *ita ut huius baſis penitus eſſet decliuis, apex vero eundem haberet locum, quem occupat in reliquis corporibus humanis pars ſuperior.* Illa quoque cordis baſis in ſiniſtro magis quam dextro latere, apex vero contrario modo poſitus fuit. Vaſorum cordi communium miranda ſimul exſtitit diſpoſitio. Haec enim omnia cor ita cingebant, uti *ſerpens ligni fruſtulum variis amplexibus circumplicare aſſolet. Nonnullos deinceps conſpexit in cordis ſuperficie ſat notabiles ſurcos, arteriarum communium per illud inuolutionum ratione productos.* Apertum poſtea cor ſanguinis atri et coagulati quatuor uncias continuit. In reliquorum vero viſcerum omnium examine nihil noui et inſueti, quod notatu dignum eſſet, deprehenſum eſt. Expoſita ita obſeruationis hiſtoria ſcholion addit Cl. TORRES in tres partes diuiſum, quibus partim rerum prius obſeruatarum et deſcriptarum, partim quoque mutationum aliarum in illo corpuſculo poſſibilium rationes comprehendere

atque

atque exponere allaborat. In his vero omnibus enarrandis, confirmandis aut emendandis tempus conſumere nunc quidem non cupimus. Illud ſaltim addimus atque monemus; Cl. Auctorem quorundam phaenomenorum rationes paulo prolixius, quam forte quis expectare poſſet, exponere, uti v. g. pulmonis in aqua ſubſidentiae, pericardii defectus etc. Occaſione enim prioris euincere annititur pulmonis ſubſidentiam ſemper fallax ſignum peractae prius, aut non peractae reſpirationis exiſtere; de altero autem dum agit, ſimul docet varias ſaepe in animali corpore partes deficere poſſe, ſalua tamen vita manente.

II. *Diſquiſitiones anatomicae de glandula thyroidea*, p. 159. Auctore LALOUETTE*. Glandulae huius paulo curioſior diſquiſitio Cl. Auctori non modo neceſſaria eſſe videtur ad intelligendam et eruendam veram utilitatem, quam animali corpori praeſtet, ſed et ad ſtrumarum, quae in hac ſuam ſedem habent, indolem cognoſcendam, et excogitanda apta his tollendis auxilia. Igitur non ſemel, ſed repetitis vicibus, varia, et in humanis cadaueribus, et in animalibus brutis viuis ac mortuis, hunc in finem inſtituit experimenta, quorum ſucceſſus hac in commentatione enarrantur et exponuntur. Praemiſſis enim iis, quae ad externas huius glandulae, tum in humano, tum et brutorum variorum corpore, conditiones pertinent, eius nempe numerum, figuram, ſitum, nexum, vaſa denique ſanguinem ad et abducentia, tandem et neruos, qui ad illam abeunt, ad internam fabricam enodandam progreditur. Cum autem caſu quaſi in larynge cum glandula thyroidea exſiccata cognouiſſet, hanc inciſam haud exiguam vim veſicularum continere, quae per teneras quidem membranas diſtingui, ſed tamen quoque inter ſe communicari videbantur, ſibi poſtea propoſuit in ſingularem hanc ſtructuram ſtudio in cada-

ueri-

* An. 1743.

ueribus iterum iterumque inquirere. Haec autem glandula primum per longum diſſecta, et microſcopio interius examinata, exhibuit innumera rotunda minora granula, pellucida et quae, leuiter ſcalpelli apice puncta, glutinoſum liueſcentem humorem fundebant. In aliis exemplis, aere per tubulum, facta prius inciſione, in glandulam impulſo, haec haud parum cum omni glandulae ambitu intumeſcere, aliisque iterum experimentis aerem iſta minora grana ingredi et inflare vidit. Atque porro cognouit glandulam eam per arterias venasue ſanguinem vehentes inflari non poſſe, quod in harum tantum ramis aer ſubſiſtat, neque a glandula ipſa inflata aër ad illa vaſa tranſiit, quae inde nunquam intumuerunt, contra autem interdum ea ratione lymphatica vaſa in conſpectum prodierunt. Si glandula inflata prius, poſtea ſiccata eſt et inciſa, illa granula intus caua et habitum celluloſum oſtendere viſa ſunt. Neque aliud in iſtis experimentis omnibus diſcrimen obſeruatum eſt, quam quod in homine et quibuſdam animalibus facilius et elegantius ſuccederent, in aliis contra, veruece ac boue potiſſimum, difficilius; aptiora quoque iuniora iis inſtituendis deprehenſa ſunt animalia annoſioribus. Ex conſtanti autem experimentorum ſuorum euentu concludit, aerem vi impulſum nouas ſibi vias haſce non paraſſe, ſed cellularem habitum in naturali ſtatu ibi exiſtere, aerem poſtea recipere, atque ab hoc inflari atque tumeſcere.

Etiam in cadauerum diſſectione aliquoties glandulam thyroideam in omni ambitu morboſa ratione auctam inflatamque deprehendit. Haec in uno exemplo folliculum viſcido et glutinoſo humore repletum continuit, in interna tamen caui facie viis oſculisue, per quae iſte forte humor adduci effundique potuiſſet, nulla arte detegendis; imo ne flatus quidem in folliculum impulſus huius limites egreſ-

ſus

ſus eſt, aut circumiectas partes reddidit tumidiores. In alio cadauere cum iſtam glandulam iterum praeter naturam tumefactam deprehenderet, alia methodo uſus eſt ad cognoſcendas forte vias, quas ex hac in oeſophagum, aut aſperam arteriam abire, et aperiri coniiciebat. Venis itaque et arteriis eiuſdem prius ceracea maſſa repletis, oeſophagum poſterius ſectione aperuit, et, omni humido adhaerente diligenter abſterſo, glandulam ipſam manibus prehendit et preſſit, ſed, ne oculo quidem microſcopio armato, quaſdam inde guttulas in oeſophagum ſtillare vidit; aeque infeliciter ceſſit experimentum, aſpera arteria inciſa, denuo repetitum. In alio quidem ſtrumoſo huius glandulae tumore, quem femina vltra triginta annos aluerat, et a cuius tandem mole ſuffocata fuerat, cum dictis partibus exciſo, et maceratione, in ſalis ammoniaci ſolutione, emollito, viſcidoque ac tenaci humore inhaerente blanda prius compreſſione mobiliori facto, idem experimentum repetiit, ſed neque in hoc quicquam in oeſophagum effundi vidit, vidit autem quaſdam lymphatici ſucci guttulas a glottidis latere in ventriculos laryngis propullulare, quibus abſterſis, repetita quidem prima vice huius glandulae compreſſione aliae denuo guttulae apparuerunt, hac tamen poſtea continuata, imo et aucta, nouus iterum humor exprimi nullo modo potuit. Neque inciſo tumore ipſo, eoque diligenter microſcopio quoque examinato, ulla apertura detecta repertaque eſt, per quam illae lymphae guttulae effluxerint.

Alio iterum tempore Cl. Auctori opportunitas data fuit feminae, altero poſt partum die extinctae, cadauer diſſecandi. Haec ſub vehementioribus in ipſo partu nixibus haud exiguum in ſiniſtro glandulae thyroideae latere tumorem ſibi contraxerat. Hunc cum incideret, non parum miratus eſt, ſub ipſo ſectionis opere euanuiſſe; paucis ſaltim liueſcen-

tis et parum viſcidi humoris guttulis effluentibus. Huius vero fabrica intus celluloſa et ferme cauernoſa erat, flatuque per tubulum in unam cellulam impulſo, mox omnis glandulae ambitus diſtentus, priſtinum tumorem iterum oſtendebat. Ab eo autem euentu concludit Auctor, ipſum tumorem prius ab aere a glandulae cellulis recepto natum profectumque fuiſſe, adeoque et vias exiſtere debuiſſe, per quas aduehi impellique potuiſſet. Iſtas quidem deinde excogitatis et in cadauere, viuisque animalibus, inſtitutis experimentis detegere allaborauit, ſucceſſus tamen eorundem votis atque expectationi nunquam reſpondit.

Vltimo loco quasdam, ex thyroideae glandulae deſcriptione data, et experimentis ac obſeruationibus circa eam factis, de eius functione coniecturas conficit atque proponit. Hae autem eo redeunt, glandulam iſtam non eſſe inutile corpus, ſed in ea humorem quendam elaborari et ſecerni. Hunc et laryngi interius lubricandae, et glottidis fibris mobilibus ſeruandis, forte et voci gratiam quodam modo conciliando inſeruire. Denique et auxilia addit, quibus a clamore aut vehementiori corporis nixu ſubito nati ſtrumoſi tumores, mox ab initio diſcuti tollique debeant ac poſſint.

Accedunt Tabulae duae, in quibus larynx et thyroidea glandula ex homine, cane, boue repraeſentantur.

p. 177. 13. *Hiſtoria erucae, quae intra folia vitis cuniculos agit, excerpta ex epiſtola ſcripta ad* REAUMURIUM *per* GODEHEU *de* RIUILLE, Equitem Maltenſem *. Haec ad ſeptem illas erucarum claſſes, a REAUMURIO ſtabilitas, referre ſe non patitur. Singulare namque hoc eſt, erucam hancce pedibus deſtitui, licet, mirando hocce phaenomeno percitus Cl. Auctor,

* An. 1747.

ctor, ſtudioſe admodum eorum inſtituerat diſquiſitionem. Inuenit autem minutiſſimis pertuſam foraminulis cutem erucae, ſubtilioribusque ornatam pilis, caput, nec non primum annulum ſquamatum, et hunc quidem ita efformatum, ut ſub eo caput poſſit abſcondi, quippe verum cylindricum annulum non exprimit; reliquum corpus membranaceum eſt. Continetur illa, ut inquilino ſuo in domicilio, intra foliorum membranas, parenchymate veſcitur, eodemque nutritur, quo in uno loco abſumto ad alium prorepit, et cuniculos perficit, tunc vero ad metamorphoſin ſubeundam idoneum quaerit locum, et inter folii membranas receptaculum ſibi ſtruit, ex filis tenerioribus, quae ex corpore ſuo depromit. Curioſa ſane ratione mox hoc, mox oppoſito in latere noua filorum intertextorum ſtrata apponit, ac oualis formae receptaculum effingit, quod vero per foramen, in folio efformatum ad alium poſt modum locum transfert, pedunculo nimirum folii vel vicinis corporibus, unico tamen puncto tantum, et ad perpendiculum quidem affigit. Non minori cum voluptate ille conſiderandus eſt motus, quem contenta in nympha eruca perficit, dum locum mutat, id quod vix absque pedum auxilio fieri, autumare quis poſſet. Siue autem de corpore quodam filo iuncta pendeat, ſiue plano cuidam inſiſtens ſeſe promoueat, filum quoddam ab altera parte corpori, ab altera ſuo adiungit domicilio, nodoſum quaſi, vel hinc inde ex multiplicatis filis tuberculatum, quae tubercula dentibus amplexatur, totumque poſt ea cum receptaculo attrahit corpus. Phalenae, quae poſt metamorphoſin prodeunt, ad illud a Cl. Auctore referuntur REAUMURII genus, quod alas auium inſtar ſibi iunctas oſtendit, quarum vero poſterior margo laciniatus, dum eleuatur, criſtam galli exprimit. Capite, corpore pedibusque illae ſunt argenteae, alae nigrae, et ornamenti inſtar in unaquaque quatuor

 conſpi-

conſpiciuntur argenteae triangulares maculae, duae ab interna, duae ab externa parte poſitae.

p. 189. Vlterioribus deinde diſquiſitionibus, quarum rationem *altera* quadam *epiſtola* reddidit RIUILLIUS, in erucis hiſce non ſolum pedum abſentia iterum confirmata fuit, verum etiam hoſtem earum detexit, ichneumonem nimirum, luteo rubroque colore mixtum corpus habentem. Nos eum ordinem, quem in propoſitis epiſtolis illa, qua varia ipſi obuenerunt phaenomena, ratione propoſuit Cl. Auctor, ad conſuetam deſcriptionis hiſtoricae eiusmodi inſecti normam redegimus, ſpe freti, fore, ut hac ratione accuratius mutationes pateſcant, ab Auctore docte explicatae, elegantique adiecta icone expreſſae.

p. 191. 14. *Obſeruationes phyſicae ex ſtatica corporis humani* a Cl. MARCORELLE inſtitutae *. Cum Cl. DODART, per triginta, et quod excurrit, annos in continuandis Sanctorianis diſquiſitionibus occupatus Cl. Auctor, ſeptem vel octo libras per inſenſibilem tranſpirationem amitti quotidie, iterumque per alimenta reſtitui, eo ſimul notato diſcrimine deprehendit, ut in iunioribus, ob maiorem in iis ſanguinis calorem, plus ponderis pereat, quam in ſenibus, obſtructos magis poros habentibus. Cl. praeter ea DODART ad effectus ex venae ſectione et ieiunio prouenientes in primis attentus, ſedecim ſanguinis uncias, non ſolum reparari quinque dierum ſpatio, ſed pondus quoque auctum, octo vero, ultimo ieiunii die amiſſas libras cum exceſſu quatuor librarum, decurſu quatuor dierum iterum reſtitutas fuiſſe obſeruauit. Dicta haecce phaenomena, cum in parciori ciborum ſolidiorum aſſumtione contingere certum eſſet, Cl. MARCORELLE eas etiam animaduertit mutationes, quae ex defectu et parciori potu-

lento-

* An. 1746.

lentorum uſu eueniunt. Hominem hunc in finem in ſcenam producit, qui ſimplici et ſolo alias aquae potu contentus, per duos integros menſes nihil prorſus illius aſſumſit, et finito hoc tempore, quinque librarum et duodecim unciarum, ut vigeſimae totius ponderis partis, iacturam paſſus eſt, quam tamen intra ſex dies modice atque conſueto antea more, potulenta aſſumens, una cum quatuor unciarum augmento, reparauit. Cum vero curioſus iſte corporis ſui tentator, durante hoc examine, ſucculentis et multum fluidi praebentibus alimentis, uteretur, alia ratione rem aggreſſus, tempore ieiunii quadrageſimalis ſiccos magis cibos absque omni potu, per quadraginta ſex dies aſſumſit, et inde ſeptem libras et uncias tres amiſit, quas cum octo unciarum augmento, intra ſex dies, iiſdem, ut antea obſeruatis, regulis, integra ſemper ſanitate gauiſus, recuperauit. Ex recenſitis his experimentis Cl. MARCORELLE facilem deperditi reſtitutionem et parciorem ex ſiccis, quam craſſis alimentis fluidi praeparationem, utriuſque vero ciborum generis indolem ad conſeruandum corpus aptam colligit, addita inſimul coniectura, numne potulentorum uſus minus neceſſarius per conſuetudinem reddi poſſit, cuius nimirum defectus, adſuetis et longa per mare itinera facientibus, neceſſitatem atque moleſtias ſaepe creet.

15. *Excerptum ex literis ad Cl.* DE REAVMVR *d. 29 Nouemb. 1743 datis, de ſpelunca glaciali prope Veſontium ſita.* Auctore DE COSSIGNY *, Supremo Architecto militari Veſontii, Academiae a commerciis literarum. Habentur in hac deſcriptione dimenſiones ſpeluncae, et inde deductae ichnographia et orthographia exhibentur, variaque corriguntur, quae de crypta hac auctor libri: *Hiſtoire de la Bourgogne, Dijon 1737* refert. Nobis phyſica quaedam ſaltim p. 195.

 inde

* An. 1745.

inde excerpturis ſufficiet, notabile ineſſe ſpeluncae frigus media aeſtate, vel thermometro indice. Primum enim iter COSSIGNY eo d. 7 Aug. 1743 ſuſcepit, alterum d. 16 Oct. 1743, tertium 22 April. 1745. Solum ſpeluncae omne glacie tectum eſt, paucis locis exceptis, ubi aqua fluida reperitur. Extant paſſim quoque pyramides glaciales 6, 7, 8 pedum altitudine. Glaciem hanc omnem antiquiorem non eſſe oportet anno 1727, quo dux Leui quidquid glaciei in ſpelunca reperiebatur, auferri, ſolumque omne nudari iuſſit. Iam rarus patet ad ſolum glacie tectum aditus. Alicubi tamen COSSIGNY terram mollem, lutulentam, ſubflauam reperit. Sed ex qua deſtillando, calcinando in crucibulo, elixando, nihil ſalis aut alius cuiuſdam principii actiui exprimere valuit. Ceterum temperies cauernae aeſtate et hyeme fere aequalis eſt, parum ſcilicet ſemper a frigore glaciali diuerſa.

p. 212. 16. *Experimenta phyſica de variante pondere corporum fluidis immerſorum* Cl. DALIBARD proponit *. Lignum aquae immerſum grauius fieri debere euidens eſt, quia aqua poros ligni intrat, ut lignum hac aqua praegnans maius habere debeat pondus, quam ante habuit. Sed qua lege hoc ponderis augmentum variet, experimentis indagandum eſt, quorum plura et magna cum ſollicitudine inſtituit DALIBARD. BVFONII potiſſimum ductu, ut huic, ſi quam meruit gloriam, omnem tribuat. Duo fruſta quercus, duo tiliae, duo ſalicis exacte ponderata, aquae fluuiatili indidit, ſingula ſingulis vaſis vitreis, aquam vero conſtanter ad altitudinem fere 3 digitorum ſuper quodlibet fruſtum continuit; deinde ab 28 April. 1744 uſque ad 4 Iunii 1745 ſingulis diebus, paucis exceptis, omnia exacte ponderauit, notato etiam quouis die, et hora quidem orientis ſolis, quam his ponderationibus

* An. 1746.

tionibus aptiſſimam iudicat, barometri, thermometri, hygrometri ſtatu. Inde nata eſt ampla obſeruationum tabula, quam exhibet. Nobis conſectariorum inde ductorum unum alterumue addere liceat. Primis diebus notabiliora fuere incrementa ponderis quam ſequentibus; ſic fruſtum aliquod quercus, quod ante immerſionem d. 28 Iunii 677 grana ponderabat, die 29 Ian. 693 ponderauit. Sed idem fruſtum a die 20 - 24 Maii pondus 788 gran. conſtanter retinuit. Ceterum augmentatio haec ponderis non uniformiter aut adſignabili quadam lege dureſcit; quercina autem fruſta primo omnium tantum, quantum capere poterat, humiditatis imbiberunt, ut pondere deinde non amplius augerentur. Contra molliora ligna proportione et actu ipſo plus noui ponderis acceperunt durioribus, etſi augmentatio ponderis in duobus fruſtis eiuſdem ligni, ex eodem ramo eiuſdem arboris excifis et initio aequalibus, non penitus ſimilis fuerit. Id vero paradoxon eſt, quod duriora citius imbibitionis plenariae gradum conſequuta, penetrabiliora aquae fuerint mollioribus, cuius ipſius paradoxi explicationem Auctor adhuc dari ex ſuis experimentis poſſe negat, ſed ſi reperiatur, oſtenſurum nobis eſſe credit, cur ſuber, liquoribus impenetrabile, hincque uſibus, quibus adhibetur, tum aptum ſit. Ceterum ad explicandum phaenomenon hypotheſin comminiſcitur, quam parum exiſtimat a veritate diſtare, poros et canales duriorum lingnorum, ut quercini, pauciores eſſe, ſed patentiores et rectiores quam molliorum, quorum compages fibris tortuoſioribus conſtet, inter quas innumerae ſint cellulae, ſed aditus anguſtiſſimi, ceterum non continuum fuit incrementum ponderis, ſed aliquando rurſus decreuerunt. Haec a ſtatu atmoſphaerae pendent, et a DALIBARDO, quantum fieri poteſt, explicantur. Sed nos illa ulterius perſequi non poſſumus, cum omnia recte demum ex citata experimen-

torum tabula intelligantur, quam huc transferre non licet.

p. 283. 18. *Obſeruationes anatomicae*, Auctore Cl. GVNTZIO *. Factae hae ſunt:

a) *Circa glandulam thyroideam.* Huius iſthmum Cl. Auctor ſaepius vidit ex duobus lobulis componi, atque ita eam glandulam quatuor quaſi lobis confici, quorum duo eſſent laterales maiores, et duo alii anteriores minores. Atque hunc iſthmum aliquando etiam partim membranam, partim vero chordam quaſi glanduloſam referre deprehendit. Ab externa porro glandulae thyroideae facie, membranaque eam obducente, ut et minorum iſtius lobulorum ratione, ipſius denique colore et conſiſtentia euincit atque demonſtrat, hanc ab aliis conglomeratis glandulis multum omnino differre. Addit denique quaſdam obſeruationes, quae et ad huius glandulae cum larynge, et ad chordae iſtius glanduloſae cum oſſe hyoideo nexum curatius definiendum multum omnino faciunt.

p. 284. b) *Circa cartilaginem cricoideam.* Hae eius in primis figuram, eminentias ſitumque concernunt, deinde et ad eam cauitatem pertinent, quae inter glottidem et primum aſperae arteriae annulum exiſtit, et quam cartilago thyroidea et cricoidea efficiunt.

p. 285. c) *Circa quoſdam laryngis, pharyngis, et oſſis hyoidei muſculos*, animaduerſiones variae hic exponuntur, quae de muſculis praecipue ſternohyoideis, ſternothyroideis, ſtilothyroideis, digaſtricis, mylohyoideis, cricothyroideis, thyropharyngeis et cricopharyngeis agunt, atque ad horum naturam et uſum intelligendum et illuſtrandum egregie conferunt.

p. 287. d) *Circa inaequalem proportionem, qua caua, in medio variarum corporis partium latentia, per ſeptum aliquod*

* An. 1745.

aliquod in duo lateralia diuiſa ſunt. Monet Cl. Auctor, non ſolum pectoris cauum per mediaſtinum in duo lateralia diuidi, ſed et in aliis corporis ſedibus quaſi quaedam mediaſtina reperiri, quae ſe in unum alterumue latus inclinando, caua in medio poſita in duo lateralia inaequali proportione diuidunt. Ad haec autem refert durae matris falcem, ſeptum lucidum, oſſeam lamellam, quae ſphaenoideum et frontalem ſinum in duos diuidit, narium denique et ſcroti ſeptum. Praeter haec etiam aliud adhuc eſt ſimile fere mediaſtinum in collo, poſt pharyngem reperiundum, quod dextrum eius latus a ſiniſtro diſtinguit, et in primis a Cl. Auctore curioſius deſcribitur. Quamuis vero de omnibus iis nondum certo definire audeat, an conſtanti quaſi quadam lege eorum alia ſe verſus dextrum, alia contra verſus ſiniſtrum magis latus inclinent, tamen quod frequentius in quibuſdam eorum exemplis obſeruatum eſt, breuiter addit, atque uſum, quem eiuſmodi obſeruationes praecipue in morborum chirurgicorum curationibus habeant, exemplo laeſionis pectori capitique illatae demonſtrat, ſimulque addit varia et grauia incommoda, quae a narium ſepto, in vnum alterumue latus praeter naturam magis inclinato, frequentius ſolent oboriri.

e. *Circa bronchialia vaſa.* Primo monet Cl. Au- p. 290.
ctor, ita appellari poſſe vaſa, quae ad aſperam arteriam in pectore poſitam pertinent, ſiue ad huius truncum, ſiue ad ramos, ſiue bronchias tantum abeant. Deinde quaedam de bronchialis arteriae ortu atque diuiſione addit, et aliam quandam, a ſe An. 1740 primum viſam, arteriam, quae per aſperam arteriam in pectore ſitam, diſpergitur, diligentius deſcribit. Addit poſt ea obſeruationes alias, quae ad arterias oeſophageas, et harum in primis ramos ad glandulas bronchiales abeuntes, pertinent. Denique de glandularum iſtarum venis monet, eas ſuum ſanguinem,

 ſi non

ſi non omnem, maximam tamen partem non in cauam venam, ſed in pulmonales, aut venae pulmonales ſaccum infundere, etiam aliquando formato prius ſingulari quodam trunco. Tandem venarum bronchialium duarum triumue exitum in venam intercoſtalem ſuperiorem ſiniſtram, earum vero dextri lateris in concauam arcus venae ſine pari partem, commemorat. Vltimo loco quaedam adiicit de venis, quae ſub externa pulmonum membrana ſolae excurrunt, et quas ad naturam bronchialium accedere arbitratur.

p. 292. 19. *De tranſpoſitione viſcerum anatomica obſeruatio.* Auctore SVE*. Infantis maſculini generis, quinto poſt partum die extincti, ſectioni debetur haec obſeruatio. In pectoris et abdominis cauo viſcera et vaſa aliaeque partes ſitus ſui et directionis mutatam rationem exhibuerunt, ita ut quae ſecundum conſuetum naturae ordinem in dextro latere reperiuntur, aut dextrorſum inclinantur, eae in hoc exemplo oppoſitum omnino latus occupabant, id quod et in iis ita ſeſe habebat partibus, quarum naturalis ſitus in ſiniſtro latere eſſe ſolet. Praeter ea et in hoc infante ren ſaltem unicus, isque ſiniſter, et naturali maior repertus eſt, capſula contra ſuprarenalis utraque adfuit, dextra tamen longe maior ampliorque, quam ſiniſtra. Cum autem omnes iſtius corpuſculi partes caeterum bene conſtitutae eſſent, non improbabile videtur Cl. Auctori, infantem viuere potuiſſe, quamuis illae peruerſum ſitum poſitumque habuerint; cui coniecturae ſimiles ab aliis quoque collectae obſeruationes facile fidem faciunt. Cum autem Auctor exiſtimet, eiuſmodi praeternaturalem viſcerum ſitum in pluribus forte hominibus exiſtere, quam vulgo quidem creditur, quaſdam quoque notas addit, ex quibus collectis

* An. 1746.

lectis et comparatis etiam in viuentibus ea de re certiores reddi facile poſſumus. Illas autem ex cordis pulſu et ſenſu, ab ennemate iniecto, aut a purgante medicamento ſumto, excitato atque percepto petendas eſſe docet. Exempli deſcripti hiſtoria addita quoque icone illuſtratur.

20. *Experimenta, quae analyſin chemicam borracis declarant. Commentarius prior* a Dom. BARON propoſitus *. Poſt breuem enumerationem omnium affectionum, hactenus in borrace detectarum, Auctor in primis diſquiſitionem de borrace, quam Cl. POTT, celebris Berolinenſium chemicus, exhibuit, examinare ſuſcipit. p. 295.

Articulo itaque primo *Salis marini baſin in borrace reperiri, contra Cl.* POTT *defendit.* Sal ſedatiuum ex borrace, addito quolibet acido minerali, fieri poſſe certum eſt; ſi igitur borrax baſin ſalis marini continet, acido nitri cum borracis ſolutione miſto, et omni inde ſedatiuo ſale educto, nitrum quadrangulare, addito vero ſpiritu ſalis, verum ſal commune borrax ut exhibeat, erit neceſſe. Hoc ita euenire, per experimenta declarat Cl. Auctor, et euaporationem praecipue leni igne fieri debere monet, cum Cl. POTT vehementiſſimo igne ſpiritus illos diſſipauerit, ideoque tantam copiam ſalis ſedatiui non obtinuerit. Porro Auctor ſolutionem mercurii, in ſpiritu nitri factam, cum ſolutione borracis remiſcuit, et per euaporationem lentam ſal ſedatiuum, in fine vero nitrum quadrangulare obtinuit. Solutione ferri ſimili modo cum borracis ſolutione mixta et euaporata, ſi ferrum in ſpiritu nitri ſolutum fuit, nitrum quadrangulare, ſi idem in ſpiritu ſalis ſolutum fuit, ſal marinum accepit. Solutio ſalis ammoniaci ſal marinum dedit. Subiungit his alia adhuc experimenta, ex quibus ſodae ſal, vel, quod idem ei eſſe videtur, baſin p. 299. p. 302. p. 306.

* An. 1747.

baſin ſalis marini certo borracis compoſitionem ingredi colligit.

Articulo ſecundo demonſtrat Auctor: *omnia experimenta, a Cl.* POTT, *ad demonſtrandam acidi vitriolici praeſentiam in borrace adducta, ita eſſe comparata, ut nullum ex his nec acidi cuiuslibet praeſentiam euincat*, id, quod per repetita, ab eodem adducta, experimenta, et his ſubiectam aliam phaenomenorum, in tentaminibus obſeruatorum, explicationem perficere tentat. Ex tanto vero horum experimentorum numero unum vel alterum adduxiſſe ſufficiat. Cl. POTT praeſentiam acidi in borrace ex eo confirmat, quod ſolutio eius ſolutionem ſulphuris per alcali fixum praecipitat. Cl. Auctor ſolutionem ſulphuris cum alcali, per acidum praecipitatam, ſalia neutra, pro differentia acidi additi exhibere quidem concedit, idem tamen, ſi ſolutio borracis iiſdem addatur, euenire negat, cryſtallos potius borracis, poſt cryſtalliſationem remanere docet, et borracem ex ſua natura, non vero tanquam acidum facilius cum
p. 315. alcali iungi, et ſulphur inde praecipitare. Simili modo, cum Cl. POTT experimentum afferat, in quo ſolutio borracis, ſalis ammoniaci fixi ſolutionem eodem, quo acidum vitriolicum, modo producit, non per acidum, in borrace contentum; ſed per alcali ſodae, praecipitationem fieri monet Cl. BARON, cum ſoda ipſa, loco borracis ſumta, praecipitationem effecerit.

p. 321. Articulo tertio oſtendit, *quo modo ſal ſedatiuum, ex borrace per admiſtionem acidi vegetabilis parari poſſit.* Non ſucceſſit hoc experimentum clariſſimis viris LEMERY et POTT, quoniam in via ſublimationis nimiam ignis violentiam adhibuerunt. Auctor vero ſequenti ratione ad inſtituenda experimenta dedu-
p. 323. ctus fuit. Cum Cl. GEOFFROY mixtionem borra-

cis

cis cum acido quolibet, etiam vegetabili, flammam ſpiritus vini viridi colore tingere obſeruaſſet, noſter vero ſal ſedatiuum idem praeſtare conſpexiſſet, ad ſal ſedatiuum ex mixtione borracis cum acido aceti educendum via ipſi patuit, reſiduum enim a deſtillatione cum ſpiritu vini digeſſit, et ita quoque ſal ſedatiuum obtinuit, poſt ea tamen idem ſal, et cum aceto deſtillato, et cum acido citri, ſine admixtione ſpiritus vini, confecit, nullam aliam obſeruans enchireſin, quam lentam euaporationem, quoniam, forti ſublimationis igne adhibito, ſal ſedatiuum cum ſale neutro, in mixtione contento, intimius iungitur.

21. *Commentarius de minera cobalti ſiue minera arſenicali in Gallia inuenta*, Auctore Dn. SAVR *. Originem nominis cobalti, variasque eius ſpecies, quae in Saxonia potiſſimum effodiuntur, una cum notis characteriſticis additis declarat Cl. Auctor, et cobaltum deinde gryſeum, ſiue mineram arſenicalem, in Gallia quoque detectam, ſimili modo deſcribit. Et hanc quidem tum ſublimando, tum in variis acidis ſoluendo, diſquiſiuit, eamque cum ſimilibus, ex Saxonia allatis, mineris comparatam, in omnibus conuenire vidit momentis. In vitrificatione tandem ſtudioſius paulo verſatur, per varia, ad eam pertinentia, experimenta indigenam ſuam mineram cum Saxonicis comparare tentauit, quae nec repeti, nec breuiter tantum enumerari hic poſſunt. p. 329. p. 331. p. 335.

22. *De Electricitate animaduerſiones*, quas Cl. DV TOVR, Academiae a Commerciis litterariis eidem exhibuit **. Materiam electricam ex phaenomenis infert ubique diſperſam, quae non niſi poſitis certis circumſtantiis ſe manifeſtet. Quod, ut fiat, efficitur potiſſimum tremulo motu partium, cuius quantitas et p. 345.

* An 1747.

** An. 1747.

et duratio ceteris paribus menſura vis electricae exiſtunt. Hinc molem piceam repetitis vicibus manu feriendo, electricitas excitatur, corpuſculis attrahendis idonea. Quae *communicatione* electrica fiunt, in iis materia electrica ex corporibus *per ſe* electricis, quibus vicina ſunt, exiens, motus tremulos excitat ſoluendis vinculis, quibus in illis materia electrica detinetur ſufficientes. Duas igitur palmarias proprietates materiae electricae adſcribit Auctor, alteram quod tremulo motu in partibus corporis excitato, ab illis ſe expediat, alteram quod ceſſante illo motu in aequilibrium ſe componat, quae ultima proprietas procul dubio ab elaſticitate materiae huius oritur. Ex his autem principiis attractionis et repulſionis electricae phaenomena in vulgus iam nota explicat, tubum ſolum adhibens et Cl. DV FAY potiſſimum methodo uſus, eiusque ratiocinia quaedam confirmans, alia refellens. De his, pro praeſenti rei electricae ſtatu, ubi multo maiora peraguntur, quam quae hic narrantur, ſcriptaque videntur iam naſceretur, haec phyſicae experimentalis pars, aut renaſceretur potius, quam primum natam eſſe ſuperiori ſeculo patre germano GERIKIO, confiteri exteros oportet, operae pretium non videtur.

p. 375. 23. *Duorum magnetis phaenomenorum explicatio* Auctore Cl. DV TOVR *. Applicato magnete chartae ſpiſſiori, ſcobe ferrea onuſtae, et debite concuſſae, notum eſt, ſcobem certas curuas formare, in iis vero locis, quae polis magnetis reſpondent, et in quibus curuae coiturae videntur, vacua duo ſpatia relinqui. Id explicaturi ponunt vulgo materiam magneticam circa polos copioſiorem ſcobem loco pellere. Sed quo modo pellet ſcobem, quae attractionis cauſa eſſe dicitur, difficilius eſt perſpectu. Certum igitur eſt in hoc experimento, magnetem non eo modo in ſcobem

* An. 1747.

ſcobem ferream agere, ut in illam agit, cum illi nude applicatur, eam attrahit. Differt vero prius experimentum a nuda attractione, charta interpoſita et motu, qui concutiendo chartam ſcobi imprimitur. Iam magnetem, chartae ſpiſſiori inuolutum, ſcobi Auctor applicauit, reperiitque minus ſcobi adhaerere, quam ſi nudus eam tetigiſſet, ceterum legem attractionis non variari, ut imminuat magnetis in ſcobem actionem charta, aliam non faciat. Supereſt ergo, ut phaenomenon ex concuſſione deducatur. Suſpendit Auctor magnetem ſupra duo fila, ut axis horizonti eſſet parallela: ſub eo in diſtantia 3 vel 4 linearum chartam ſcobe onuſtam poſuit, qua repetitis vicibus leuiter concuſſa, ſcobs ſub polis lapidis cumulos duos et veluti monticulos formauit, quod toties accidit, quoties is ſitus lapidi datus eſt, ut axis fere horizonti eſſet parallela. Id phaenomenon, quod primum ſe obſeruaſſe credit Auctor, etſi priori contrarium videatur, ex eodem tamen principio explicat. Res omnis, quantum explicari poteſt, figuris non adhibitis, huc redit. Poſita charta, ſcobe onuſta ſupra magnetem, particulae ſcobis verſus magnetem diriguntur, idemque contingit, ſi ſcobs chartae ope infra magnetem detinetur. Id ex ſola magnetis vi attractiua intelligitur, quacumque hypotheſi illam explicemus. Sed cum alium eſſe oporteat ſitum particularum verſus magnetem directarum, ſi charta ſupra magnetem, quam ſi infra illum poſita ſit, particulae hae, dum charta concutitur, ad motum concitatae, aliter ſe illo in caſu, aliter hoc diſponent, oſtenditque Auctor, ex hoc particularum, verſus magnetem directarum, obliquo ad chartae planum poſitu *vacua* oriri, ſi verſus exteriora inclinatae ſint, ut accidit in charta ſupra lapidem poſita, *monticulos* ſi verſus interiora vergant, ut in charta infra magnetem detenta. His ergo phaenomenis explicandis opus non eſt materiam magneticam immiſcere, niſi quatenus attra-

ctio-

ctio inde deducitur. Plurimum vero, ut melius ſuccedant, facit elaſticitas chartae ſpiſſae tremulis a ſucceſſu recipiendis motibus apta.

p. 383. 24. *Anatomica obſeruatio, de morbo ventriculi mortifero, valde raro atque ſingulari*, a Cl. BARON conſcripta *. Vir quinquaginta circiter annorum, laeti atque robuſti habitus, temperamenti bilioſi, admodum vorax, ſuoque natus abdomini, ſub finem menſis Martii 1747 dolore in regione epigaſtrica fixo corripitur, cum ſatis ingrato pulſationis ſenſu coniuncto. Accedit vomitus omnium, quae aſſumuntur, ſiue ſint ſolida, ſiue fluida, dieque Aprilis ſecundo febris iungitur, quod vero utrumque ſymptoma breui tempore conſopitur. Duodecies mittitur ſanguis, et bis aegro propinatur apozema antiphlogiſticum. Poſt paucos vero dies violentus redit vomitus, quo in primis liquida ſanguine coagulato atque grumoſo et fruſtis carnoſae maſſae ſimilibus miſta euomuntur, primo intuitu partem et hepatis et tunicae ventriculi villoſae repraeſentantibus. Ad ſe quidem redire videtur aeger, ipſique etiam efflagitanti medicina datur emetica, ſed paulo poſt vehementiſſimis alui doloribus correptus atque excruciatus, d. 15 Aprilis vitam perdit. Per totum morbi decurſum nec horripilatione aut horrore, neque ſingultu, nec ulla naturalium excretionum difficultate laboraſſe aegrum, ſimul denotat Cl. BARON. Cadauer deinde ſecatur, quod totum poſt mortem emphyſemate inflatum deprehenditur. Abdomine aperto ſtatim in eius cauitate et iurulenta, quae aſſumſerat aeger, et medicamenta inteſtinis adſperſa inueniuntur. Omnia quidem viſcera apparent ſana, nec in ipſo quidem ventriculo inflammationis ſigna conſpiciuntur, eius tantum facies exterior naturali videtur eſſe albidior, et contra naturam nullus ei datur cum partibus vicinis nexus. Ve-

rum

* An. 1748.

rum enim vero, re paulo curatius indagata, inuenitur in parte dextra et anteriore curuaturae minoris ventriculi foramen, quod figuram circuli irregularis habet, diametri ſex ſeptemue linearum. Ventriculo autem exſecto et aperto ſequentia obſeruantur: 1) Parietes eius ſine inflammationis notis, albi, ſplendeſcentes et quaſi politi; tunica villoſa condenſata, et macerationis ope ſaltem apparens; foramen autem modo dictum a facie interiore multo exteriore maius, ad duas nimirum tertias; 2) Circulus ipſius foraminis durus, craſſus atque cartilagineus; 3) Inter ipſam illius circuli craſſam ſubſtantiam cauitas quaſi ſuperficialis conſpicitur, cuius fundus ab exteriore ventriculi membrana formatur, qua in re etiam ipſius circuli inaequalitatis cauſa ſita eſſe iudicatur. In hoc fundo apparet eminentia oblonga, fabae minori quoad figuram non abſimilis, a cuius latere haeret papilla, in media ſui parte perforata, per quam paruae ſanguinis guttulae exprimi poſſunt, et quae ipſa pro folliculo glanduloſo, per morbum maiore facto, centri vero illius foramen pro ductu excretorio habetur; 4) Ab illo foramine ad pylorum uſque, in interna ventriculi facie, linea alba, ſplendens, quaſi polita; 5) Pylorus ipſe plane obliteratus et deficiens, ſine dubio, uti nos quidem opinamur, ſic dictam valuulam pylori Cl. Auctor vult intellectam, in cuius loco tractus ſaltem ſanguinolenti apparent, ac ſi pylorus quaſi ſit euulſus. Ita ſe habet morbi a Cl. BARON deſcripti hiſtoria, cuius fini ſubnectitur tandem ratio, qua explicatur modus, quo ipſe morbus oriri, et mortem tandem producere potuerit. Ante duos nimirum annos praegreſſos eodem fere morbo correptus fuerat aeger. Inflammatione ventriculi tum quidem diſſipata, reliquit tamen forte partem eius ſcirrhoſam, quae iam iterum inflammata in gangraenam abiit.

p. 394. 25. *Diſſertatio de corruptione aeris in nauibus*, a Cl. BIGOT DE MAROGVES exarata *. Licet marinus aer, quod ſulphureis atque ſalinis, ut nociuis principiis, refertus non eſt, ſanitati quam maxime conuenire videatur, numeroſi tamen in nauigantibus obſeruati morbi, peculiarem quaſi aeris in nauibus athmoſphaeram pro cauſa agnoſcunt. Sub conſtrata potiſſimum nauis parte, aeque ac magno quod dicunt eius conclaui, aerem plerumque calidiorem multisque vaporibus refertum, elaſticum minus, neque mobilem ſatis reperiri, praeter inſtituta a Cl. Auctore cum thermometris experimenta, ipſe quoque ingratus, qui a ſenſibilioribus minusque adſuetis hominibus percipitur, lipothymias ſaepius producens vapor, demonſtrat, ita, ut ob concitatum aeſtum et tranſpirationem inde ſuppreſſam, quoad effectus, cuniculis ſimiles habendae ſint, hae nauium ſtationes. Haec vero aeris deprauati conditio, a repoſitis iiſdem in locis incaleſcentibus alimentis, animalibus in media nauis parte collocatis, ſordidis porro et humectatis hominum ibidem dormientium et tranſpirantium veſtimentis, vaporibus denique aquarum in fundo nauis ſtagnantium, originem ducit. Praecipue vero ad hanc aquarum corruptionem reſpiciendum eſſe, praeter id, quod illae, eductae, metalla et rubro colore tinctas nauium partes aggrediantur, oleoſa quoque atque nociua, quae eas tegit, pellicula, docet. Hi cum tranſpirante hominum animaliumque humore coniuncti vapores, ante dictas nauis partes adimplent, et aerem, in iis contentum, quarta circiter parte grauiorem reddunt, hinc eius elaſticitatem, per reiteratam multorum hominum reſpirationem iam imminutam, magis adhuc deſtruunt, et quo nociuus corpori euadat, in cauſa ſunt. Praeter fluxiones enim et rheumatiſmos, breuem reſpirationem et debilitatem muſculorum pectoris, tanquam commune morborum

* An. 1748.

borum naualium ſymptoma, obſeruauit Cl. Auctor. Valentibus hiſce cauſis, ſubita loci calidioris cum frigidiore mutatio, ſuppreſſa inde copioſior tranſpiratio, et alimentorum ſale conditorum uſus inſuper annumeranda ſunt. Ex his ſimul ſumtis, aere prae reliquis vappido, cibisque ſalitis, ſcorbutus euenit, quoad ſua phaenomena indicatus. Ad corrigendum vero corruptum impurumque aerem, praeter munditiem nauigantium puritatemque locorum, in quibus illi commorantur, aut aegrotantes decumbunt, aeris quoque ipſius ratio habenda eſt, quippe qui, per extinctos in vini aceto candentes globos, aut puluerem pyrium cum aceto ſubactum atque accenſum, et alia ſuffimigia, heterogeneis illis, quas continet, particulis priuatur, et, per utenſilia liberiori aeri per tempus expoſita, aut per aperturas admiſſus, uel ope inſtrumentorum, ventilatoris praecipue a Dn. HALES inuenti, ab Auctore deſcriptorum in infernam aeque ac conſtratam nauis partem deducitur, commouetur et renouatur.

27. *Experientiae, de plantarum in aliis, praeter terram, corporibus vegetatione, Commentarius I et II.* Auctore BONNETO, Soc. Reg. Lond. Socio *. Non modo terrae vel ſemina tradi, vel plantae immitti debent, verum etiam multas, muſco implantatas, vegetare poſſe, nunc ſatis compertum habemus atque cognitum. Non enim exiſtimetis, Cl. BONNETVM primum huius inuenti eſſe auctorem, ſed, illud a Cl. p. 420.

* Traditi fuerunt hi Commentarii iam An. 1748. Atque hinc eſt, cur ſumma horum experimentorum in Anglic. Tranſact. No. 486 p. 156 ſeq. quoque inueniatur. Et ex his deinde commentariolus in germanicam linguam translatus, habetur in *Hamburg. Magazin V Band 6tes Stück* p. 663 ſeq.

FORMEY * communicatum accepiſſe, ipſe fatetur. Veſtigiis itaque aliorum inſiſtens BONNETVS, plurima experimenta ipſemet inſtituit, quorum primaria nunc recenſebimus. Semina diuerſarum plantarum fictilibus, aliis terra, aliis muſco repletis, tradidit, atque curioſe obſeruauit, quo modo, quoque tempore illa et germinationem et vegetationem abſoluant, atque comparatione inſtituta inuenit: 1) plantas ex ſeminibus, muſco commiſſis, enatas ſemina tardius exhibere, quam illas, quae in terra creuerunt; 2) caules illarum ut plurimum hiſce eſſe longiores; 3) illos etiam maiori longe in copia in prioribus adeſſe; et 4) ſemina et fructus illarum plantarum haſce multum ſuperare. His praemiſſis cauſam porro et rationem docet, cur vegetabilia ſine terra in muſco viuere atque creſcere poſſint. Nutrientes itaque partes in aqua adeſſe affirmat, et cum haec, ſi muſco implantatae ſunt ſtirpes, diutius radicales fibras ambeat atque tangat, efficitur, ut illae facilius longiusque excreſcere poſſint. Praeter ea et aeris acceſſus ad plantae incrementum requiritur. Cum vero muſcus magis ſemper poroſus maneat, et nunquam ita compingatur, ut terra, facilius ſane aerem ad radices penetrare poſſe concludit. Et haec mollior muſci compages porro etiam cauſa eſt, cur radiculae in maiori copia formentur, harumque multitudine fructuum ſeminumque copioſior prouentus euadat. Ipſe vero muſcus, qui per aliquot tempus plantas aluit, metamorphoſin ſubit; filamenta enim eius longiora ſenſim imminuuntur, tandemque in ſubtiliſſimam aliquam quaſi terram abeunt. Praeter muſcum etiam aliis corporibus ſemina immiſit; ita ſpongiam, marinam illam plantam, vitro inditam et aqua adſperſa madefactam ſumſit, in qua etiam ſemina progerminarunt, et felici cum ſucceſſu vege-

* Hic forte eam ipſam rem apud GLEDITSCHIVM vel oculis ſuis vidit, vel modo Commentarium ea de re, ab ipſo in Conuentu Academiae praelectum, audiuit.

vegetationem oſtenderunt. Ex qua experientia, ut nouo fundamento, aquam ad nutritionem perficiendam aptam eſſe atque idoneam concludit. Varia frumentorum genera, quae ab Cl. Auctore ad haec experimenta adhibita fuerunt, occaſionem ipſi ſubminiſtrarunt, ut non modo de illorum vegetatione, ſed et de morbo ſatis ſolenni, rubigine ſcilicet frumenti, hic fuſius ageret, et in huius in primis cauſas curatius inquireret.

In *altero Commentario* noua proponuntur, pauloque diuerſa a prioribus, experimenta. Ramulos vitis viniferae duos puro muſco, unum impuro, et alium terrae immiſit, et curioſe vidit, vegetationem in puro muſco celeriorem eſſe, quam in impuro et terra. Ramulum ex impuro muſco implantauit fictili et muſco et terra ſimul repleto, et en nunc accidit, ut altero anno hic longe vegetius creſceret, quam ille, qui in puro muſco adhuc dum erat collocatus. Hinc itaque Cl. Auctor infert, muſcum ad culturam plantarum et terram fertiliorem reddendam maxime idoneum eſſe. Vltimo tandem varia experimenta inſtituit, quo ſuam, de nutritia aquae indole, prolatam ſententiam ulterius corroboraret. p. 434.

29. *Continuatio experimentorum, quae analyſin chemicam borracis declarant. Commentarius poſterior**. Cl. BARON promiſſis ſuis, quae in priori commentario dederat, ſatisfacturus, ſal ſedatiuum non eſſe productum, ex unione acidi cum aſſumta terra vitreſcibili borracis, borracem potius ex ſale ſedatiuo iam formato, et baſi ſalis communis prouenire, hic loci euincere ſtudet. Antea vero, quam demonſtrationem ſuſcipiat, et BECCHERI et HOMBERGII, quos reliqui chemici hac in re ſequuntur, aſſerta examinat et falſa ea eſſe declarat. Experimenta vero, quae ſententiam Auctori probatam, euincunt, omne ſal p. 44. p. 45.

 ſedati-

* An. 1748.

ſedatiuum, quocunque modo paratum, unius eiuſdemque indolis eſſe, ideoque illud ex borrace, tanquam praeexiſtens educi, non vero per addita acida produci, oſtendunt. Cum diuerſis igitur acidis facta ſalia ſedatiua carbonibus iniecit, et parte eorum volatili per fumum diſperſa, alteram, quae ſolidam et vitream quaſi maſſam referebat, perſiſtentem eſſe deprehendit. Has partes apparenter vitrificatas, et in aqua ſolutas, omnes in nouas cryſtallos coegit, omnia haecce ſalia, ratione ſaporis, ſublimationis, cryſtalliſationis et vitrificationis ſimilia inuenit, humiditatem aeris attrahere, omnia ſpiritus vini flam-
p. 457. mam viridem efficere, perſpexit. Acidum vitriolicum, tanquam fortiſſimum, acida alia debiliora, mineralia aeque ac vegetabilia, ex ſalibus neutris expellit; diſquirendum itaque erat, an acidum vitriolicum ex ſalibus ſedatiuis, cum diuerſis acidis factis, haec acida debiliora expelleret; ſed experimenta, accurate hunc in finem inſtituta, diuerſorum acido-
p. 458 rum expulſionem non praeſtiterunt. In priori commentario, experimentis Cl. POTT praeſentiam acidi vitriolici in borrace non demonſtraſſe Auctor monuerat, hic vero acidum, non prorſus inde borraci a noſtro denegatum, in ſale potius ſedatiuo deprehendi, per multa cum ſale ammoniaco et borrace inſtituta, hic vero non fuſius inſerenda, experimenta
p. 468. comprobatur. Tandem diuerſa ſalia ſedatiua, cum ſolutione mercurii, in ſpiritu nitri facta, tentauit et
p. 471. ea ſibi cuncta ſimilia eſſe deprehendit. Sine acidis quoque additis, ſal ſedatiuum ex borrace educere tentauit, quod quidem ſolutione borracis, in ſpiritu vini facta, praeſtitit, quae licet flammam viridi colore tinctam oſtendat, parum tamen ſalis ſedatiui exhibuit, hinc etiam dubium primo Auctorem reliquit, num ab acido, quod chemici in ſpiritu vini conce-
p. 474. dunt, ſolutionem factam fuiſſe, aſſumi poſſit. Optimam vero huius dubitationis ſolutionem in regeneratione borracis ſe deprehendiſſe aſſerit, cum ex ſale

ſedati-

ſedatiuo et ſale ſodae, quod baſin ſalis communis, ex ſententia Auctoris ſiſtit, borracem compoſuerit. Egregie certe Cl. Auctor in his binis commentariis peritiam ſuam, in diiudicandis et faciendis experimentis chemicis, declarauit, ſimul vero, quam difficulter ſalium natura et mixtio declaretur, oſtendit, cum leuiſſima ſaepe et attentione vix digna antea viſa experiundi ratio atque enchireſis, nouas ſemper mixtorum proprietates exhibeat. Exoptamus horum commentariorum examen, a Cl. POTT, Viro in his rebus egregio, quo inde adducta ab Auctore experimenta aut emendentur aut confirmentur.

29. *Diſſertatio Cl.* BONNET *de verme Latinis Taenia, Gallis* ſolitaire *dicto, qua de nouo ad inſectum illud ex inteſtinis expellendum dicitur arcano, quod felices edidit effectus. Iunguntur quaedam ſimul obſeruationes de hoc inſecto factae.* In *prima* diſſertationis *parte* medicamentum illud ſpecificum quoad externas ſuas qualitates deſcribitur, modo ſimul, quo vocari debet in uſum, et felici, quo viginti quatuor aegri in Heluetia tantum gauiſi ſunt, euentu annotato. Arcanum illud utile iam poſſidet Cl. HERRENSCHWANDS, Med. Doct. qui publici iuris illud facere pollicetur, ſimul ac res ipſius domeſticae id permiſerint. Taeniam ut plurimum viuam et totam cum parte ipſius anteriore, explicito filo non abſimili, et a Cl. HERRENSCHWANDS quoque filo appellato, abire ex aegris, obſeruauit Cl. BONNET, aegrum autem ſaepe, ſi vermis fuerit longus, ſenſum certi alicuius vacui, in abdomine orti, viriumque defectus cum quadam nauſea coniuncti per duos tresue nonnunquam dies experiri, uti hydropicis euenire ſolet, quibus aqua per paracenteſin ex corpore fuit educta. Ab ipſo autem arcani poſſeſſore poſt aliquod tempus Cl. BONNET fuit traditum, quod alterum illud taeniarum genus PLATERI dictum, fruſtatim ſaltem p. 478.

 huc

p. 482. huc uſque fuerit eiectum. In *altera* tractationis parte, quae eſt hiſtorico phyſica, ipſam vermis ſtructuram anatomicam exacte ſatis multoque ſtudio exponit Cl. BONNET. Inter alios eius generis vermes inuenit quoque, qui ab una extremitate ad alteram uſque ſerrati quaſi conſpiciebantur, inciſionibus in una parte profundioribus, quam in altera exiſtentibus. An vero certa vermium ſpecies inde conſtitui queat, determinare non vult Cl. Autor. Pars anterior expliciti fili in formam porrecta, ad cuius latera fibrillae, uti ex fibroſis plantarum radicibus, eiuſdem, ut vermis ipſius, ſubalbicantis ſcilicet coloris abeunt, tandem ſe terminare videtur in elongatam ellipſin reliqua fili parte craſſiorem, quae craſſior quoque extremitas a plurimis auctoribus pro ipſo vermis capite habita fuit, Cl. HERRENSCHWANDS autem pars tantum muci, qui internis inteſtinorum parietibus obducitur, viſa. Per ipſum vermem medium ab una eius extremitate uſque ad alteram vaſis aut canalis quaedam ſpecies producitur, ab omnibus fere auctoribus annotata. Exterior autem eius facies non ſolet eſſe conſtans atque eadem in omnibus. Nam in quibuſdam vermibus apparet ut reſticula, in aliis vero ut ſeries granulorum irregularium, prout ea appellat Cl. ANDRY, aut, uti Cl. BONNET figuram rectius reique conuenientius exprimi aſſerit, ut *filoſa ſeries corpuſculorum glanduloſorum*, quae *floris* formam habent. In ſingulis inueniuntur internodiis, ſed numerus eorum ſolet eſſe incertus, ut plurimum tamen 5 vel 6, facile autem 12, ſi aſpexeris oculo armato, in quolibet internodio conſpiciuntur, quorum tamen prae reliquis duo ſunt paulo maiora, quae intercedit foramen rotundum, *le ſtigmate* Auctori dictum. Nec eadem ſemper eorum eſſe ſolet magnitudo, forma autem eſt oualis. Color accedit ad purpureum, ſed non conſtans eſt, ordo autem illorum corpuſculorum inter ſe ſpectatorum ita ſe habet,

bet, ut figuram referre videantur, quam flores habent cum ſuis petalis. Si vermem ſuper corpus poſitum, v. g. vitrum exſiccaueris, illa paulo fiunt elatiora, ſeriem nodorum et vertebrarum quaſi efformantia, qua re Cl. ANDRY commotus, taeniae ſpeciem inde conſtituit, quam appellat *taeniam cum ſpina*. In aliis vero, uti iam iam dictum eſt, canalis ille per ipſum prorſus medium vermem exporrectus eſt, uti reſticula ſubcaerulea in quibusdam locis paulo magis eleuata atque ſubalbicans, quae primo quidem aſpectu talium, quae iam deſcripta ſunt, corpuſculorum ſeries ipſi certe Cl. BONNET viſa non fuit, ſed dein vero exſiccata eiusdem quoque, ac alterius eſſe ſtructurae, deprehenſa, praeter illa foramina, *les ſtigmates* dicta, quae inuentu non fuere facilia. Ductus autem ille medius iam deſcriptus probe diſtinguendus eſt a duobus iſtis vaſis, quae ad latera ſita ſunt, et inde quoque *lateralia* dicta. Multus tum eſt Cl. Auctor, ut de harum partium uſu diſputet, et quidnam proxime videatur accedere ad veritatem, indaget, in primis vero, ut eorum, praecipue TYSONII, oppugnet ſententiam, qui tot eſſe vermi orificia aſſerunt, quot habet in ſingulis internodiis foramina, totque ventriculos, quot adſunt corpora glanduloſa, qua tamen in controuerſia pro certo quicquam ponere Auctor noſter non audet. Corpuſcula illa glanduloſa unam ſaltem tertiam internae vermis cauitatis conſtituere videntur, reliquum vero ſpatium iuxta illa relictum innumera globulorum ſubluteorum copia eſt refertum, de quorum tamen uſu adhuc quoque diſputatur, num ſint ouula? an, quae Cl. BONNET magis arridet coniectura, capſulae materiem oleoſam a ſanguine ſecretam continentes? an talia forte granula, quae in polyporum, a TREMBLEIO deſcriptorum, corpuſculis reperiuntur? Tandem, cum hancce diſſertationem exaraſſet Cl. Auctor, tam felici eſſe ei contigit, ut inueniret, quod tam diu cum reliquis hiſtoriae natura-

 lis

lis cultoribus fruſtra quaeſiuerat, atque in taenia, quae breuibus fuit internodiis, caput detegeret, quatuor papillis perforatis, quae tubarum orificiis, aut excauatis conis calycibusue non abſimiles fuere, conſpicuum, quod hic quoque loci clare et ſatis fuſe deſcribitur. Sub finem quoque adiectae ſunt tabulae aeri inciſae, ipſas taeniae partes eleganter oſtendentes.

p. 498. *Tertia* tandem diſquiſitionis huius *parte*, eaque phyſica, quaeſtiones quaſdam de *origine* taeniae, *propagatione*, et variis eius *ſpeciebus* dirimit Cl. Auctor; porro dein, num *unicum* ſit *animalculum*, an vermium catena? *An, quando fuerit diſruptum, iterum generetur? An denique ſui generis ſolum in uno eodemque ſubiecto haerere queat?* Variis auctorum de ortu taeniae ſententiis diſcuſſis coniectura quadam Cl. Auctor diiudicat, quod ſuam ducat originem ex canibus et quibuſdam piſcibus, tinca in primis, huic vermium generi valde obnoxiis, e quorum corporibus ouula taeniae eiecta innumeris modis in corpora noſtra ingeri poſſint. Quod ad eius propagationem attinet, ad illud inſectorum genus taeniam exiſtimat Auctor eſſe referendam, quod ſine praegreſſo coitu, uti illud pedicellorum arbores obrepentium, *pucerons*, multiplicare ſeſe valeat. Quid? Quod ad Cl. LYONET accedat ſententiam, qui docuit, quo modo ouula huius vermis in ipſum iam embryonem humanum per chylum matris ad ipſius ſanguinem, et mediante hoc ad foetum tandem deduci queant. Duas tantum taeniae ſpecies admittit Cl. BONNET, unam, quae breuibus eſt conſpicua internodiis, alteram, quae gaudet longioribus. Quarta, quae mota fuit, quaeſtione controuerſiam illam multo ſtudio dirimit Cl. Auctor, num taenia pluribus minoribus ab analogia cucurbitinis dictis vermibus conſtet? Vnicum vero ſaltem eſſe animalculum ex praeſentia nunc detecti capitis et cohaerentis alimentorum canalis diiudicat.

Nam

Num parti autem diſruptae nouus vermis accreſcere poſſit, uti Cl. ANDRY aſſerit, pro certo ponere non audet Cl. BONNET. Quod autem taenia non ſemper unica ſit et ſola in uno eodemque ſubiecto, ſine omni dubio eſſe inde probat, quod Cl. HERRENSCHWANDS duos eiusdem generis vermes, quorum ſingulis ſua fuit extremitas tenuis filoſa, ex uno aegro uno eodemque tempore expulerit.

30. *De ſingulari proprietate, maiorum erucarum ſalicis, quatuordecim pedibus, duabusque caudis inſtructarum, eiaculandi liquorem* diſſerit GEERIVS *. Vanis ſaepe conaminibus illum diſquiſiuerat Cl. Auctor modum, quo haec animalcula attacta vel vexata liquorem proiiciunt, tandem autem inter capitis primum annulum anterioresque duos pedes tranſuerſalem inuenit fiſſuram. Componitur illa ex duobus labiis, ſuperiori et inferiori, quae vero, ad vſum non adhibita, ſibi inuicem imponuntur, ac orificium arcte claudunt. Hac detecta, nouis poſtmodum obſeruationibus conſtitit Cel. indagatori, ſingulare corpus in hac contineri fiſſura, quatuor conſtructum ex brachiis, cuius iconem etiam addidit. Molle illud eſt et carnoſum, colore viridi, forma irregulari, ad vtrumque latus duo adſtant brachia, ſuperius aliud, aliud inferius, quod rapide extorquetur et intumeſcit. Ope microſcopii in hiſce teneri pili et inaequalitates plures apparent, exteriorique in fine papillae elongatae ſimilis conſpicitur appendix, itidem copioſis undique conſita pilis, fuſcisque notata punctis, quae tot minora videntur eſſe foramina, humorem eructantia. Qua tamen de veritate eam ob rationem Cl. Auctor conuinci non poterat, quod erucae, per aliquod tempus in vaſis aſſeruatae, corpuſculum quidem illud, nullum vero expellerent humorem, cuius defectum ab aeris liberioris uſu denegato prouenire autu- p. 530.

* An. 1748.

autumat. Plura forte vegete viuentium horum inſectorum illuſtrabit contemplatio, nec inutilis ad hiſtoriae eorum naturalis pleniorem declarationem labor eſſet futurus, quodſi mechaniſmus, quo corpus hoc educi retroagique poteſt, per ſectionem diſquiratur.

p. 532. 31. Ab eodem Auctore alia proponitur obſeruatio, *de ſingulari millepedae vel ſcolopendrae ſpecie, quae ſub cortice vetuſtarum arborum et in muſco* deprehenditur, atque a LINNAEO Faun. Suec. n. 1264 nomine *Scolopendrae oualis, pedibus utrinque duodecim, cauda albo penicillo* deſcribitur. Magnitudine inter ſe differunt, longiſſimae lineam parum excedunt, qua propter microſcopio munire ſe debet, qui accuratius earum intelligere velit ſtructuram. Corpus ouatum eſt, caput grande, rotundum, ab vtroque latere inciſura conſpicitur, acumine antrorſum directo, ſub qua oculi latent, longae anterius adcreſcunt antennae. Corpus praeter ea articulatum vel in annulos diſſectum eſt, quorum octo ſuperius, inferius vero duodecim animaduertuntur, ut inde ſemicirculos tantum conſtituant. Pedes ſunt utrinque duodecim, ſibi oppoſiti, inferius annulis interpoſiti, ea, quae cum corpore cohaeret, pars, craſſa eſt et ſubrotunda, altera tenuior et articulata. His non abſque ſingulari ornamento octo ab utroque latere faſciculi minorum pilorum vel ſquamularum apponuntur, totidemque ipſis annulis paulo ſuperius adcreſcunt, accedunt etiam in capite anterius alii, duabus ex ſeriebus conflati, quarum altera antrorſum porrigitur et eminet, altera longitudinales lineas ſtriatas efformat, quales etiam in annulorum marginibus obſeruantur. Color fuſcus eſt, diuerſis vero in locis profunditate variat. Cauda duplicata pilis ornata eſt albidis lucentibusque. Antennae capitis ex ſeptem componuntur articulis, cylindricis, mobilibus, vltimo

timo acutiori. Ex maioribus hae ſunt, de quibus nunc diximus, ſcolopendrae, de minoribus anno-tandum, magnitudine non ſolum, ſed annulorum, faſciculorum piloſorum et pedum numero differre, ita quidem, vt ſingulare illud ſit, cum aetate nouas quoque in corpore partes progenerari, quod rario-ribus demum pauciſſimisque aliorum inſectorum exemplis conſtitit. Iuniores alere in mentem in-duxit Cl. Auctor, quo verum creſcendi modum per-diſcat. Adiectae figurae earum formam partesque accurate exprimunt.

33. *Commentarius de coeruleo pruſſico* a Cl. MENON, p. 563. Abbate, et academiae a commerciis literariis exhibi-tus *. Ex terra aluminis et particulis metallicis vi-trioli viridis per ſal alcali, cui principium inflamma-bile ope ignis iunctum fuit, praecipitatis, coeruleum pruſſicum naſcitur. Inflammabile dictum princi-pium ex animali regno, et ſpeciatim carbonibus ſan-guinis bouini, deſumi notum eſt, cur vero illud non aeque ex regno vegetabili et minerali peti queat, diſquiſitione adhuc indiget. Alcali fixum, cum in- p. 564. flammabili copioſo iunctum, hepar ſulphuris quaſi efformat, acidum vitriolicum terram aluminis et ferri particulas vitrioli, dum ſali alcalino ſe iungit, relinquit, hinc ferri particulae in aqua, oleoſo prin-cipio impraegnata, haerent, et proprium ipſis colo-rem, coeruleum ſcilicet, acquirunt; principium oleo-ſum inungit particulas ferri, ne ab acido corrum-pantur, terra aluminis baſin praebet, cui particulae ferri adhaerent. Poſt explicationem hanc propoſi-tam circa colorem, in praecipitationibus variis pro-ductum, praecipue verſatur Cl. Auctor et in cauſam p. 567. inquirit, ob quam haec praecipitata, ſi ſal alcali cum inflammabili plantarum vel minerali ſulphure calci-natum, nigrum prae ſe ferunt colorem, id, quod ex coniun

* An. 1747.

coniunctione acidi vitriolici cum principio inflammabili euenire debere exiſtimat. Acidum enim copioſum partes martiales non prorſus relinquit, et licet praecipitatum colorem quendam obſcure coeruleum obtinuerit, tamen, inflammabili principio per aerem diſſipato, in flaueſcentem iterum croci martis
p. 569. colorem tranſit. Experimentum itaque adducit, quo principium inflammabile ab acido vitriolico liberum alcalino ſali iunxit. Hepar nimirum ſulphuris, conſueto modo praeparatum, in vaſe terreo lente calefecit et vitrea virga agitauit, eodem tempore ſal ſodae in filtro ita ſuſpendit, vt fumus ſulphuris eo pertingere potuerit; ſal hoc ſodae, ſulphuris vaporibus inpraegnatum, ad conſuetam coerulei pruſſici elaborationem adhibuit et colorem coeruleum, licet pallidiorem, in aere tamen perſiſtentem obtinuit. Et haec quidem experimenta tentaminis cauſa demum inſtituta fuiſſe, ſanguinem bouis vero atque urinam, ex eo, quod acidum vitriolicum hiſce non inſit, prae reliquis aſſumi debere Auctor ipſe monet; Sal enim marinum, quod ex animali corpore deſumtis his liquidis admixtum eſt, colorem coeruleum elegantiorem reddit. Alcali vero, fixo inprimis, cineribus clauellatis, ſal ſodae depuratum ideo praeferri debere oſtendit, quod illud iam in colorem coeru-
p. 572. leum vergat. Recenſet demum experimentum ubi ioco aluminis pyritem quendam vitriolicum addidit, et egregie coeruleum colorem obtinuit; ipſe enim pyrites ferrum et terram, aluminoſae ſimilem, iam continebat.

p. 573. 34. *Commentarius alter de coeruleo pruſſico* ab eodem Auctore tranſmiſſus *. In eo nonnulla in priori commentario obſcura adhuc aut dubia viſa illuſtrantur. Cl. GEOFFROY phlogiſton ferri, quod bitumen appellat, rarefactum et a martiali terra ſeparatum,

* An. 1749.

ratum, terrae aluminoſae colorem coeruleum impertire aſſeruerat, noſter vero colorem hunc ipſis ferri moleculis tribuit, et terram aluminoſam colorem tantum minus obſcurum reddere ſtatuit. Hoc ita- p. 575.
que aſſertum ulterioribus experimentis comprobat, dum ſimilem cum antimonii regulo colorem coeruleum producere tentauit; quae tamen ulteriori omnino indagatione digna experimenta, ex eo, ut dubia hic omittimus, quod ferri abſentia in antimonii regulo confirmari ſatis non poſſit. Color autem p. 579.
coeruleus ferri, per alcali ſulphureum diſſoluti, et per acidum praecipitati, conſtans eſt, reductionem itaque particularum ferri minus neceſſariam eſſe, et ipſum praeter ea ferrum politum, carbonum flammae admotum, colorem coeruleum recipere Auctor oſtendit. Paulo poſt ad dubitationes, circa priorem p. 580.
commentarium ipſi motas, reſoluendas ſeſe conuertit. Diſquirendum nimirum erat, num alcali, quod ad experimentum (p. 569) inſtitutum aſſumſerat, purum fuerit nec ne, et num ſulphuris vapor illud penetrauerit? utrumque vero, repetitis et in vaſis clauſis inſt tatis, experimentis ita ſeſe habere cognouit; altera dubitatio pyritem concernit, ex quo (p. 572) coeruleus color productus fuit, cum tamen ille, utpote ſulphure ſcatens, praecipitata nigra efficiat. Sed Auctor experimentum omnino ſuccedere monet, dummodo ferrum in pyrite deprehendatur, cum lixiuium hoc alcalinum ferri praeſentiam in aliis quoque mineris oſtendat. Interea tamen alca- p. 585.
lini huius et inflammabilis ſalis praeparationem difficilem admodum eſſe dicit, hinc varia circa eius praeparationem, nec non, quae proportiones ingredientium et enchireſes, in coeruleo colore producendo, concernunt, hactenus recenſitis addit. Porro an p. 587.
terra quaedam alba terrae, ex alumine productae, ſubſtitui queat, diſquirit, et licet praeparationes plumbi non ſuccedant, tamen cretam ex Campania, quam

album

album pariſienſe appellant, optime cum vitriolo viridi coniungi, et reliquis poſtmodum, ut decet, obſeruatis colorem coeruleum hac ratione obtineri de-
p. 589. prehendit. Tandem colorem coeruleum, a ferro pendentem, in arte tinctoria, iam ante inuentum coeruleum pruſſicum, in uſu fuiſſe, variis experimentis illuſtrat. Ex omnibus his artem tinctoriam experimentis chemicis accuratioribus ſtabiliri et perfici omnium optime poſſe cognoſcimus.

II.

Aduerſaria anatomica, de omnibus corporis humani partium tum deſcriptionibus, cum picturis.

Aduerſaria anatomica prima, de omnibus cerebri neruorum et organorum functionibus animalibus inſeruientium deſcriptionibus et iconiſmis Auctore PETRO TARIN, Pariſiis ex typis Io. Franc. Moreau patris 1750. 4to maj. 6½ pl. Tab. XV.

Clar. TARIN in conſcribendis his anatomicis aduerſariis ſibi propoſuit varias artis anatomicae partes peragrare, diuerſas, ab auctoribus datas, partium deſcriptiones et delineationes, quantum fieri poterit, in unum colligere, eas ad naturam inter ſe comparare ac diiudicare, iis denique quaedam hinc inde addere. Cum vero non omnes, qui de anatome ſcripſerunt, propterea huius limites nouis inuentis amplificauerint aut emendationibus perfecerint, omnium, et ne quidem plurium, diſſectorum ſcripta, ſed eorum tantum, qui aliquid noui ac proprii habent, adducet et enarrabit Cl. Auctor. Ipſi autem difficile videtur, certum quendam ordinem in iſto opere perficiendo ſequi. Non enim omnes partium praeparationes ſemper ex voto ſuccedunt, ſed

quandoque modo, et interdum caſu fortuito. Quare ea ratione illum laborem perficiet, ut partium earum, quas paratas habet, aliorum de his autorum icones ac deſcriptiones tradat. Itaque licet nunc incipiat capitis organa primo loco exponere, tamen ſi eueniat, ut deinde felicius cedat viſceris cuiuſdam abdominis praeparatio, huius hiſtoria proxime ſubſequetur, et ſic in reliquis. Omnium vero viſcerum, ſingularumue harum partium expoſitionem tribus ſectionibus comprehendet, quarum prior genuinam viſceris deſcriptionem proponet, altera vero variorum auctorum de eo viſcere iconum relationem tractabit, tertia denique varias viſceris deſcriptiones perpendet.

Prima haec aduerſaria cauitatum cerebri et cerebelli hiſtoriam tantum continent, in qua exponenda ordinem ſibi prius propoſitum exacte ſeruat, primamque eius ſectionem de genuina cauitatum cerebri et cerebelli deſcriptione conſignat. Facilioris autem deſcriptionis cauſa has cauitates in figuris, tabulis prioribus tribus exhibitis, conſiderat et exhibet. Harum tabularum explicationem ſequitur ipſa illarum cauitatum deſcriptio. In hac autem ventriculos quatuor cum antiquis admittit, quos et ſatis ſubtiliter deſcribit, et ſimul varia in iis notata loca, uti ſinus tum anteriores, tum poſteriores ventriculorum anteriorum, pſalterium, ſpatium a columnis fornicem conſtituentibus, ventriculorum anteriorum lateribus externis, ſepto lucido, utrinque interceptum, vuluam, anum, infundibulum, ductum a tertio in quartum ventriculum, calamum ſcriptorium commemorat, quaedam etiam ex illis curioſius definit et auctoritate aliorum celebrium diſſectorum, additis vero horum ſaltim nominibus, adſerta ſua paſſim roborat et firmat.

In ſectione ſecunda cauitatum cerebri et cerebelli variarum iconum relationem deprehendimus. Ex

omni auctorum anatomicorum numero, prae caeteris HVNDIVM, DRYANDRVM, BERENGARIVM, CAROL. STEPHANVM, VESALIVM, EVSTACHIVM, VAROLIVM, CORTESIVM, CASSERIVM, VESLINGIVM, HIGHMORVM, BIDLOVM, WILLISIVM, BARTHOLINVM, STENONEM, VIEVSSENIVM, VERHEYENVM, RIDLEYVM, HEISTERVM, GARENGEOTVM, a BERGEN, DVVERNOIVM, LIEVTAVDVM, MORANDVM, HVBERVM, BONHOMMIVM et auctorem examinis cerebri et cerebelli, quod in hiſtoria naturali generali et particulari cum muſaei regii deſcriptione continetur, elegit et dignos habuit, quorum icones hic repeteret, illuſtraret, atque inter ſe et cum natura ipſa conferret ac compararet, ut quicquid boni, et laudabilis, et noui a quocunque eorundem ea in re actum propoſitumque ſit, primo quaſi intuitu eluceſcat.

Tertia demum ſectio varias cauitatum cerebri et cerebelli ab auctoribus datas deſcriptiones complectitur. Cum neque HIPPOCRATES, neque qui poſt hunc vixerunt philoſophi ac medici has cauitates deſcripſerint, illorum hiſtoriam a GALENO orditur, qui in cerebri diſſectione haud mediocriter verſatus fuiſſe videtur. A GALENO iterum ad VESALIVM uſque cauitatibus illis nihil fere noui acceſſit, ſi forte pauca ea excipias, quae in MVNDINI, BERENGARII et MASSAE libris leguntur. VESALIVS autem omnium primus fuit, qui in humano cerebro genuinum huius cauitatum numerum, ſitum, figuram et magnitudinem definiuit. Hunc etiam atque GALENVM plures poſt ea ſecuti ſunt, et quaecunque de iis partibus ſcripſerunt, ex horum ſcriptis depromſerunt. VAROLIVS autem atque ARANTIVS quaedam iterum addiderunt aut noua, aut prius minus diſtincte propoſita, quamuis non omnem rem perfecerint. Ab eo autem tempore, ex infinito pene diſſectorum numero, pauci admo-

admodum ſunt, quos Cl. Auctor commemorat, qui nouis inuentis harum partium et cauorum hiſtoriam amplificauerint aut exornauerint. Praeter enim ea, quae CASP. BARTHOLINVS, WARTHONVS, VIEVSSENIVS, MORGAGNIVS, WINSLOW, SENAC, GARENGEOT, a BERGEN et DVVERNOI, paſſim de ſinubus ventriculorum, infundibulo et aliis eiuſmodi annotarunt, nihil fere ab aliis profectum eſſe contendit.

Quamuis vero negandum non ſit, hunc a Cl. TARIN inceptum laborem magnam et artis anatomicae tironibus, et ipſis magiſtris utilitatem promittere, et omnino adferre poſſe, adeoque eundem laudem atque commendationem haud exiguam promereri, optandumque ſit, ut primum hocce aduerſariorum ſpecimen mox alia ſequantur, et breui omnis anatome iiſdem complectatur, tamen, ſi de modo illud opus conficiendi atque edendi noſtrum addere liceat iudicium, exiſtimamus certe, ad communiorem uſum librum iſtum in poſterum parari poſſe, ſi iconum numerus paululum imminuatur, neque promiſcue omnes, quae nouiter excogitatae ab auctoribus propoſitae ſunt, uti in hoc primo ſpecimine factum eſt, ſed eae tantum, quae bonae, atque, quod veram huius illiusue particulae conditionem exprimunt et oſtendunt, laudandae ſunt, iterum recudantur et addantur.

III.

IAC. THEOD. KLEINII Secr. Ciu. Ged. Soc. Reg. Lond. et Acad. Scient. Bonon. Sodal. Hiſtoriae auium prodromus cum praefatione de ordine animalium in genere, acceſſit hiſtoria muris alpini et vetus vocabularium animalium MSc. cum figuris, Lubecae apud Ionam Schmidt 1750. 4. 1 Alph. 9 pl. Tab. aen. 8.

Totius hiſtoriae naturalis campus ampliſſimus eſt, nec minimam eius partem animalia ſibi vindicant. Cl. KLEINIVS in eo huc uſque allaborauit, ut illorum notitiam redderet pleniorem, piſces operoſe perſcrutatus eſt, nunc auium naturam diſquirit, quarum enarrationi non parum ornamenti accedere poſſe autumauit, quodſi de animalibus in genere quaedam, eaque in ordinem redigendi methodo, praefaretur. De animalibus in uniuerſum conſtat, facultate eſſe praedita, quo libere ex loco in alium ſeſe mouere poſſint, cum autem ille per certas corporum partes, tanquam inſtrumenta peragatur, hae naturale ordinis fundamentum ponunt. Habent alia pedes, nec non corporum partes alia, quae pedum vices in ſe vel ſolae, vel cum pedibus ſimul ſuſcipiunt, mouentur alia in terra, in aqua alia, et in aere. Dantur itaque inter illa, quae pedes habent, bipedia, tetrapedia, polypedia, quae iis carent, apoda, vel ſi a motus ſpecie diſtinguere velis, volatilia, ſerpentia, reptilia, natantia. De apodis nonnullis Cl. Auctor in *Prodromo hiſtoriae quadrupedum* egit, de natantibus in *Piſcium miſſibus*, de quadrupedibus in *Hiſtoria quadrupedum*, de qua propediem plura ſumus adducturi. Interim tamen, ut ſpecimen quoddam exiſtat, quo pateat, ſecundum aſſumtam ab Auctore notam, digeri quod poſſint animalium ordines, de quadrupedum ordinibus breviter diſſerit, diſtinguendo in ea, quae pedibus cheliferis, ſ. *vngulatis*, *quorum pedum extrema vel digiti pedum undique chela cornea circumuallantur*, vel pedibus digitatis, *digitisque unguiculatis*, conſtant. Priorum familiae ſunt quatuor: 1) monochela ſ. onochela, 2) dichela; pedibus in duas chelas fiſſis, 3) trichela, 4) pentachela: poſteriorum itidem quatuor; 1) didactyla, 2) tridactyla, 3) tetradactyla, 4) pentadactyla. Praeſens autem ſcopus fuit *bipedia* tantum *aligera* conſiderare, quorum conſiderationi

tioni nomina ſcriptaque eorum praemittit auctorum, ex quibus ſe profeciſſe libere fatetur, quorum merita famaque ita comparata ſunt, ut ex eorum pariter ac KLEINII accuratis obſeruationibus non niſi limata et perfecta expectanda ſint. Diſtribuitur autem totum opus in tres partes, quarum prima de origine, altera de ordine, tertia de hybernaculis auium diſpicit. Circa originem auium quaeſtio moueri ſolet, utrum aues e terra, an vero ex aqua ſurrexerint? In utramque huius ſententiae explicandae p. 1.
cauſa ſecedere ſolent auctores partem, ex accuratius tamen conſideratis ſacrae ſcripturae verbis, quinto a creatione die ſimul cum piſcibus aues fuiſſe productas ex aqua, pro certo habet; in primis et hoc p. 5.
ſuadente aliqua partium in auibus et piſcibus conuenientia. "*Pinnas*, ait, *piſcium laterales, caudam remigem, ſquamas et veſicam aeream referunt auium alae, caudae remiges, plumae pennaeque et ſingulares prae aliis animalibus pulmones: ſic et aues uti piſces, non prout quadrupeda diuerſis, ſed unico meatu externo et lotium et ſtercus excernunt.*" In altera de ordi- p. 13
ne auium parte, praemiſſa auium, *quae ſunt animalia, bipeda, aligera, plumoſa*, definitione, in familias eaſdem, genera et tribus diuidit, ſed cum quaedam diſtinguendi notae eſſe debeant, familias a conſtructione pedum, genera a roſtris, horumque tribus vel a qualitate capitis, vel ſecundum alia corporis momenta determinat. Diffuſa vero, ne nimis exiſtat, noſtra horum generum expoſitio, non iniucundo plane lectoribus officio nos defuncturos eſſe putauimus, quodſi ex generum, quibus copioſae varietates ſubiiciuntur, deſcriptione praecipuas notas eruerimus atque in tabulae quandam formam, quo uno intuitu cuncta pateant, reduxerimus.

Tabula Methodi.

Familia I. Didactylus, nullo poſtico:

Roſtro plagioplateo, ungulis fiſſis.	*Struthio.* § 13. Collum incurvatum, alae paruae.

Familia II. Tridactylus, nullo poſtico:

Genus I. Roſtro plagioplateo.	*Struthio nothus.* § 14. Cauda nulla, corpus ovatum.
II. Roſtro carinato, in extremo adunco.	*Caſearius.* Criſta capitis cornea, craſſa, laeuis.
III. Roſtro recto.	*Tarda.* Otis alior.
IV. Capite magno, collo breui.	*Gauia.* Huc pertinet *Pardalis* et *Morinellus.* Digitus quartus ſpurius non nunquam obſeruatur.
V. Roſtro recto, longo, intus ſulcato.	*Himantopus.* Crura ſanguinei coloris, longiſſima.
VI. Roſtro ad radicem dentato, in exitu laeui.	*Oſtralega.* Pedes rubentes, ſquamati.

Familia III. Tetradactylus, digitis duobus anticis, totidem poſticis.

Genus I. Roſtro craſſo, hamato.	*Pſittacus.* § 15.
II. Roſtro recto, anguloſo, cuneiformi.	*Picus.* § 16. Lingua in apice aculeata.

III.

III. Roſtro paxilliformi.	*Cuculus.* § 17.
IV. Pedibus anomalis.	*Iſpida.* § 18.
V. Roſtro breuiſſimo, capite plumoſo.	*Tauraco.*
VI. Roſtro tenuiſſimo, cauo.	*Naſutus.* ſ. Piperivorus.

Familia IV. Tetradactylus, digitis ſimplicibus, uno poſtico.

Genus I. Roſtro uncato. *Accipiter.* § 19. in quatuor tribus diuiditur.

Tribus 1. Roſtro a radice ſtatim incuruo, uncinato. *Aquila.*

2. Roſtro in medio incuruo, uncinato. *Vultur.*

3. Roſtro breui, ex radice incuruato, acutiſſimo. *Falco.*

4. Roſtro uncinato, pedibus anomalis. *Vlula.*

II. Roſtro cultrato, uncato, radice piloſa. *Coruus.* § 28.

Mandibula ſuperior longitudinaliter fornicata, lingua bifida, pedes ſquamati. Huc refertur *Cornix.*

Genus III.	Roſtro corui, cauda longa, alis breuioribus.	*Pica.* § 29.
IV.	Roſtro depreſſo.	*Sturnus.* Digitus poſticus his plerumque longior.
V.	Roſtro obtuſe acuto, mandibula inferiori recta, ſuperiori longiori, uncinata.	*Turdus.* § 30. Huc pertinet *Merula.*
VI.	Roſtro tenui, aciebus obtuſis, digito poſtico praelongo, acuto, calcarato.	*Alauda.* § 31.
VII.	Roſtro, ut praecedentis, unguibus digitorum breuibus, aequalibus.	*Ficedula.* § 32. In tres tribus ſecedit: Tribus 1: Corpore oblongo *Luſcinia, Curruca, Motacilla.* Linn. 2. Corpore breui, trochiformi. *Trochlodytes.* 3. Pectore formicato. *Sylvia.*
VIII.	Roſtro breui, ad radicem lato, compreſſo.	*Hirundo.* § 36. Duae eius tribus ſunt: Tribus 1. Cauda aequali. *Caprimulgus.* 2. Cauda diuiſa. *Hirundo vulgaris.*
IX.	Roſtro breui, ſecante, anguloſo.	*Parus.* § 39. Mandibulae aequales, acutae.

Genus

Genus X. Roſtro trochiformi, aciebus acutis. *Paſſer.* § 40.

Sunt eius tribus quinque:

Tribus 1. *Paſſer vulgaris.*

2. Mandibula ſuperiori in medio tuberculata. *Emberiza.*

3. Roſtro coniformi, breuiſſimo. *Linaria.*

Pedes breuiſſimi.

4. Roſtro trochiformi, craſſiſſimo. *Coccothrauſtes.*

5. Roſtro trocho conico, mandibulis aequalibus. *Fringilla.*

XI. Roſtro recto, cylindrico, producto. *Scolopax.* § 46.

Roſtrum oritur baſi oſſea, mandibulae corneae, aciebus obtuſis, flexiles.

XII. Roſtro conico, vel pyramidali, breui, anguſto. *Glareola.* § 47.

XIII. Roſtro ad latera compreſſo, forti. *Rallus.* § 48.

XIV. Roſtro recto, mandibulis aequalibus. *Melliſuga.* § 49.

XV. Roſtro falciformi. *Falcator.* § 50.

Duas conſtituit tribus:

Tribus 1 Roſtro tenui, producto, falciformi. *Falcinellus.*

Huc pertinet *Certhia.*

Tribus 2. Roſtro arcuato. *Arquata.*
Comprehendit *Numenium*, *Meropem* et *Vpupam.*

Genus XVI. Roſtro breui, valido, in utraque maxilla incuruo. *Gallinaceus.* § 53.
Diſtinguuntur in ſylueſtres et domeſticos. Horum tres ſunt ordines, *Alector*, *Pauo*, *Meleagris*, illorum quatuor, *Phaſianus*, *Perdix*, *Coturnix*, *Lagopus.*

XVII. Roſtro praecedentis, pedibus breuibus, rubris, alis longis. *Columbus.* *Columba.* § 58.

XVIII. Roſtro breui, ungue medii digiti non ſerrato. *Grus.* § 60.

XIX. Roſtro recto. *Hamiota.* § 61.
Eius tres tribus ſunt:
Tribus 1. Roſtro recto, ſubulato, acutiſſimo. *Ardea.*
2. Collo breuiori, craſſo, mandibulis ſaepe crepitantibus. *Ciconia.*
3. Roſtro cochleari, vel ſinuoſo, vel conico, in extremo excauato. *Anomaloroſter.*
Huc pertinet *Platea*, *Phoenicopterus* et *Tantalus.*

XX. Roſtro elongato, paxilliformi. *Jaculator.* § 65.

Famil.

Familia V. Plottus ſ. Palmatus tetradactylus, digito poſtico ſimplici, digitis anterioribus membrana coniunctis:

Genus I. Roſtro lato. *Platiroſter* ſ. *Latiroſter.* § 67.
Gentes duas complectitur:
Gens 1. Roſtro forti, pedibus medio ventri adhaerentibus: *Anſer.*
2. Roſtro forti, pedibus uropygio proximis. *Anas.*

II. Roſtro acute vel obtuſe conico. *Coniroſter.* § 70.
Gentes habet quatuor:
Gens 1. Alis longis, pedibus breuibus. *Larus.*
Mandibularum ſtructura varia.
2. Mandibulis productis, ſerratis. *Serrator.*
Mandibula ſuperior unguiculo incuruato donata.
3. Pedibus extra hypomochlium, ano proximis. *Anomalopes* ſ. *Mergus.*
4. Mandibula ſuperiori breuiori. *Anomaloroſter.*

Familia VI. Plancus tetradactylus, omnibus pedibus coniuntis, palmipes:

Mandibula ſuperiori lata, depreſſa, inferiori ſurſum fornicata. *Plancus Gulo.* § 74.
Huc pertinet *Pelecanus* et *Onocrotalus.*

Familia

Familia VII. Plautus tridactylus, palmipes, digito nullo poſtico:

Roſtro vario, corpore ouato.	*Plautus*. § 75. Huc referuntur variae auiculae Islandicae.

Familia VIII. Dactylobus, tetradactylus, digitis lobatis, ſ. Dicroatus digitis utrinque fimbriatis, plerumque et poſtico:

Roſtro recto.

unguibus latis, podicipes.	*Colymbus*. § 77.
digitis in ſemicirculum lobatis.	*Fulica*.

Familia V. VI et VII in honorem ROB. PLOTTI, Angli, IANI PLANCI, Ariminenſis, et M. ACCII PLAVTI, Comici dictae ſunt.

Haec eſt diſpoſitio, quam in ordinandis auibus
p. 153. animo praefixam habuit Cel. KLEINIVS, ex ſeruatis auium, ut ſcribit, craniis pedibusque balſamo inunctis, cuique eam declarare paratus. Licet autem ita comparata ſit, ut ob facilitatem, notarumque, quibus corpora diſtinguuntur, euidentem demonſtrationem admodum ſeſe commendet, reticere tamen non poſſumus, vel emendanda, vel ad methodi leges hinc inde quaedam adhuc componenda ſupereſſe. Hoc unicum ſaltim monere liceat, circa determinandas ſpecies, quippe quas recenſuit tantum, non adeo ſollicitum fuiſſe, et minus recte *Anomaloroſtri* nomen duobus addidiſſe generibus Auctorem, ex eo forte capite, quod prodromum hiſtoriae ſcribere animus fuerit, excuſandus. Accedimus iam ad tertiam huius operis partem, quae hybernacula auium conſiderat, primoque loco, quaenam aues erraticae, quaeque ſint migratoriae, denique ubi nonnullae, in ſpecie

cie hirundines et ciconiae, hybernent, diſquirit*.
Erraticae illae ſunt aues, quae quotannis verno et p. 156.
aeſtiuo tempore nobis familiares ſunt, appropinquante vero hyeme, ob defectum praecipue victus loca natiua relinquunt, oculisque noſtris ſeſe ſubtrahunt, deinceps abſoluto circulo reuertuntur. Migra- p. 157.
toriae vero vocantur, quae vel aliunde ad nos veniunt, autumno ulterius migrantes, vel apud nos aeſtiuantes, verſus autumnum auolant, aut elementum mutant; appropinquante vere iterum rediturae. Sunt aliquae tandem, perennes, ſemperque praeſentes. Annotat praeterea Cl. Auctor, mundi partes indigenas vix tranſire aues, inter ſe conuenientes autem pro diuerſitate climatum, colorum aliarumque externarum conditionum, varietates aliquas experiri. Sigillatim porro, de pruſſicis auibus dicturus, reliquas tamen, quantum ex hiſtoricis momentis reſcire potuit, non praetermittit, carolinienſes, virginicas, islandicas, montium acutorum, lapponicas, i. e. americanas et ſeptentrionalium regionum aues erraticas migratoriasque conſiderans atque percurrens. In indigenarum tandem et hoſpitum auium recenſione eodem, quem recenſuimus, ordine utitur. Tandem, cum de hirundinibus atque ciconiis, ut cognitis admodum auibus nemini non conſtet, hybernas easdem habere ſtationes, vel certe hyberno penes nos tempore diſparere; exinde autem plures originem duxerint fabulae; quid veritas ſuadeat, curatius ſibi rimandum eſſe autumauit. Multis itaque magna opera conquiſitis documentis ſtatuit, aliquam hirundinum partem, vel in peculiaribus terrae, aut arborum foueis ſeſe abſcondere, vel in contignationibus aedium delitescere, vel, in primis riparias, ad arundineta

* Haec auium migratoriarum et erraticarum deſcriptio germanice antea iam inſerta legitur *in den Verſuchen und Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Dantzig* P. I num. 12 p. 407.

neta ſe conferre, arundinibusque inſidentes cum iiſdem in aquam ſeſe demergere, omnes autem condenſato ab aere externo ſanguine, lenteque in vaſis procedente, lethargo quodam opprimi; redeunte tandem vere aereque calidiori facto, et ſanguine atte-
p. 219. nuato, prodire et reuiuiſcere. In aquis demerſae tunc leuiores redditae, ſponte ſua eleuantur et aufugiunt. Diuiditur autem de hirundinibus hiſtoria in tres articulos, 1) mores hirundinum in aliis mundi partibus, 2) differentias et ſpecies hirundinum in Europa tractat, quarum quatuor, domeſticam, ruſticam, ripariam et murariam nominat; 3) mores hirundinum, intra terminos Poloniarum et Pruſſiae ſtabulantium, experientia comprobatos, diſcutit, et de his potiſſimum ſupra dicta confirmantur, additis coram magiſtratibus propoſitis variorum teſtimoniis et refutatis ridiculis nonnullorum hallucinationibus. Poſt hirundines ciconias conſiderat, et ubinam ciconiae hybernent, diſquirit. De horum autem hybernaculis, poſtquam aliorum prius ad cenſuram reuocauerit opiniones, ita Cel. Auctor ſtatuit, ut incerta adhuc eſſe iudicet, licet ex euidenti
p. 229. exemplo, quod ciconia A. 1729 ex mari Baltico glacie conſtrictis aquis, pro mortua habita, extracta, conuenientique exhibito victu per longum tempus conſeruata fuerit; non obſcure pateat, earum quoque hyberna caſtra in aquis eſſe quaerenda.

Migratoriae aues per aliquot temporis ſpatium oculos noſtros effugiunt, eſt fere par aliqua ratio cum mure alpino. Huius itaque hiſtoriam naturalem, vitae genus moresque eius perſtringentem, mantiſſae loco auium hiſtoriae adiunxit KLEINIVS.
p. 230. Alpinorum nomen habent, quod in Rhaetiae Alpibus deprehendantur, a Sabaudis marmotae dicuntur. Deſcribitur autem corporis eorum habitus, quod ſint fele corpulentiores, iuniores rufi, adulti ſubfuſci pilis rigidiuſculis, pedibus breuioribus, capite contracto,

naſo

naſo quaſi diuiſo, ore felinis pilis ſtipato, dentibus ſciuri, collo dorſoque latis, auribus decurtatis, mutilis, rotundis, oculis ſpecioſis, cauda compreſſa, piloſa, longa, digitis unguibusque ſciuri aemulis, fortioribus. Vegetabilibus et inſectis veſcuntur, catulos ponunt tres vel quatuor, ab autumno in ver uſque ſuis cauernis incluſi ſomnoque oppreſſi quieſcunt. Exinde tandem omnes, quae ab auctoribus traduntur, de frumenti collectione et artificioſa methodo ab hiſce animalibus eam ob rationem excogitata, fabulae concidunt. Vetus animalium vocabularium MSc. in fine operis ab Auctore additum, anno circiter 1420 conſcriptum eſt, atque in bibliotheca Carthuſiae in Pruſſia tandem latuit. Quatuor eius ſunt capita, Auium, Piſcium, Quadrupedum et Vermium, quorum omnium latina tantum cum germanicis ſignificationibus continet vocabula.

Figurae ſequentes exprimunt aues: Tab. 1 et 2 (ad cap. II § 30 n. 34) Turdum criſtatum, roſtro breui ad ortum lato. Tab. 3 (ad cap. II § 33 p. 73) Luſciniam. Tab. 4 (ad § 37 n. 1) Caprimulgam, Hirundinem. Tab. 5 (ad § 38 n. 2) Hirundinem, ruſticam albam. Tab. 6 (ad § 57) Anatomen Lagopi a ROBERGIO inſtitutam. Tab. 7 (cap. III § 24) Turdum muſicum paluſtrem. Tab. 8 (ad cap. III § 30) Lanium arundinum.

IV.

Specificum antidotum nouum aduerſus effectus morſus rabidi canis, febres malignas, peſti proximas, et exanthematicas varias, inflammatorias ſingultui iunctas, manias et melancholias, Medicinae Profeſſoris extraordinarii munus auſpicaturus, deſcribit et diiudicat PHIL. FRID. GMELIN, Med. Lic. Reſp. LVD. HENR. RIECKE, Diſſ. inaug. Tubing. 1750. pl. 4.

Diri

Diri ſunt iſti morbi, omnis fere medicinae vim huc uſque elidentes, contra quos Cel. diſſertationis Auctor hoc ſpecificum nouum, ab amico, PETRO COLLINSON, Soc. Reg. Londin. Socio, communicatum, in noſtris terris magis notum facere ſatagit. Ipſius inuenti dignitas atque nouitas mereri omnino videntur, quo literarum Cl. COLLINSONII particulam tranſcribamus: *Societas noſtra proxime magna curioſorum obiectorum copia locupletata eſt, e quibus primum locum occupat famoſa formula medica ex Tonqueen in China contra morſum rabidi canis miſſa, ſed applicata pariter noſtris maleficis carceribus incluſis, mortique damnatis; necat etiam febres ſummae malignitatis, peſtique proximas, doſis eſt: ſedecim grana moſchi, totidem cinnabaris, totidemque coccionellae, quam ultimam hic Londini omiſimus,* (*textus anglicus,* ſunt verba GMELINI, *habet vocabulum: Verrmillion, quod per grana ſcarlati e vermibus deriuando vertunt aliqui, alii etiam per minium, alii per cinnabarem factitiam, ego exiſtimo poſſe intelligi etiam ſub eo coccionellam,*) *mixtura haec aegrum in ſudorem coniicit per quadraginta octo horas, hacque ratione ſanationem perficit efficaciſſime, nec unquam ſic aeger ullus ſpe optati euentus excidit; propinata fuit doſi minore ad octo, decem vel duodecim grana in febribus exanthematicis, variolis praecipue maximo cum effectu, hominibus maniacis, vel mente quacunque ratione captis datum fuit ea proportione remedium, ut ſingulorum ingredientium viginti quatuor ſumerentur grana magno cum ſucceſſu; in febribus inflammatoriis, quas juges comitabantur ſingultus, ad octo, decem vel duodecim exhibitum grana effectus tantum non miraculoſos edidit. Omnis eius ſucceſſus plurimum e moſchi bonitate pendet, addiderunt aliqui pauca camphorae grana in caſibus analogis magno cum ſucceſſu; id certe maxime remedium commendat, quod ſcilicet, ubi nec iuuat aegrum, tamen neque noceat.* Huic Cl. GMELI-

GMELINIO transmiſſae remedii hiſtoriae ſubiungit ille locos ex philoſophicis Anglorum tranſactionibus, earumque num. 474 et 478, depromtos, in quibus eiusdem ſpecifici viriumque inde obſeruatarum mentio fit. Quo facto breuiter expendit morbos, contra quos remedium valere dicitur, et diuerſarum deinde, quae illud ingrediuntur, ſpecierum hiſtoriam et naturalem et medicam ſubnectit, in qua priore memoratu perquam digna eſt genuina et exacta moſchiferi animalis deſcriptio, Auctori ab amico, qui ipſe aliquot huius generis animalia diſſecuit, communicata; quae deſcriptio eo magis videtur eſſe neceſſaria et utilis, quo magis omnes fere naturalis hiſtoriae ſcriptores in deſcribendo hoc animale inter ſe diſcrepant, et quo plures laudatae medicinae effectus prae aliis ipſi moſcho adſcribuntur, quae vero apud ipſum Cl. Auctorem legi debet.

V.

DAN. WILH. TRILLERI Phil. et Med. D. et P.P.O. Conſ. Aul. Reg. Acad. Bononienſ. Sodalis. De veterum chirurgorum arundinibus atque habenis ad artus male firmos confirmandos adhibitis, occaſione loci Suetoniani. Progr. Vitembergae ex officina Schlomachiana 1749. 4. pl. 2.

Licet hoc ſchediaſma iam anno huius ſeculi quadrageſimo nono prodierit, habitae nimirum orationi, ab Illuſtri Auctore, cum munus Prof. publ. ord. in academia Vitebergenſi adiret, praemiſſum, de eo tamen, quod nouiter illud Amſtel. anno 1751 in forma 8 iterum impreſſum conſpiciamus, et quod ulteriori diſquiſitioni anſam ſuppeditauerit, in noſtris aduerſariis dicendum eſſe putauimus. Locus tentatus in SVETONII vita OCTAVII AVGVSTI cap. 80 ita ſe habet:

Coxendice et femore et crure ſiniſtro non perinde valebat, ut ſaepe etiam inde claudicaret, ſed remedio harenarum et arundinum confirmabatur. Explanatores SVETONII clariſſimi, aeque ac MERCVRIALIS et AVS. POPMA in arundinibus tantum exponendis operam collocarunt, de harenis fere incurii, in quibus tamen omnis explicationis haeret difficultas. Illae nimirum tanquam remedium morbo non aptum, neque arundinibus commode iungendum apparent. Licet enim arenae calidae in uſu veteribus fuerint, illae tamen in iis tantum, qui ab haerentibus in locis affectis humoribus oriebantur morbis, uſu veniebant. Hac vero curatione non opus erat claudicanti AVGVSTO, qui, cum, ut Ill. Auctor ex ſubſequentibus capitibus probat, in unctione atque fomentis frigidis magis quam exſiccantibus medicinis tractandus eſſet, ex pontis ruina et lapidis ictu, iniuriis in bello olim ipſi illatis SVETONIVS ibid. c. 20 ingraueſcente nunc ſenectute claudicabat. Optime huic, ſic declarato Imperatoris morbo, medebantur arundineae virgae tabulaeque, membris infirmis alligatae. Nectebantur vero membris haec fulcimenta per lora longa lata atque tenacia, habenae priſcis latinis medicis nominata, ut inde remedio habenarum atque arundinum legendum eſſe, a vero non prorſus abeſſe videatur. De ipſis hiſce habenis aeque ac tabulis, infirmis membris adhibitis, earumque materie, denominatione et uſu, diuerſis, in ſequentibus, numeroſo ſententiarum ex veteribus medicis atque philologorum ſcriptis, collecto apparatu, diſſerit TRILLERVS, ſuamque inde confirmare ſtudet ſententiam; quam tamen non omnibus placuiſſe, ſequens docet epiſtola.

VI.

GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD, M. D. Saxo Ducalis Medici Aulici et Ciuitatis Weiſſenfelſenſis ordin. Epiſtola medico critica ad D. W. TRILLERVM etc. ſuper loco quodam SVETONII ab eo tentato, Lipſ. ex Officina Langenheimiana 1750. 4. pl. 2½.

Cauſae huius diſſenſus ex variis fontibus petitae ſunt. Primo enim de ipſo morbo, talem eum fuiſſe negat, quem Ill. TRILLERVS Imperatori accidiſſe antea declarauerat. Locus enim ex cap. 20 vitae AVGVSTI antea indicatus de dextro genu, et, uti probabile videtur Cl. SPRINGSFELD, itidem de dextro crure Imperatoris in acie ſauciatis habet, ipſe deinde biographus os quoddam ſedibus ſuis defuiſſe non memorat, tribus potius oſſibus coxendice, femore atque crure AVGVSTVM perinde non valuiſſe, refert, quae certe luxationis ideam non admittunt, et inde ad arthritidem magis, eiusque ſpeciem iſchiadicum malum, coxarum morbum a CELSO cognominatum, in explicatione loci uexati, reſpiciendum eſſe, monere videntur. Praeter id vero, quod indigitato hoc morbo laborantes claudos ſaepius fieri HIPPOCRATIS et ARETAEI teſtimonio confirmetur, ipſe etiam AVGVSTVS deſtillationibus, dolore et calculo veſicae et imbecillitate digiti laborabat, nec ſemper ſed ſaepe tantum claudicabat: quae cuncta, coxendicum morbo Caeſarem obnoxium fuiſſe oſtendunt. Hoc itaque morbo affectum AVGVSTVM, arenarum ſeu harenarum remedio confirmatum fuiſſe, autumat Cl. SPRINGSFELD ex eo, quod hoc medicinae genus, in digerendis et per ſpiracula cutis eliminandis ſtagnantibus humoribus, quales et Caeſari fuiſſe ex deſtillationibus et fluxionibus ad articulos obortis, probat, commendatum a priſcis

medicis fuerit. Nec obſtat, quod calida fomenta morbus non tulerit. Bis enim Caeſarem aegrotaſſe et in priori morbo uſu harenarum confirmatum fuiſſe, alio vero tempore, poſt domitam nimirum Cantabriam, iterum et grauius quidem decubuiſſe, febre et deſtillationibus, ex iecinore vitiato, vexatum, et tunc quidem, noxium calidorum effectum expertum, per adhibitam frigidam aquam ab ANTONIO MVSA, huius remedii auctore, curatum fuiſſe, ex comparatis inter ſe SVETONII, PLINII SECVNDI et DIONIS CASSII relationibus et tradita ipſius morbi hiſtoria curationeque, pro diuerſitate temporum diſcrepante, euincitur. Hoc ordine ſi dicta ſeſe excipiant, habenas quoque locum habere vix poſſe, ſed arenas calentes, intelligendas eſſe, ob frigida, quae ſequuntur, calidis illis fomentis oppoſita, opinari liceret. Neque, quod arundinum remedium attinet, Ill. TRILLERI ſententiae ſubſcribit Doctiſſ. SPRINGSFELD. Reiecta potius quae de arundine ad ſanandos incantatos adhibita a CASAVBONO ad hunc SVETONII locum, et POPMA in CATONEM de R. R. profertur ſententia, Celeberrimi ERNESTI veſtigia ſequitur, et relicta, quam de ligneis ex arundine confectis et comprimendo loco adhibitis aſſulis, ille in nuper edito SVETONIO habet, explicatione, alteram eius, de arundine ut medicina, ita explicat ſententiam, ut, praeter impoſitas calentes arenas, arundinis cum aceto paratam radicem eiusque bulbos adhibitam fuiſſe, opinetur. Et hanc quidem medicinam in uſu fuiſſe apud priſcos medicos, PLINII, CELSI et DIOSCORIDIS teſtimoniis confirmat, quorum ultimus in coxendicum quoque dolore illam uſurpatam fuiſſe docet. Ex eo vero a Doctiſſ. TRILLERO recedit, quod arundines, tanquam inſtrumentum chirurgicum, remedii nomine inſigniri non poſſint, ad ferulas deinde et lignea fulcimenta indicanda, a latinis bonae notae auctoribus uſurpatae non reperiantur, ſententiae tandem

dem ab illo in rei demonſtrationem ex opere de re accipitraria productae, curatius ſi penſitentur, τȣ καλάμȣ vocem non per tabulas et ferulas, ex arundine factas, ſed per vincula aut ligamenta inde parata, interpretandam eſſe oſtendant. Contra indicata huc uſque monita, ſuam, quam fouet, ſententiam Ill. TRILLERVS defendit in libello, cui ſequens eſt titulus:

VII.

DAN. WILH. TRILLERI Exercitatio altera, plenior ad quendam SVETONII locum in vita AVGVSTI, de remedio habenarum atque arundinum, in qua probabilis iſta emendatio, novis argumentis valide confirmatur et a frivolis nuperi cuiusdam aduerſarii Pſeudonymi obiectionibus ſolide vindicatur, Francof. ad Moen. ap. Franc. Varrentrapp. 1751. 4. pl. 7.

Ita vero in refellendis ipſi oppoſitis argumentis verſatur celebris ille criticus, ut, poſtquam prolatam a Cl. SPRINGSFELD vel alio, quem ſub illius nomine latere autumat, de arundinibus cum aceto tritis, ſententiam a REINESIO iam pridem excogitatam, iterum vero, altera illa, quae ipſi placet, allata, relictam fuiſſe monuiſſet, ad ipſum denuo Caeſaris morbum deueniat, et ex ea quidem cauſa, de qua SVETONIVM c. 20 retuliſſe vidimus, iniuriis nimirum in bello ipſi illatis, ſiniſtram potiſſimum corporis partem infirmam AVGVSTVM nactum fuiſſe conſtituat, ita, ut corpore inde debilitatus, ſuperueniente ſenectute, varios morbos, rheumatiſmos, catarrhos et deſtillationes ad articulos relaxatos paſſus ſit, qui morbi, pro varia ſui vehementia et diuerſa coeli conditione, efficere potuerunt, ut Caeſar exinde ſaepe claudicaret, idque eo facilius contingere potuiſſe, quo frequentius humidioribus et la-

xis corporibus, articulos et ipſum os femoris luxari reponique iterum poſſe, HIPPOCRATES doceat. Ab his de natura morbi dictis, ad ipſa remedia tranſit Cl. Auctor, et poſtquam arundinis radicem, quam ipſam proprie ſic dictos bulbos non habere monet, vel ſolam, vel cum aliis prorſus, acrioribus bulbis, remixtam, a DIOSCORIDE in articulorum morbis commendari declarauerat, nec calidarum arenarum, neque aceti, arundini mixti, mentionem a SVETONIO iniici, ſimili fere modo urget, quo Cl. SPRINGSFELD in refellenda ſententia, de AVGVSTO ex pontis ruina, aut lapidis ictu claudicante, uſus fuerat. Nec unquam calentes arenas cum medicina, ex arundine parata, tanquam oppoſita ſibi medicamenta, in arthriticis morbis, neque in claudicatione a cauſa externa, ſimul adhibita, in veterum medicorum ſcriptis reperiri, refert. Licet deinde arthriticorum morborum cura chirurgicis auxiliis non perficiatur, eiusmodi tamen aegros optime etiam per externa machinamenta iuuari, immo, contra omnem quamcunque corporis infirmitatem, habenas atque tabellas uſurpatas opem tuliſſe memorat. Illam vero dubitationem, quod habenae atque arundines, tanquam chirurgica inſtrumenta, remedii nomine, a bonae notae ſcriptoribus non inſigniantur, hinc a SVETONIO ſubintellectae non fuerint, praeter alia adducta auctorum loca, exemplo ex SENECAE de Ira Lib. III c. 39 deſumto, in quo ſcalpellum remedium nominatur, remouere ſtudet. Vltimum tandem, quod confirmandum erat, diſquiſitionis momentum, ferularum et tabellarum materiem concernit, quas ex arundine factas non eſſe, neque ſub arundinis nomine medicis priſcis venire, Cl. SPRINGSFELD, in ſuae ſententiae probationem, monuerat. Licet vero CELSVS aeque ac PLINIVS aſſularum ex arundine factarum mentionem non iniiciat, neque VIDVS VIDIVS, dum illud factum fuiſſe, affirmat, auctorum teſtimo-

teſtimonia producat, inde tamen factum ipſum negari poſſe cenſendum non eſt. Illae enim ex ſcriptoribus de re accipitraria prolatae ſententiae controuerſae rite diſtinctae, quo, arundinaceas eas, membris fractis adligatas aſſulas, indicare ſtatuat, eo minus dubitare ſinunt auctorem, quo clarius, ex ſimili loquendi ratione, paenes graecos atque latinos medicos obſeruanda, et ex recenſitis ab illo THEOPHRASTI, HESYCHII, neruoſis prae reliquis PALLADII atque GALENI ſententiis apparere videtur, ferulas primum, peculiare plantae genus indicantes, uniuerſale deinde euaſiſſe omnium earum aſſularum nomen, quae ex variis plantis, ex arundine quoque conficiebantur. Noſtram de hoc argumento ſi dicere fas eſt ſententiam, ut facilem ſic et felicem appellandam eſſe putaremus Ill. TRILLERI emendationem, ſi modo de ipſo prius, quo cuncta redire videntur, AVGVSTI morbo conſtaret. Cum enim periodica illa et ſapius recurrens Caeſaris claudicatio, quae trium oſſium ſedes ſimul occupabat, ex internis potiſſimum cauſis, deſtillantibus nimirum ad infirmos articulos humoribus ortum traxiſſe videatur, quod Cl. TRILLERO non prorſus diſplicere ex altera eius exercitatione intelligimus, opus certe erat auxiliis, ipſis his proximis morbi cauſis accommodatis. Magis adhuc Cl. SPRINGSFELD coniectura confirmatur, ſi diuerſis morbi, diſtinctis temporibus aegrum inuadentibus, periodis, diuerſa quoque medicamenta adhibita fuiſſe, ex ipſa AVGVSTI hiſtoria declarari poteſt. Negandum interea non eſt, aſſulas et ferulas ex arundine factas, priſcis temporibus in uſu fuiſſe, id quod per egregium in primis PALLADII teſtimonium, optime comprobatum deprehendimus. Tandem, ſi diſquiſitis huc uſque coniecturis, tertiam addere licet opinionem, componi poſſe putamus doctiſſimorum diſſentientium ſententias, ſi, faſcias ſiue habenas ad

 conti-

continendam impoſitam, ex arundine forte paratam, medicinam claudicanti AVGVSTO iniectas fuiſſe hariolemur, ſimili modo ut CICERO de CN. OCTAVIO, de clar. Orat. c. 60, refert, eum, propter dolorem artuum, multis medicamentis delibutum, et faſciis deuinctum comparuiſſe.

VIII.

ABRAHAMI VATERI, Phil. et Med. D. ac Prof. Prim. in Acad. Viteb. Soc. Imperial. Nat. Cur. German. Angl. et Berol. Soc. atque Muſ. Reg. Praefecti. Muſeum Anatomicum proprium, in quo omnis generis nitidiſſima praeparata anatomica condita atque aſſeruata ſunt. Acceſſerunt obſeruationes quaedam Auctoris anatomicae et chirurgicae, cum praefatione LAVR. HEISTERI, Helmſt. apud Chr. Fr. Weygand, 1750. 4. pl. 20. tab. aen. 11.

Noſtris adhuc temporibus Ill. RVYSCHII nomen famaque inconcuſſa ſtetit anatomicis, quippe qui primus vaſa corporis humani et artificioſe replendi et conſeruandi docuit methodum, theſaurosque praeparatarum condidit partium. Horum autem duo potiſſimum innotuerunt, alter et prior, qui ad Ruſſos PETRI I Imperatoris cura peruenit, alter et poſterior Sereniſſimi noſtri Regis munificentia Vitebergenſi dono datus eſt academiae. Huius magni RVYSCHII diſcipulus non ſolum extitit Cel. VATERVS, verum etiam theſauri regii indicem conſcripſit, quantumue in anatome profecerit, accuratis, in eo contentis, docuit deſcriptionibus. Quid quod ipſe in arte, corporis humani partes, illo viam monſtrante, tantum praeſtiterit, ut multum poſt ſe reliquerit praeceptorem. Has autem ſibi aliorumque in uſum collegit partes, collectas ſeruauit, in ordinem digeſſit, et hocce volumine comprehendit: valetudine

ne tamen in eo edendo impeditus, Cel. HEISTERO tradidit, cuius ope nunc publice prodiit. In duos autem omnis tractatio diuiſa eſt libros, quorum alter praeparata, ſicco modo aſſeruata, ſiſtit, alter illa enarrat, quae in liquore ſpirituoſo conſeruantur: in utroque humani corporis partes illis, quae ex brutis deſumtae ſunt, anteponuntur, nec non in capita et claſſes ſubdiuiduntur. Primo itaque loco ſiſtit cadauera integra, in quibus mirandus vaſorum contextus, copioſiſſima eorum diſtributio, et truncorum origines haud aegre dignoſcuntur. Sequuntur tum capita integra, tum partium, ex capite deſumtarum, praeparationes, integumentorum nimirum mollium, externorum et internorum, cerebri et neruorum omnium. De brachialibus potiſſimum neruis notamus, eorum, a reliquis partibus ad ſubtiliores ramificationes et apices digitorum uſque in papillas continuatam, ſtudioſam ſeparationem deſcribi. Deinde oculi, aurium, colli, fauciumque numerantur partes arte paratae. Quibus abſolutis ad thoracem, et in eo contentorum viſcerum, nec non arterioſi et venoſi ſyſtematis elaborationes pergit, hisque abdominalium omnium viſcerum, et artuum ſuperiorum aeque ac inferiorum, deſcriptiones iunguntur. Eandem ſeruat normam in libro ſecundo eorum, quae in liquore ſpirituoſo conſeruantur, praeparatorum relatio, de quibus plura non addimus. Fieri tamen non poteſt, quin de ſaliuali ductu Vateriano, ad foramen coecum linguae deſinente, de quo huc uſque variae exortae ſunt diſceptationes, animaduertamus, Cel. muſei Auctorem HEISTERI adſtipulari ſententiae, non unum ſemper, ſed in minores ſaepe ductulos diuiſum eſſe canalem, ſaliuam in os deponentem. Inter haec vero praeparata haud pauca egregia ſane continentur, Cel. RVYSCHII manu exarata et Auctori dono data. Tandem de obſeruationibus anatomicis et chirurgicis annexis dicendum eſſet, omnes autem, alio iam tempore publici iuris factae, anatomes cultoribus in-

claruerunt, ſingulis icones reſpondent, partis deſcriptae indolem exhibentes. Obſ. I Exponit coniecturas de mechaniſmo, quo natura utitur in obturando foramine ouali et ductu arterioſo, occaſione foraminis oualis in corde pueri, unius circiter anni, adhuc aperto, et fibra carnoſa, tranſuerſa obducta, inſtructo. II. Nouum ductum ſaliualem in lingua infantis detectum, elucidat et confirmat, ſimulque varia obſeruata circa ductus excretorios tonſillarum ac glandulae thyroideae deſcribit. III. Continet hiſtoriam inteſtini coli inuerſi, per quatuordecim annos ex abdomine propendentis. IV. Recenſet hiſtoriam feminae per tres annos cum dimidio ſibi aliisque grauidae viſae, in cuius defunctae cadauere diſſecto tumor ouarii dextri enormis inuentus fuit. V. Lienem humanum ſtructurae celluloſae repertum et praeparatum dilucidat. VI. De utero grauido, phyſiologice et pathologice conſiderato, expoſita ſimul eius ſtructura ſinuoſa ac orificiorum, menſium et lochia fundentium, fabrica agit. VII. Proponit ſarcomatis e pudendo muliebri ſectione ſublati hiſtoriam et tumoris abſciſſi deſcriptionem. VIII. Eſt de mola praegnante, ſeu ſecundina, foetum continente, in molam verſa, abortus cauſa, cum iconibus foetuum, primis menſibus abortu reiectorum. IX. Febris tertianae dicata eſt deſcriptioni, ob empyema, e vomica pulmonis rupta, in cauitatem pectoris dextram effuſum, indeque pulmonem huius lateris compreſſum, penitusque ab officio remotum, mortem poſt ſe relinquente. X. Tractat de ſpaſmo ſingulari, in manu eiuſque digitis, ex hernia obſeruato, expoſito ſimul neruorum brachialium et cruralium coalitu peculiari atque papillarum neruearum in digitis diſpoſitione. Deſcriptus eſt ille in Diſſ. de conſenſu partium corporis humani, addita huic icon, neruorum brachialium coalitum et terminum in papillis cutaneis ſiſtit, de qua ſupra diximus. XI. Polypum naſi ex faucibus feliciter extractum, repraeſentat.

IX.

IX.

Index ſupellectilis lapideae, quam collegit, in claſſes et ordines digeſſit, ſpecificis nominibus ac ſynonymis illuſtrauit IOH. FREDERICVS GRONOVIVS. Editio altera, Lugd. Batau. apud Cornel. Haak, 1750. 8 pl. 8.

Continentur in hoc indice non lapidea tantum corpora, ſed foſſilia quoque mineralia, ea tamen parciori in copia, ut a praecipua corporum deſcriptione nomen accepiſſe videatur libellus. Secundum eam, quam Cl. LINNAEVS propoſuit, mineralia diſponendi, methodum et hic in ordinem digeſta illa fuiſſe deprehendimus, quippe quem non ſolum, ſuaſu magni BOERHAAVII, praeceptorem habuit, ſed cui etiam ſcriptum hocce nuncupauit. Quantum haec a prima opuſculi diſcrepet editione, dici non poteſt, cum illa ad noſtras non peruenerit manus. Syllabus vero ſcriptorum, quorum opera uſus eſt Cel. Auctor, praemiſſus, ſollicitum eum in diſquirendis genuinis corporum notis fuiſſe teſtatur. Ex mente itaque Cl. LINNAEI in tres claſſes diuiditur deſcriptio, quarum prima petras, altera mineras, tertia foſſilia comprehendit. In petris vitreſcentium, calcareorum et apyrorum lapidum, in mineris ſalium, ſulphurum et mercurialium, in foſſilibus concretorum, petrificatorum et terrarum fit recenſio, ea quidem ratione, ut ſpecificum cuiusuis corporis nomen adducatur, huic vero aliorum auctorum ſynonyma plerumque iungantur. In uniuerſum tamen ea tantum, quae ipſe Cel. poſſidet Auctor, deſcribuntur.

X. Ob-

X.

Obſeruationes medicae practicae. Diſſ. inaug. Praeſ. ALB. DE HALLER, M. D. P. P. etc. Reſp. auctore FRID. WILH. KLAERICH, Goetting. 1750. 4. pl. 5.

Obſeruationes medicae practicae, ſi rite ſunt conſcriptae, ſpeciminibus academicis materiem praebere videntur conuenientiſſimam, meliusque agerent ſine dubio, qui talia ſchediaſmata vi muneris crebrius conſcribendi habent occaſionem, ſi de caſibus memoratu dignis agere mallent, quam, uti non raro fieri ſolet, talia proponere, quae iam centies dicta ſunt. Cl. itaque Auctori laudem ſuam denegare nolumus, quod diſſertationi, quae ipſi ſpeciminis loco conſcribenda erat, eius quoque generis elegerit argumentum. *Prima*, quam proponit, *obſeruatio de febre* agit *ſoporoſa ſiue apoplectica tertiana remittente; altera de vehemente colica ex rheumatiſmo retrogrado orta; tertia* tandem eaque ultima *de mola vera* ſiue *ipſo ouulo humano et fecundo quidem atque utero recepto, ſed mortuo pridem ante excluſionem embryone, variam in placenta et inuolucris mutationem experto.* Ne fines nobis praeſcriptos transgrediamur, primam ſaltem enarrabimus. Vidua LXIII annorum, huc uſque ſana et ſatis robuſta, poſt prandium bene ſaturata a tribus inde horis cardialgia ſubito corripitur cum capitis atque ſiniſtri brachii tremore, perit vocis uſus, et aegra humi procumbit; accedit ſopor cum ſtertore, horror vehemens, pulſus frequens, debilis, qui in manu vero affecta debilior obſeruatur, reſpiratio difficilis, palpebrae apertae. Mittitur illico ſanguis, qui inflammatorio ſimillimus apparet, in aluum iniicitur lotio ſtimulans, datur potio reſoluens, et ceruici applicantur veſicatoria, quibus omnibus factis horror et tremor ceſſant, copioſo ſudore circa veſpe-

veſperam prorumpente. Altero die omnia modo dicta ſymptomata abſunt, quum autem cruditatum primis viis inhaerentium eſſet ſuſpicio, datur ipecacuanha, et ea quidem cum optimo ſucceſſu. Sequenti die, quae morbi erat tertia, ſatis quidem bene ſe habet, iterum tamen ipſi mittitur ſanguis, ob inflammatoriam ſanguini prima vice miſſo innatantem pelliculam, et tranſitum eius per pulmones adhuc iam impeditum viſum. Cruor nunc miſſus inflammatorius quidem apparet, multo autem minus priore. Sed a meridie eiusdem diei eadem redeunt ſymptomata, quae nudius tertius aderant, ſed longe mitiora et breuiori tempore euaneſcentia. Altero igitur die febri huic anomalae opponitur cortex peruuianus, tam felici cum effectu per aliquot dies propinatus, ut ſingularis iſte paroxyſmus ulterius non rediret, ipſaque matrona, ſenſu motuque ſiniſtro lateri affecto redditis, priſtinae ſanitati reſtitueretur.

XI.

CHRISTIAN EHRENFRIED ESCHENBACHS, *M. D. Anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Koerpers. Roſtock. bey I. Chriſt. Koppe 1750. 8. 3 Alph. 9 Bog. 18 Kupf. Taf.*

h. e.

CHRIST. EHRENFR. ESCHENBACHII, M. D. Anatomica corporis humani deſcriptio.

Non deſunt ſane anatomicae partium explicationes, vernacula quoque lingua propoſitae, harum tamen accuratam inſtituens Cel. ESCHENBACHIVS diſquiſitionem, deprehendit eas vel inſufficientes vel partium tantum nonnullarum deſcriptiones tradere. Huic autem defectui ſuccurrere ipſi animus non erat, verum WINSLOVII tantum, cum variam eius eſſe intel-

intelligeret utilitatem, anatomicam ſtructurae corporis humani expoſitionem in linguam latinam transferre, emendare, augere, in meliorem ordinem nonnulla redigere, ſubque WINSLOVII *contracti* nomine exponere intendebat. Mox mutato conſilio ſub ea, quae nunc eſt, forma comparuit liber. Deſcriptiones quidem maximam partem cum WINSLOVIO conueniunt, quaedam tamen recentiorum inuenta addita inueniuntur, nec non icones partium adiectae ex KVLMVSII tabulis anatomicis maximam partem mutuatae ſunt. Operam etiam dedit Auctor, ut omnes, propriis et adaequatis inſigniantur nominibus partes, germanicis praecipue, quarum maxima pars feliciter eſt excogitata. De utilitate partium corporis, cuius conſideratio ad anatomicum non ſpectat, nullibi fit mentio. Cum autem Winslouianas, ut monuimus, ſequutus ſit Auctor deſcriptiones, vix opus eſſe arbitramur, ut de totius operis ſpecialiori plura moneamus diſtributione. Duabus illud abſoluitur ſectionibus, quarum altera ſolida, altera fluida corporis humani conſiderat. Illa denuo in duas eſt ſubdiuiſa partes, in oſteologiam et ſarcologiam. Oſteologia oſſium recentium et ſiccorum ſtatum, ſarcologia vero glandularum, deinde viſcerum, capitis, pectoris, abdominisque naturam exponit, nec non muſculorum, vaſorum arterioſorum, venoſorum, et neruoſorum hiſtoriam complectitur. Secunda, fluida tractans, ſectio, ſanguinem et humores inde ſecretos expendit. Sunt tamen varia in propoſitis partium deſcriptionibus vel recenter ab Auctore deſcripta, vel ita comparata, ut videantur melius ab aliis iamiam
p. 43. fuiſſe propoſita. Circa oſſium geneſin, ea cartilagineа eſſe a primis initiis, et ſenſim duriorem nanciſci ſubſtantiam, ſeu ex cartilagine in os permutari aſſumitur, cui tamen opinioni varia in oſteogenia obuenientia momenta contrariari, ab aliis demonſtratum
p. 45. eſt. Syntaxis oſſium ſecundum Auctorem fit vel per articu-

articulationem, vel per ſymphyſin. Articulatio eſt
vel completa vel incompleta. Completa, quae in
vera unius oſſis in alterum immiſſione conſiſtit, vel
ſimplex eſt, ut enarthroſis et arthrodia, vel duplex,
ut ginglymus. Incompleta articulatio oſſa non im-
mediate, ſed intercedente alio corpore ſuperficiei an-
nexo, iuncta monſtrat, cuius exempla in vertebra-
rum corporibus et cornuum oſſis hyoidis cum eiuſ-
dem baſi coniunctione proſtant. Symphyſis vel
immediata eſt, ut in ſutura, harmonia, gomphoſi, vel
mediata, ut in ſynchondroſi, ſyneuroſi et ſyſſarcoſi.
In tegumentorum explicatione, cuticulae fibras ad- p. 304.
ſcribit tendinoſas, num vero ex ſubtilitate et motus
defectu earum praeſentia ſufficienter probetur, non
liquet. Vnguium originem, vel dubiam eſſe, vel p. 313.
ab epidermide deducendam autumat, cum tamen
paucis abhinc annis eorum ortum ex perioſtio eſſe,
demonſtratum ſit. (v. LVDWIGII progr. de ortu et
ſtructura unguium, Lipſ. 1748.) In pilorum hiſto- p. 315.
ria nouum eorum incrementum ita explicat, ut plu-
res bulbo adhaerere radices putet, unamque prorum-
pentem et elongatam pilum ſiſtere, quo euulſo ex re-
liquis quaedam ſuccreſcat. Glandulas omnes folli- p. 320.
culoſas intusque cauas eſſe microſcopiorum ope, nec
non nudorum oculorum adminiculo in epidermide,
glandulis oris, oeſophagi, mammarum et pſittaci po-
tiſſimum cute, conſpici ſibi quidem perſuadet, in uni-
uerſum tamen de omnibus glandulis hanc valere non
poſſe opinionem, varias ob rationes certum eſt. Me-
dullae ſpinalis deſcriptio Huberianis inuentis potuiſ-
ſet clarior pleniorque reddi. In oculi tamen hiſto- p. 391.
ria glandulae lacrymalis ductus facile detegi poſſe,
Auctor aſſerit, ſi palpebra in frigidam immiſſa aquam,
et mox retracta procul admoto tubulo tenuiori in-
fletur, licet, quae conſtantius demonſtrantur, canalis
PETITI et membranae pupillaris HALLERI, nulla fa-
cta fuerit mentio. Glandulae ſublingualis excretorii
ductus,

ductus, a WALTHERO propoſiti, non adducuntur,
cum tamen Stenoniani Whartonianique nominis me-
p.446. moria conſeruata fuerit. Pulmonum cohaeſio ad
vertebras dorſi, mediante ligamento quodam lato,
quod a poſteriori parte ad latera vertebrarum dimit-
titur, firma redditur, id vero num ſemper adſit, ana-
tomica eget confirmatione. Glandulae thymus ex-
cretorii ductus certi quidem non ſunt, cauitas tamen
interna, cuius Auctor non meminit, recentiori aetate
p. 502. defenſa fuit. Lymphatica inteſtinorum vaſa a la-
cteis, quod autumat, non diſcrepant, niſi ob diuerſos,
quos diuerſis vehunt temporibus, ſuccos. In cy-
ſtidis felleae explanatione ductus cyſt-hepatici ita
proponuntur, ac ſi demonſtratu ſint facillimi, quo-
rum tamen abſentiam accuratiores in uniuerſum ne-
gant anatomici. Poſt viſcera de muſculis ſermo eſt;
deprehendimus autem, coraco hyoideum muſculum
p. 635. *ſcapulo hyoidei* nomine inſigniri, quatuor *ſcalenos* ut
p. 663. conſtantes aſſumi, alium anteriorem, duos medios
et ex his externum alium, alium internum, quartum-
p. 734. que poſteriorem deſcribi. Flexorem breuem pollicis
manus, quem *meſothenar* vocat, plerumque in qua-
tuor faſciculos diuiſum eſſe annotat, horumque ori-
p. 781. ginem et inſertionem deſcribit. Flexori longo digito-
rum pedis ſeu perforanti plerumque alterum caput
in planta pedis ſine nomine adhaeret, cui *carnis
quadratae* nomen impertitur Auctor. In vaſorum
p. 790. ramificationibus ſuccedentes ſibi ſeries aſſumit, atque
ex ſanguiferis, ut primariis, lymphatica, deinde ſe-
roſa produci aſſerit. In ſpecialiori vaſorum deſcri-
p. 833. ptione, ut ſingulare, hoc animaduertimus, arteriam
brachialem in tres plerumque ramos diuidi, exter-
num nimirum ſiue radialem, internum ſiue cubitaeum,
et medium breuem, ſiue innominatum, qui tamen
haud raro deficit, vel ex alia vicina arteria prouenit,
ut conſtantem diſtinctionis notam non exhibeat.
p. 898. Venam azygon in arteriam ſpermaticam ſiniſtram
aperiri,

aperiri, nullibi annotatum legimus, forte ex errore typographi pro vena arteria legitur. In neruorum quorundam natura detegenda haud parum deſudarunt noſtri aeui anatomici, quorum deſcriptiones igitur Winslouianis utique praeferendae fuiſſent. Neruorum tamen ganglia ut cerebra minora conſi- p. 963.
derat Auctor. Cerebri neruorum paria, tertium, p. 969.
quartum, quintumue in ſinu cauernoſo decurrere ſtatuit, cum ex recentiorum anatomicorum obſeruationibus conſtet, ſingularibus eos durae matris plicis eſſe circumdatos. Decimo ſic dicto infra occipitali p. 996.
neruo itidem contra naturam unicum tantum, quae originem det, faſciculum adſcribit. Intercoſtalis p. 1034.
nerui nomen, quod ambiguum eſt, occaſionemque praebet confuſionis, *magnum*, aut ob ſitum ante ſpinam vertebrarum *anteſpinalem* nuncupandum eſſe autumat, eiusque originem ex quinto et ſexto pari deducit. Altera de *fluidis* ſectio recenſet tantum fluida, et definitiones eorum addit. Diuiduntur autem p. 1048.
illa in primitiua et ſecundaria, ad illa pertinet ſanguis et ſuccus nutritius ſeu chylus, ad haec omnes reliqui in corpore praeſentes ſucci. Num vero inter alia p. 1055.
tranſpirationis exiſtentia ex vapore, aeſtate potiſſimum ex capite vel corpore hominum nonnunquam prodeunte, probari poſſit, dubium. Adiectae in fine libri, praeter duplicem, germanicum et latinum indicem, icones, ex parte quidem ex optimis auctoribus deſumtae, eleganter ſatis partium naturam demonſtrant, ex parte vero maiori iure omitti potuiſſent, cum icones, niſi naturam exacte imitentur, in ideis genuinis excitandis plus damni, quam emolumenti producant.

XII.

Hamburgiſches Magazin, oder Geſammlete Schriften zum Vnterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Fünfter Band, Hamburg bey C. G. Grund und Leipzig bey A. H. Holle, 1750. 8. Alph. 1. Bog. 20. Kupf. Taf. 1.

i. e.

Promptuarium Hamburgenſe, ſiue Collectio ſcriptorum, inſtitutionis et oblectamenti gratia ex phyſica et humanioribus literis, collectorum etc. Tomus V.

Plures diuerſo tempore huius collectionis partes iamiam editas fuiſſe, neminem latet, omnesque norunt, non modo in eadem eiuſmodi proponi ſcripta, quae ad hiſtoriam naturalem et medicinam ſpectant, ſed interſperſa aliquando etiam eſſe alia, quae ad elegantiores literas tantum pertinere videntur. Sequentia igitur, lege ſancita, ex inſigni eorum numero annotabimus, breuiterque recenſebimus.

p. 69. *Part. I. Volum. V* atque *Num. 3* habetur H. BOERHAAVII *experimentorum, cum mercurio inſtitutorum continuatio*, deſumta ex Tranſact. Anglic. num. 444.

p. 79. *Num. 4.* Ex commentariis Academiae Berolinenſis an. 1745 ea repetuntur, quae MARGGRAFIVS *de ſolutione variorum metallorum, ope ſalis alcalini ſoluti*, inſtituit experimenta.

p. 113. *Part. II. Num. 1.* Habetur relatio Cl. ELLIS, *de pernicioſo ouium morbo*, quem ſcabiei ſpeciem eſſe arbitramur, ex anglico ſermone translata.

p. 143. *Num. 2. De naturali* agitur *falconum inſtinctu, ſenſuumque perturbatione, quam patiuntur.* Falconum

mores

mores et naturalis ille ad praedam capiendam inſtinctus, nec non docilitas illa, qua venatorum diriguntur ingenio, et quae ſunt alia, plurimos non modo delectant, ſed etiam in admirationem rapiunt. Ea vero omnia ſingularis quaſi intellectus atque rationis ſigna a ſenſuum, quos naturaliter habent, internorum obnubilatione et defectu oriri, declarare annititur Anonymus noſter Auctor. Lynceos habere oculos falcones, et, licet maiores ſint corpore, tamen pondere admodum leues eſſe, robur in ſolidis partibus admodum inſigne poſſidere, et in proportione corporis alis maximis inſtructos eſſe, vt res notiſſimae, hic aſſumuntur, atque inde explicatur, quare celerrime volatum exercere, et altiſſima loca petere quidem, aeris vero impetui minus reſiſtere valeant. Haec etiam cauſa eſt, cur nidos ſcopulis falcones imponant; horum enim parietibus illi contra aeris vim et iniurias defenduntur ac cuſtodiuntur. Praeter ea vero altiſſimos ſcopulos eligit falco, quo ſuis oculis omnia, quae in remotiſſimis etiam locis deprehenduntur, cernere poſſit; porro etiam illud ideo efficit, ne grandiori eiusdem nido animalia, quae ipſi praeda ſunt, deterreantur. Alae tandem maiores leue ſatis corpus diu ſine moleſtia in altiori aere ſuſtinent, ne ipſe ab aliis animalibus detegatur. Haec itaque omnia a corporis ſtructura dependere aſſumitur atque declaratur. Falco vero, ad volatum maxime procliuis auis, quieti ſenſim aſſueſcitur, idque ſequenti ratione obtinetur. Circulo ligneo, a filo pendenti, ideoque mobili, imponitur falco, qui, dum ipſe dormire incipit, a venatore hinc inde mouetur, quo ſe ſuſtentare annitatur, adeoque ad vigilandum excitetur. Plures ergo ſine omni ſomno tranſeunt dies, tandemque intellectu priuatur et a naturali indole recedit falco. Vnum modo ante actae vitae veſtigium remanet, illa nempe altiora petendi cupido; atque hinc eſt, cur

vinculis, pedibus alligatis, coercetur continuo, ſimulque velamentum oculis eiuſdem imponitur; eo enim momento, quo oculi illi non amplius obuelantur, ſtatim auolare annititur, licet nulla praeda in aere oberret. Hinc venatorum experientiae contradicit Auctor, quod nempe falco ardeam perſequatur, et potius exiſtimat, inſtinctum illum naturalem, immutatum, falconique proprium, eum ad volandum quaſi ſtimulare; quae opinio prolixius declaratur, eaque omnia, quae ad ardearum venationem pertinent, recenſentur et ita explicantur, ut appareat, ardeam a falcone nec in naturali, nec nunc in mutato ſtatu, ut praedam inſectando expeti, ſed potius eam, ut omne aliud animal ſine praeuia diiudicatione arripi atque concuti. Hanc vero, quam Auctor aſſumſit, ſenſuum perturbationem a denegato ſomno oriri poſſe, et inde certo dependere, ex plurimis aliis, quae cum falcone in venatione accidunt, phaenomenis declaratur. Sequens primarium nobis eſſe videtur. Status hic praeternaturalis quaſi huius auis eo tempore, quando plumas amittit, mutatur denuo, atque ita quidem, ut ſuae qualiscunque rationis compos iterum facta, ad venationem amplius adhiberi nequeat, cum nec ardeam, nec alia nunc volatilia, ſed ſuam potius priſtinam praedam perſequatur. Quae auium mutatio, a plumarum receſſu pendens, ulterius declaratur, pluresque aliae rationes, quae in contrarium moneri poſſent, refutantur.

p. 173. *Num. 3.* Sequitur *Relatio de farina, prope pagum, Auerſtaedt dictum, ex terra propullulante.* Et hanc farinam, ut eiuſmodi aliae plures, mineralis proſapiae eſſe, et in primis ad gypſi vel ſelenitidis calcem proxime accedere, fuſius oſtenditur; licet ratio non in promtu ſit, aere atque aqua hoc ipſum minerale ita deſtrui poſſe, ut calci videatur ſimile; aſſerti modo veritas in eo ponitur, quod in eodem

loco

loco integra ſelenitidis, *Katzenglaſs*, ſtrata repe-riantur, et praecedenti anno illud pratum, quo ve-getior inde euaderet terra, calce ſaturatum fuerit.

Num. 4. Ex ſcriptis Academiae Pariſienſis an. 1740 ea repetuntur experimenta, quae Cl. BVFFON *de denſitate lignorum* inſtituit. p. 179.

Num. 5. Siſtitur continuatio ſcripti, IOH. AR-BVTHNOT *de efficacia aeris in corpus humanum.* p. 202.

Part. III. Num. 1. Legitur *recenſio itineris, quod* Cl. GMELINVS *in Siberiam ſuſcepit*, quae ex pro-grammate, a Tubingenſi Academia euulgato, eſt mu-tuata. p. 225.

Num. 2. Communicatur epiſtola ad Dn. BOVR-GVET, qua *variae meditationes de agricultura in genere et comparatio propenſionis Gallorum et An-glorum in hanc artem* continentur; deſumta ex Mercurio Heluetico an. 1734. p. 247.

Num. 3. Exhibetur SIGISM. SCHMIEDERI *com-mentatio, cur verbena a Germanis Eiſenkraut dicatur;* ex Miſcell. Lipſienſ. Tom. IV. p. 257.

Num. tandem 6 primum euulgata hic inueniun-tur *experimenta, quae* D. HOFFMANNVS *de luce pſeudo galenae Scharffenbergenſis inſtituit.* Cum et aqua et oleo tentata haec pſeudo galena ſplendorem lucemque non amitteret, periculum fecit Cl. Auctor, an non forte acidis haec ſingularis proprietas poſſit immutari. Primum itaque acetum elegit, immuta-ta vero manſit, eademque virtute lucem exhibuit; idem etiam aqua forti atque regia adhibita obſer-uatum fuit. Cum itaque acida etiam fortiſſima, quae duriſſima alias metalla emolliunt atque de-ſtruunt, hanc pſeudo galenam immutare non potue-rint, dubitare cepit Auctor, an lux haecce cum phoſphoro, an vero potius cum electrico igne con-ueniat, in primis, cum non niſi frictione adhibita, ſplendorem oſtendat. Quo itaque haec certius in- p. 288.

 tellige-

telligeret, ſpiritum vini rectificatiſſimum adhibuit, et tunc deprehendit, lucem eodem modo exhibere pſeudo galenam, neutiquam vero ſpiritum flammam concipere; dum vero deinde ipſe ſpiritum hunc accenderet, ex illa ſcintillas prodire cognouit, ſpirituque flamma conſumto, illa denuo immutata deprehenſa fuit. Nec porro ſolutiones mercurii, martis, neque ſalia ſicca, terrae, carbones aliaque corpora aliquam effecere mutationem. Cum phoſphoris itaque hactenus cognitis minerale hocce corpus nullam habere conuenientiam, ex his ſatis conſtare, exiſtimat Cl. HOFFMANNVS, quod et porro inde declaratur, cum pſeudo galena, accenſis etiam candelis, eadem vi ac in tenebris lucem ſpargat. Ad experimenta vero haec inſtituenda neceſſario piſtillum mortarii vitreum, vel, quod eo melius eſt, phiala vitrea, aqua repleta, adhiberi debet. Odor etiam ille ſatis moleſtus pſeudo galenae in omnibus adductis experimentis nunquam debilior factus fuit, iterumque ſe ſtatim prodit, ſi modo, licet per breue admodum tempus, teratur. Plurima denique in appendice recenſentur tentamina, cum eodem corpore facta; quae omnia eundem euentum easque proprietates vel iteratis vicibus oſtendunt atque comprobant. Calcinata enim licet fuerit pſeudo galena, ſpirituque nitri ſoluta, lucem tamen exhibuit, et a ſolutione reſidua quoque pars idem praeſtitit; quod eo magis mirandum, ipſas namque lucentes particulas hic ſolutas fuiſſe, exiſtimauit Cl. Auctor, cauſamque lucis in particulis, zinco ſimilibus, quaerendam eſſe credidit; quas etiam alia occaſione inde obtinuit. Verum, ut Auctor infert, ſi zinci particulae nunc ſolutae eſſent, undenam ſplendor in maſſa, a ſolutione reſidua; et ſi ab illo haec lucendi proprietas dependet, cur non aliae zinci minerae eundem effectum edunt? Nitrum cum pſeudo galena fuſum et calcinatum aliquo modo eam

muta-

mutauit, ita tamen, ut lux ſaltem debilior appareret.

Num. 7. Legitur *commentatio de muſto*, translata ex Mercurio Heluetico an. 1737. p. 307

Part. IV. Num. 1. Translatio, ex Diario Heluetico, An. 1738 deſumta, continens *experimenta de agricultura et in primis de arborum duratione.* p. 337.

Num. 2. Sequitur I. G. KRÜGERI *Epiſtola, de flamma ignis petrefacta.* In officinis, ubi cuprum ex ſchiſto fuſione paratur, zincum non modo in flamma conſumitur, ſed illa etiam ab eodem amoene viridi colore tingitur. Zincum itaque ſublimatur in fornace; quandoque vero deprehenditur, globulos huius minimos vi follis, inſtar aquae guttulae, oris flatu motae, in lineis quaſi moueri, et hoc ſi accidit, zinci flores flammae figuram adipiſcuntur. Cum vero huius ita formati corporis partes leuiſſimum nexum habeant, deſtruuntur facile, qui vero interitus ſingulari artificio praecaueri poteſt. Caute enim ab adhaerente corpore liberata maſſa, guttulisque nonnullis vernicis, quo ſcriniarii utuntur, adſperſis, in firmum ſatis atque cohaerens corpus mutatur. Flammae vero admota haec petrefacta flamma in priſtinum ſtatum redigitur. Praeſtat etiam hoc, ita dictum, petrefactum eam utilitatem, ut hoc adhibito, ex cupro optimum aurichalcum, compoſitumque metallum, quod *Tombac* appellatur, poſſit praeparari. p. 361.

Num. 4. C. MYLII *Deſcriptio ſingularis fungi.* Hic, ut primum apparuit, ſtellae inſtar terram obtegebat, ex cuius medio rotundum, ſuperne et inferne paulo compreſſum oriebatur corpuſculum, quod apice perforato atque acuto terminabatur. Stellae radii ut plurimum erant ſeptem. Conſtat illa ex triplici lamina, quarum media alba eſt atque tenax, ſuperior inferne quoque albeſcit, ſuperne vero fuſco p. 403.

colore tingitur, haec tenera eſt atque friabilis, inferior lamina reticularis, interne gryſea, externe, ubi terram attingit, tota pilis minutiſſimis, bruno colore conſpicuis, et terreis moleculis ornata, deprehenditur. Corpus illud medium nigro pedunculo inſiſtit, qui in media ſtellae lamina terminatur. Corpus medium cingit lamina tenera quidem, aſt ſatis tenax, et ſuperne in conum truncatum finitur, inque hoc loco lamina interne plurimas efficit rugas. Praeterea conus nigro ut plurimum colore tingitur, et puluere conſpurcatus deprehenditur. Interna huius medii corporis lamina denſa eſt, et tenui tomento, nigro colore praedito obducitur, quod etiam totam internam cauitatem replet; et in hac molliori compage puluis ſubtiliſſimus atque nigricans; inprimis ſi perfectam maturitatem adeptus eſt fungus, reperitur. In centro cauitatis oblongum atque teres, ſatis denſum columnare corpuſculum inuenitur. Atque ita fungus apparet, ſi perfectus eſt. In iuniori vero planta alia quodam modo facies; tunc enim ſtellaris illa radix terra adhuc includitur, globumque repraeſentat, eſt tamen inferius iam in plures partes diuiſa, maturitatis vero tempore ſtella in medio eleuatur, et radii inferiora petunt, ita ut ſuperficies ſuprema eleuata et conuexa, inferna depreſſa atque concaua ſit. Medium illud rotundum corpus a naturali figura recedit, dum marceſcit, et appendix illa conica nunc magis aperta apparet. Si hoc ipſo tempore rotundum illud corpus premitur, proſilit per aperturam ſubtiliſſimus puluis, vi vero externa ceſſante, iterum ſe contrahit apertura, preſſione antea ampliata, hic vero puluis alias etiam propria elaſtica vi expellitur. Si plenarie fungus marcidus inuenitur, radii ſtellae ſuperiora verſus diriguntur, ita ut arctiſſime corpori medio appreſſi appareant. Puluerem egredientem ſemina eſſe, Cl. Auctor etiam exiſtimat, ſimulque monet, hanc plantam ad illud fungorum genus eſſe referen-

ferendam, quod lycoperdon* vocari ſolet, atque ſpecifico nomine dicitur *Lycoperdon apertura elaſtica, radice ſtellata.* Additae icones omnem deſcriptionem egregie illuſtrant.

Hanc tractationem excipit *Num. 5* I. F. LIEBEROTHII *Commentarius de lapidum incremento.* Lapidum modo duo dari genera, et calcareos et quarzoſos, Cl. Auctor exiſtimat, multumque prioris in aqua pluuiali adeſſe aſſerit. Guttula enim pluuiae, vitro polito excepta et citiſſime euaporata, inſignem lapidum relictorum copiam offert, multoque maiorem adhuc quantitatem lapidoſae materiae in aqua fontana reperiri docet. Cum itaque aqua lapidum materiam in ſe contineat, ex ea ipſa etiam lapides vere generari poſſe, concluditur, qui etiam in ipſo generationis actu alias ſaepe res ſibi uniunt atque includunt; inde vero petrefactio animalium et plantarum, ut Auctor exiſtimat, intelligitur. Non autem ſemper neceſſarium eſt, ut aqua euaporet, ſed cum particulae illae lapidoſae aqua ſint grauiores, pondere ſuo fundum petunt, ad ſe inuicem accedunt, cohaerent, et ita lapidem gignunt. Licet itaque argilla atque arena, ut elementa lapidum a variis aſſumta fuerint, ideo tamen haud firmo niti fundamento hancce ſententiam exinde clarum eſſe arbitratur, quia omnes lapides p. 413.

* Fungus nunc deſcriptus, ut rarus admodum, vel incognitus exhibetur; notiſſimum vero illum botanicis eſſe, patebit MICHELIVM euoluenti. Ibi enim Tab. 100. eiuſmodi fungi delineantur plures, qui huic deprehenduntur ſimillimi; horumque genus ab eodem *Geaſter*, quaſi terreſtrem ſtellam diceres, appellatur. Sunt aliquae notae, quae noſtrum fungum ab illis diuerſum reddunt; Verum etiam id perpendendum, MICHELIVM non totius plantae deſcriptionem exhibere voluiſſe, ſed eos modo characteres adduxiſſe, qui ad genus definiendum pertinent. In eo vero rem acu tetigit Cl. Auctor, quod eum ad lycoperdon retulerit. Geaſter enim nunc ut ſpecies lycoperdi conſideratur.

des vitreſcentes eſſe debere, inde conſequeretur. Et ſi etiam forte vitreſcentes lapides ex his corporibus oriantur, tamen calcarei eandem originem habere nequeunt; ſed hi, dum in venis horizontalibus, *Flœtzweiſe*, excurrunt, ex aqua generantur. In ulteriorem hypotheſeos confirmationem varia nunc terrarum loca, eorumque lapides in ſuis ſtratis conſiderantur; haec vero omnia, ne nimis diffuſa euadat noſtra recenſio, hic omittimus. Ad lapidum ex aqua geneſin multum temporis requiri, minimeque intra breue temporis ſpatium illos augeri poſſe, contra LESSERVM in primis poſt ea docetur. Aqua vero non modo generat lapides, ſed eos etiam deſtruit, materiamque lapidoſam ſecum rapit, ac exinde nouos lapides format. Hoc pyromachus in primis declarat. Diffractus enim ille ſi liberiori aeri exponitur, ſuperficiem aliam aſſumit, eamque mollem atque magis friabilem. Schiſtus, ſolidum corpus, ex terra erutus, poſt breue tempus finditur et in plurimas laminas abit, quae nunc eodem modo a ſe inuicem ſecedunt, ut antea ex aqua generatae fuerunt. Singulare etiam experimentum ad huius geneſeos demonſtrationem adducitur, quod rei metallicae indagator ſolertiſſimus, HOFFMANNVS, Auctori communicauit. Phialae vitreae arenam indidit, aquam ſuperaffudit, piſcemque immiſit. Aqua ſenſim ſenſimque euaporata et piſce putredine conſumto, impreſſionem corporis in arena, in lapidem quaſi mutata, inuenit, eodem modo, ut ichthyotypolithi apparent. Hoc itaque clare docere, per aquam arenam in lapidem conuerſam fuiſſe, aſſumitur, ulteriusque confirmatur.

p. 441. *Num. 6.* Iterata nouaque experimenta de *Pſeudo galena Scharffenbergenſi* communicat Cl. D. HOFFMANNVS. Aquae pluuiali immiſſa pſeudo galena et vitreo piſtillo mota, inferior piſtilli pars, ac ſi mera eſſet flamma, apparuit. Alio tempore oleum oliuarum huic minerae addidit, et terendo eam in ſubtiliſſi-

tiliſſimum puluerem redegit; idem vero erat euentus, lux paululum modo remiſſior. Separato dein fluido, nouo impulſu trita pſeudo galena, maior iterum ſplendor, ſimulque foetidus inde procedens odor denuo percipiebatur. Haec in puluerem redacta gleba et papyro excepta, plumula, ligno, digitoque commota ſcintillas ſparſit, et accenſo papyro puluis, huic adhuc adhaerens, itidem ſcintillas exhibuit plurimas.

Num. tandem 7 traditur *Formula, ſingularem coeruleum colorem parandi, qui praeparato illo terreo, intenſe coeruleo, de lapide lazuli praecipitato, et ultramarinum vulgo dicto non cedit*, hancque Cl. von BERGEN debemus. Ligno braſilienſi rubro, *Fernambock*, vitro ſatis capaci indito, aqua calida, non feruida, affunditur, et leni digeſtione ſolutio ſaturata extrahitur. Solutio haecce, dum a ligno ſeparata fuit, leni calore euaporatur, ita, ut remanens cruſta, ex purpureo bruno colore tincta, ſenſim ſenſimque arida euadat. Huic maſſae frigida dein affunditur aqua, hacque iterum ſeparata, noua additur, hocque tam diu repetitur, uſque dum brunus ille color ſenſim euaneſcit, inque coeruleſcentem tranſit. Cruſta tandem exemta et concha excepta mediante aqua, gummi, arabico forte, ſaturata inſpiſſatur, et nunc tandem coeruleſcentem illum colorem aſſumit atque oſtendit. p. 444.

Part. V. Num. 2. Continuationem ſiſtit *experimentorum de agricultura*, ex Diario Heluetico an. 1740. p. 483.

Num. 3. Cl. BVFFON *Commentarius II de lignorum denſitate*, ex Acad. Pariſ. an. 1741 in germanicum ſermonem translatus, inuenitur. p. 506.

Part. VI. Num. 1. Legitur *Epiſtola, occaſione experimentorum de agricultura conſcripta*, denuo ex Diario Heluetico an. 1740 excerpta. p. 577.

Horum-

p. 582. Horumque *Experimentorum noua*, ex eodem Diario habetur *Num. 2. continuatio.*

p. 639. *Num. 5.* Ex eodem, an. vero 1738 deſumta etiam eſt *Vitis hiſtoria.*

p. 655. *Num. 6. Epiſtola* WILLIAM ARDERON *de auditu piſcium* habetur.

p. 663. *Num. 7. Relatio breuis experimentorum de ſeminibus muſco implantatis*, quae CAROL. BONNETVS inſtituit.

p. 664. *Num. 8.* CRONWELL MORTIMER *Relatio de theologo, cum duplici lingua nato.* Vltimi hi tres articuli ex Tranſact. Anglic. num. 486 deſumti atque translati ſunt.

XIII.

Quaeſtio medica: An in morbis melancholicis purgatio per inferiora? M. RAYMVNDO DE LA RIVIERE, M. D. Praeſ. Proponebat IOAN. MAC-MAHON, in Hibern. Doct. Med. Remenſ. etc. Pariſiis 1750. 4. ½ pl.

Vti in genere craſſus humor chronicos generare dicitur morbos, ſic et idem atque terreſtris pro melancholiae cauſa habetur, quo ſi ſanguis fuerit refertus et minus inde mobilis factus, ſpiritus eiuſdem ſolent eſſe indolis, inde motus inertia, triſtitia. Cum tenues autem humores ſurſum propellat natura, et craſſos deorſum, hos quoque, ſi a naturali ſtatu recedant, per inferiora debet educere medicus, ſuccus itaque melancholicus in ramis, qui ad venam portae pertinent, reconditur, quibus obſtructis, faex iſta ad reliquas corporis partes rapitur, multorum ſymptomatum cauſa: hinc talibus aegris, inciſa prius vena, dentur ſaponacea, tumque aluum ſubducentia; euitentur autem emetica, ne laedatur cere-

cerebrum, et ſuperioribus partibus impingatur humor melancholicus. En ſchediaſmatis ſummam, ipſius morbi nec cauſas, neque curationem ſatis exponentis!

XIV.

Quaeſtio medica: An anginae gangraenoſae emeticum? Praeſide M. TVSSANO GILBERTO BOVLLAND, M. D. Proponebat ANTONIVS GARNIER, D.M. Remenſ. Pariſiis 1750. 4. pl. $\frac{1}{2}$.

Quae iam per aliquot annos et belgicas regiones et francicas depopulata fuerat epidemice graſſans angina, anno tandem huius ſeculi quadrageſimo nono urbem quoque Pariſienſem infeſtauit, infantili aetati et ſexui ſequiori in primis infenſa ſaepiusque funeſta. Ab aura ſalino ſulphurea pernicioſae mobilitatis ſparſim in atmoſphaera volitante, vimque ſuam contra corpora, quorum fibrae laxae erant, humores autem ad inſpiſſationem proni, exercente, profectum eſſe morbum, Cl. Auctor iudicat. Aegros repente corripuit gutturis calor, linguae dolor, uuula longior facta, et febris ab initio morbi perexigua fuit, macula vero alba, aphthae ſimilis, gangraenae praenuntia, amygdalarum alterutram cooperiit. Poſt tertium quartumue diem febris aucta fuit, nulla vero durities in pulſu obſeruata; os tetrum ſpirauit odorem contagioſum; humore acri et putrido tumuere glandulae; macula iſta iam cruſtoſa, breui quidem exſoluta, ſed alia, quae ſubiecerat, apparente, ſanguis fluxit e naribus; acceſſit grauedo; ulcus autem per tracheam ſerpendo, pulmones afficiens, gangraena aegros ante nonum vel decimum diem e viuis ſuſtulit. Extrinſecus non nunquam orti ſunt tumores, febris conſtitit, deglutitio illaeſa

illaeſa manſit, nulla ſitis vexauit aegros, excrementa vero nigra, foetida eiecerunt aegri. Quibus ex morbi ſymptomatibus Cl. Auctor infert, lympham primo inquinari, hancque rarefactam minima ipſam vehentia vaſcula deſtruere. Quam ob cauſam et repetitam ſanguinis miſſionem, et emeticum ex tartaro ſtibiato paratum, ſimulac febris ſe remiſerit, aegro propinandum commendat, quippe quod ultimum in primis remedium ad priſtinam coagulatis humoribus conciliandam fluiditatem, et ad noxios humores, febrim adaugentes, ex primis viis eliminandos, aptum eſſe exiſtimat, ſymptomatibus morbi adhuc tum urgentibus aut redeuntibus, modo dictam medendi methodum repetendam, et largiorem ſimul acidorum uſum, ad coercendam putredinem ſuadet.

XV.

De foetu perfecto. Diſſ. inaug. IO. GEORG. ROEDERER. Argentorat. 1750. 4. pl. 3. tab. aen. I.

Vt cuncta a tenui ſemper principio exorientia corpora in dies increſcunt, ita et homo in utero, quo uſque edatur, incrementa ſumit. Quo foetus perfectus appareat, nouem menſes in utero ille perſiſtere debuit, ſi prius naſcitur, debilis eſt, ſomnolentus, vagitum non edit, frigoris quam maxime impatiens. Perfectus foetus, capite permagno, pedibus iuſto minoribus, cute rubicunda, facie inflata ex preſſione ad oſſa peluis ſub partu, conſpicuus eſt, umbilicus ad ſemipollicem prominet, et cum funiculo in placentam protracto cohaeret corpus tenerum, flexile, in glomerem inde in utero conuolutum. Ab hac foetus perfecti deſcriptione, ad deſcribendas, ad foetum in utero pertinentes partes, ſeſe conuertit Cl. Auctor, ex quarum anatome, quae potiora nobis

bis viſa ſunt, notare hic conuenit. Chorion per celluloſam tertiam amnio iunctum, exteriori ſui facie filamentoſam inductam habet fabricam, quae prope placentam craſſior, mucoſa magis facta, poſt ipſam placentam abit, et eam utero nectit. Nulla porro inter uteri atque placentae vaſa eſt anaſtomoſis, iniecta namque materies, inter uterum atque placentam haeret effuſa; in vaccino quoque utero corticalis tantum cotyledonum ſubſtantia repleri potuit. Liquor lymphaticus in membranis contentus, foetum non tantum defendit, ſed ſub ipſo etiam partu, priuſquam membranae rumpantur, verſus uteri oſtium actus, illud ipſum dilatat. Amnii liquor foetum non nutrit, ab externa potius vi, ſub partu forte, in ſtomachum pulſus, ſpontaneo iterum naturae conamine, a nato infante euomitur, vel medicinae ope, euacuatur. Ab his ad foetus hydropici hiſtoriam et humorem coagulatum, inter membranas haerentem, deuenit Cl. Auctor, tenuem praeter ea, puri ſimilem, interiorem placentae faciem obtegentem membranam inter et ipſam placentam detentum humorem, ſe obſeruaſſe, et obortam exinde veſicam alantoidem repraeſentaſſe, refert. Vmbilicalia per celluloſam telam inter ſe nexa vaſa, quod attinet, vena in foetu humano unica, in vaccis tamen et aliis animalibus duplex, ad umbilicum unita, abdomen ingreditur, ad hepar deinde adſcendens, per omnes venae portarum ramos ſanguinem diſtribuit. GLISSONII namque canalis vena umbilicali minor, parciorem tantum ſanguinis portionem, ad cauam venam deducit. Arterioſus porro a BOTALLO dictus canalis, ipſa continuata pulmonalis arteria eſſe videtur, quippe quae, poſt datos pulmonales ramos, infra egreſſum ſubclauiae ſiniſtrae, aortae ad acutiſſimum angulum iungitur, communem cum ea truncum efficiens, deſcendentem nimirum aortam. Vmbilicales arterias, pro ipſis iliacis

iliacis continuatis habet, e quibus nimirum femorales, ſeu iliacae externae, duplo minores prioribus, lateraliter tantum diſcedant. Eas deinde, quae adultum et naſciturum hominem intercedunt, deſcribit differentias, et poſt datam methodum, qua ab HALLERO detecta pupillam obducens membrana inueniri poteſt, ad urachum tandem diuertit. Et eum quidem ſpiralem, ad veſicam potiſſimum incuruatum albicantem canalem eſſe, reperit, qui, cum membranacea ueſicae parte cohaerens, a longitudinalibus muſcularibus illis veſicae fibris conſtringitur, ita, ut incuruatus, conſtrictus, neque ad umbilicum uſque protenſus, nihil urinae admittere queat. Aenea, quae huic ſtudioſe conſcriptae diſſertationi, adiecta eſt tabula, foetus perfecti aeque ac infantis, octo dierum, diſſectum urachum repraeſentat, foetus deinde feminini perfecti genitalia ſiſtit, ouale tandem foramen, a dextri primo, deinde ſiniſtri ſinus latere exhibet.

XVI.

De variolis et morbillis tractatus phyſico mechanicus, auctore PHIL. DE VIOLANTE, Ph. et M. D. Ser. Regis Polon. Archiatro et Conſiliario, Dreſd. apud Georg. Conr. Walther. 1750. 4. Alph. 1 ſine dedic. et praef.

Conſcripſit hunc librum, uti docet in praefatione Cel. Auctor, obſeruationibus ſuis nixum, quas per multos annos in Italia, Hiſpania atque Germania conſtantes atque diuturnas habuit, ut medicos, qui vel propter ignorantiam, vel intempeſtiuam timiditatem, aegris variolarum morbo decumbentibus nec aluum ducunt ſuo tempore, neque ſanguinem mittunt, praeiudiciis liberaret. In duas partes diſpeſcitur totus liber, quarum *una* de *variolis*, *altera* de

morbillis

morbillis agit, *illius* autem *pars prior* earum *originem, deſcriptionem, cauſas* atque *eruptionis, eleuationis, maturationis* et *exſiccationis theoriam* complectitur, *poſterior* vero ipſius morbi pro diuerſis eius temporibus *curationem* ſubnectit. Quod ad illarum ſpectat originem, concedit quidem Cl. Auctor, primos fuiſſe § 2.
Arabes, qui claram atque diſtinctam variolarum morbillorumque dederint deſcriptionem, ſed, quod FREINDIVS aſſeruit, illos primam quoque iſtius morbi cognitionem habuiſſe negat, cum variis ex HIPPOCRATE, GALENO atque AETIO allatis locis comprobet, quod Graecis medicis plane non fuerit incognitus, licet hi variolarum nomine illum non inſigniuerint, ſed omnes puſtulas cutis ἐξανθήματα ſeu ἐκθύματα appellauerint, uti Latini, Graecorum exemplo adducti, papulas. Properamus ad illud libelli caput, quod variolarum cauſas exponere dicitur, multaque ſingularia continet. Variis variorum auctorum ſententiis ea de re recenſitis, quorum vero nulli ſe poſſe ſubſcribere, ait Cl. Auctor ad SYLVII tandem accedit ſententiam, qui arbitratus § 29.
eſt, ſi quanam in corporis humani parte variolarum cauſa quaerenda ſit, glandulis eam ſic dictis ſupra renalibus attribuendam eſſe. *Variolae*, inquit igitur § 30.
Cl. Auctor, *ut etiam morbilli, ab euidenti et communi cauſa producuntur, nempe a liquore illo pro atrabiliario ab antiquis habito, et in capſulis atrabiliariis contento ac reſidente; et vel ab imaginatione, vel a terrore, vel a motu corporis violento et immodico, vel a contagio, vel alia quacunque ratione commoto, atque a venis abſorpto, qui media ſanguinis circulatione liquida fere omnia contaminat, foedat, inquinat.*
Vſum earum capſularum anatomicis adhuc prorſus § 31.
eſſe incognitum, exiſtimat Cl. Auctor, cum aliquem tamen habere debeant, nullum alium praeter iam dictum ſe inuenire potuiſſe, ideoque variolarum generationi inſeruire, luculenter ſe deprehendiſſe ait.

Iudicium ea de re ſit penes alios, quamuis haec ſententia omni prorſus argumento, quo probari poſſit, deſtituta eſſe videatur, idque etiam aptum atque fir-
§ 32. mum in toto libro fruſtra quaeſiuerimus. Ad ſenium uſque aſſeruari poſſe illum humorem dicit
§ 34. Auctor, ideoque quauis aetate variolas excitari, paucas tamen guttulas magna vi agere poſſe, idque fieri eo facilius, quo praua magis humorum diſpoſitio
§ 35. antea iam adfuiſſe deprehenditur. Sanguini per truncum venae cauae liquorem ſuum communicare dicuntur illae glandulae, inde quoque dolor iſte dorſi ſingularis, isque eo maior, aut minor, quo maior minorue dicti atrabilarii liquoris copia ſanguini fuit
§ 36. affuſa. Si tum magna quoque arteria a tali labe afficitur, cerebrum quoque pati debet, unde delirium,
§ 38. capitis dolor, conuulſio et epilepſia. Animi quoque deliquium tum a ſanguine iſto conſpurcato, tum etiam ex ſuperiore ventriculi orificio variolis obſeſſo
§ 39. originem ſuam ducit. Vomitus autem non a variolis tantum, ventriculum obſidentibus, fieri dicitur, ſed ab eadem materie in eius fundo ab ipſius glandulis ſeparata, cum omnes corporis glandulae
§ 43. maligni humoris ſeparationem adiuuent. Quod ſi vero quid materiae atrabilariae in capſulis remanſerit, metus omnino eſt, ne aliquando morbus redeat. Ex iis, quae attulimus, intellectu erit facillimum, quo modo reliqua morbi phaenomena ſint expoſita, cum in humore iſto atrabilario prima illorum omnium cauſa ponatur. Signa autem, quae adducuntur, et diagnoſtica et prognoſtica, ſatis teſtantur, quam probe in illis obſeruandis et intelligendis Cl. Auctor verſatus ſit, et quam ſtudioſe veterum libros legerit, et ab iis factas obſeruationes ſibi cognitas
§ 49. reddiderit. Ex eo tantum capite, quo *eruptionis* variolarum *theoria* traditur, contra eorum ſententiam, qui variolas pro morbo ſaepius habere nolunt, easque ſaepe ſine morbo obſeruari autumant, annotare

liceat,

liceat, quod venerabilis noſter ſenex, per quinquaginta annos medicinam faciens, variolas quidem viderit leniſſima febre ſtipatas, nunquam vero prorſus ea deſtitutas. *Poſterior* libri de variolis *pars* exponit regulas morbi temporibus accommodatas, ſecundum quas variolarum cura a medico debeat inſtitui. A § 112.
primo febris inſultu regimen moderate calidum obſeruet aeger, aer ipſum ambiens nec nimis frigidus ſit, neque nimis calidus; animum pathemata non perturbent, nec multis aeger colloquiis defatigetur.
Victus ſit paucus, tenuis, temperans, farinaceus; exu- § 113.
let omnis animalis. Pro potu propinari debet aegro ptiſana; caue tamen, ne nimis ſit refrigerans. Me- § 117.
dicamenta dentur ipſi febri accommodata, quae niſi vehemens ſit, ſymptomatibus mitioribus, nec reliqua ſigna aliquid maligni portendant, omne cura- § 118.
tionis negotium naturae relinquendum eſt. Longe vero aliter res ſe habet, ſi febris eiusque ſymptomata ſaeuiunt, ideoque malignae metuendae ſunt § 119.
variolae, tum illico mittatur ſanguis, et leni, ſed ſatis tamen efficaci medicamento aluus ducatur, cui altero die poſt, ſi eruptio nondum facta ſit, iungantur clyſteres, quibus auxiliis ipſam morbi criſin et faciliorem fieri, et variolarum eruptionem egregie iuuari aſſerit Cl. Auctor, idque inde probat, quod § 122.
in tali ſanguinis aeſtu fere ſemper ipſa ſibi natura ſuccurrat, ſanguinis profluuio per nares excitato, conſultius autem eſſe, iuuare ipſam, ne ab humorum ſarcina opprimatur. Si iam tertio quoque ab initio morbi die ad aegrum vocetur medicus, uti ſaepe fieri ſolet, et ſparſim iam appareant papulae, ſymptomata vero cum febre adhuc urgeant, laxantia, clyſteres, et ipſa quoque venae ſectio locum habent, tutoque adhibentur. *Eruptio* enim, inquit Cel. Auctor, *unius vel alterius maculae nullo pacto medicum ab eo, quod opus eſt, retardare debet, ob vanum inuertendae criſis timorem, quia una vel altera ma-*

cula erupta non eſt criſis principium, ſed tantum
§. 133. *ſignum futurae criſis.* In omni quoque regione et quolibet anni tempore modo dicta methodus locum habet. Infantibus autem puerisque, qui quintum aetatis ſuae annum nondum attigerunt, hirudines cruribus applicatae ſanguinis miſſione tutiores ſunt, aetate vero paulo prouectioribus cucur-
§. 120. bitulae, cute prius ſcarifata. Nihil etiam timendum eſt mali, ſi una atque altera, quae iam iam prodierat, variola iterum euaneſcat, iuſto quippe tempo-
§. 129. re reditura. Cum variolae etiam ante quartum diem erumpentes Cel. Auctori ſemper viſae fuerint ſuſpectae, eo maiorem ab illa modo dicta methodo pollicetur utilitatem, in qua maiore ſanitatis ſpe aegrum, poſt illas euacuationes inſtitutas, eſſe aſſe-
§. 130. rit. Motu humorum ſic temperato, dentur ad expulſionem iuuandam lenia paregorica cum abſorben-
§. 137. tibus mixta, ſudore autem proueniente terrea tan-
§. 132. tum, ante ipſam vero expulſionem diaphoretica, in primis calidiora prorſus omittantur, quae poſt il-
§. 141. lam quoque, ſi febris adhuc praeſens ſit, fugienda
§. 128. ſunt. A morbi quandoque initio accedit diarrhoea, quae, ſi moderata eſt, toleranda erit, atque iuuanda dato rhabarbaro et clyſteribus ex lacte, aut decocto hordeaceo, cui radix tormentillae debet incoqui, ſi eruptionis tempore perſeueret diarrhoea, ideoque
§. 143. moderanda ſit et coercenda; quae auxilia quoque repeti debent, quoties intempeſtiuo tempore ven-
§. 135. tris profluuium redire obſeruatur. Cutis quoque ratio habenda eſt, quae, ſi rigida eſt, tubulis eius obſtructis, fricari debet; adhiberi etiam poteſt aquae dulcis balneum atque ſerum lactis, dum modo corpus
§. 138. antea fuerit expurgatum. Oculi ut defendantur, ab initio morbi poſt quartum uſque diem ſingulis horis leniſſime fricentur palpebrae comis abſinthii recentis, vel nodulo e ſeminis ſummach duabus partibus, unaque ſeminis carthami utriuſque contuſi in

aquam

aquam roſarum albarum immerſo abluantur. Ele- §. 142.
uatio variolarum nimis lente procedens iuuetur refracta doſi vel croci, vel radicis contrayeruae, vel ſerpentariae virginianae. Quod ſi eam vero impe- §. 143.
diat diarrhoea, haec compeſcenda eſt; probe tamen attendat medicus, num febris abſit, nec alia obſeruentur mali ominis ſigna. Tum enim inſiſtat leniter aluum ducentibus, licet euaneſcant quoque variolae, quae poſt ea rediturae ſunt, ſi quid materiae atrabilariae in renibus ſuccenturiatis relictum ſit. Euaneſcere quoque ſolent ſine metuendo damno, quando materia varioloſa per urinam cum ſedimento albo copioſo excernitur. Si in pueris ſaliuatio- §. 144.
nem excipiat diarrhoea, protinus ad rhabarbarum et clyſteres confugiat medicus, ne morbus ille mutetur in dyſentericum, ipſa quoque ſaliuatio ſola per ſe non ſufficit ad leuandum malum, ſed ſub eius §. 159.
finem dari debent laxantia. Haemorrhagia narium §. 145.
tempore eleuationis prorumpens, ſi modum excedit, nec topicis cedit, neque opiatis, venae ſectionem poſtulat et deinde temperate expellentia. Nec tum temporis expaueſcat medicus, licet variolae euaneſcant, dum modo febris abſit diraque eius ſymptomata. Quod ſi febris poſt quartum adhuc eruptio- §. 149.
nis diem permaneat, variolae, licet quoque non malae indolis eſſe videantur, pro benignis tamen haberi nequeunt, et certum dant indicium materiae putridae in viſceribus relictae, a qua materia putrida et inflammandi vi praedita, mediantibus venis reſorpta, noua febris, certe aucta, metuenda eſt, §. 148.
quae ideo quoque mere putrida cenſetur atque inflammatoria. Quam ob cauſam refrigerantibus et acidis medicamentis, et laxantibus ſaepe repetitis, et veſicatoriis applicatis oppugnanda eſt; his autem obedire neſcia ſanguinis miſſionem poſtulat, quae etiam, grauia adhuc ſi urgeant ſymptomata, repeti debet. Quamuis etiam febris mitior eſſe videatur, §. 150.

 vario-

variolae tamen ſi maneant depreſſae, vel margines et interſtitia palleſcant, ſanguis etiam, ſed non tanta copia, mitti debet, et laxantia propinari, clyſte-
§. 152. ribus vel ſuppoſitoriis ſimul adhibitis. Requiruntur etiam laxantia, ſi poſt quartum eruptionis diem variolae maneant ſeroſae, nec verum pus contineant; in quorum omnium adminiſtratione nullus medico
§. 157. debet eſſe metus, ne retrogrediantur. Methodum huc uſque recenſitam tum in primis bonam expertus eſt Cel. Auctor, cum Viennae Auſtriae medicinam faceret, eaque multos ibidem aegros maturationis tempore adiuuit, eos in primis, quos phreni-
p. 130. tis corripuerat. *Sanguis* illis aegris *extractus poſt congelationem pluries gelatinoſam pelliculam albam, vel flauo virideſcentem in ſuperficie demonſtrauit, cruor vero ſub gelatinoſa cruſta deliteſcens nullam concretionem, aut craſſitudinem ſaepe numero habebat, ſed liquidus erat, niger atque corruptae denſitatis vi-*
§. 160. *debatur.* Vrinae, ſi qua accedit, mittendae difficultatem leuat Cl. Auctor diluentibus copioſe hauſtis et blandis diureticis v. c. infuſo florum maluae
§. 161. arboreae, et ſ. p. Si alia quoque epidemiae tempo-
§. 164. re praua ſimul effloreſcant exanthemata, qualia die decimo ſexto vel ſeptimo ad formam ſeminis milii obſeruauit Auctor, eandem methodum commendat, eaque inter medias alui deiectiones euanuiſſe, aſſe-
§. 168. rit. Ad cicatrices variolarum euitandas a prima exſiccationis die nodulum ex ſale communi contuſo paratum, et in aquam florum fabarum deſtillatam intinctum cum fructu uſurpauit faciei puſtu-
§. 169. las lauando. Superato tandem omni morbo ad putridas morbi reliquias e corpore proſcribendas et aluum ſaepe ducere, et venam quoque ſecare iubet Cl. Auctor, a neglecta prae primis purgatione varia mala metuens. Cum in enarranda huius morbi curatione, quam Cel. Auctor ſuadet, ſatis multi fuerimus, copioſo nunc de morbillis faciendo ſer-

mone

mone ſuperſedere poſſumus. Vterque enim morbus natura ſua unus idemque eſſe videtur Cl. Auctori, ab una cauſa, liquore ſcilicet in glandulis ſu- §. 5.
pra renalibus haerente ortus, hac ſaltem differentia, quod non tanta iſtius humoris copia ad morbillos excitandos requiratur, quam ad variolas. Mali- §. 13.
gni quidem etiam fieri poſſunt, vel ex humorum corporis diſpoſitione, vel a contagio epidemico, quod aliquando valde vehemens obſeruatum fuit, uti anno huius ſeculi triceſimo ſecundo *Viennae* Au- §. 16.
ctori noſtro obuenerunt. *Febre valde acuta et in-* p. 152.
flammante aegrotantes adoriebantur; et in prima febris periodo morbillorum eruptio apparebat; maculae vero in hac corporis parte rubrae, in illa pallidae conſpiciebantur, cum faucium inflammatione. Secunda vel tertia febris die ſphacelus in faucibus aderat; aluus laxa erat; maculae euaneſcebant; poſtremo aegrotans breui temporis ſpatio moriebatur, tertia ſcilicet, vel ad ſummum quarta aegrotationis die. In malignis propter humorum motum nimis fero- §. 18.
cem primum ſtadium iuſto longius produci, et febris adhuc poſt eruptionem perſeuerare ſolet. Cura morbillorum illi, quam requirunt variolae, valde ſimilis, omnisque rei cardo eſt, febrim et ſymptomata moderare. Faucibus laeſis medentur gargariſmata §. 40.
cum camphora, tuſſi ferinae gelatinoſa, farinacea, delirio et comati veſicatoria, diarrhoeae, quae eruptionis tempore fit, clyſteres, quibus incoquitur radix tormentillae, illi vero criticae ſub finem morbi ortae, rhabarbarum. Suam omnino laudem meruit Cel. Auctor hoc libro, eruditionis practicae et obſeruationum valde utilium pleniſſimo, quamuis forte pauci fuerint, qui hypotheſi ipſius ſubſcribant; nec ipſi vertere volumus vitio, quod debitus ordo variis in locis deſideretur, dictioque latina nec pura ſemper, neque valde elegans ſit, cum iuſtiſſimam aetatis veniam habeat optimus ſenex, longiori adhuc vita omnino dignus.

XVII.

CAROL. AVGVSTI DE BERGEN Flora Francofurtana, facili methodo elaborata, accedunt cogitata de ſtudio botanices methodice et proprio marte addiſcendae, terminorum technicorum nomenclator et indices neceſſarii Francof. apud I. C. Kleyb 1750. 8. alph. 1 pl. 2 ½.

Quam utilis ſit ille botanicorum labor, qui plantas regionum proprias et indigenas notiores reddunt, non eſt, ut hic fuſius oſtendatur, cum certiſſimi ſimus, quemlibet ea de cauſa a Cl. Auctore ſuſceptum opus laudare et omnino magni facere. Exiſtimamus vero eum, qui plantas recenſere velit, certas et in uniuerſum utiles obſeruare debere regulas; ad quas num Cl. Auctor ſemper fuerit attentus, ex ipſo eius opere nunc videndum eſt. Plurimi et recentiſſimi in primis, qui floras, vulgo ſic dictas, euulgarunt, id praecipue curae cordique habuerunt, ut illae modo exhiberentur plantae, quae ſponte et ſine omni hominum induſtria atque cultura creſcunt ac propagantur. Ab aliis e contrario omnes confuſe inter ſe miſcentur, ſimulque indigenae cum aliis exoticis, et ex diſſitis ſaepe regionibus adductis, multoque labore conſeruandis ac multiplicandis enumerantur. Hi ipſi, ut nobis videtur, a vera aberrant via, a quo etiam crimine, pro eo, quem ſibi praefixum habebat, ſcopo in totum ſe liberare poſſe Cl. Auctorem, non exiſtimamus. Exoticae enim plantae plurimae, de quibus tamen omnibus ſingularem alias librum, hortum francofurtenſem nempe, conſcripſit, denuo hic recenſentur; quas praeter ea ab indigenis nulla nota diſtinctas eſſe obſeruamus. In eiuſmodi porro libris ſedulo notandum eſt, ubi et in quonam loco habitent plantae, quo quilibet exinde cognoſcat, quam-

quamnam terram atque ſolum haec vel illa planta in primis amet. Vix itaque excuſare poſſumus Cl. Auctorem, quod in pauciſſimis earundem natalem locum annotauerit. Praecognita plantarum praemittuntur recenſioni, in quibus eiuſmodi proponuntur regulae, quae a plurimis huius aeui botanicis aſſumtae ſtabilitaeque fuere. Vnicum forte eſt, in p. 8.
quo a recentioribus recedit, dum illum morem haudquaquam imitandum eſſe exiſtimat, ſi plantae botanicorum nominibus inſigniuntur. Verum hoc ſolum eſt laborum praemium, haec ſempiterna memoriae recordatio. Praecognita ſequitur nomenclator, qui definitiones partium plantae exhibet. Et hic nonnulla animaduertenda eſſe deprehendimus. Abortiua ſemina ea Cl. Auctori dicuntur, *quae ante* p. 11.
maturitatem decidunt, quo itaque nomine illa indigitanda erunt ſemina, quae non decidunt, attamen etiam non matura euadunt? Alburnum illa nominatur *trunci pars, quae corticem inter et medullam occurrit, quaeque temporis tractu vel in corticem, vel in lignum induratur*. Sed cognita per praeſtantiſſimos viros plantarum ſtructura huic aduerſatur definitioni, qua docemur, non alburnum modo, ſed librum etiam et lignum inter corticem et medullam inueniri, alburnum deinde in corticem nunquam indurari; ex cortice enim illud oritur, ligno ſenſim agglutinatur, et tandem ex eo ipſo et lignoſa parte fit unum corpus. Anthera, ex mente, ut Auctor dicit, LINNAEI definitur, ex huius tamen ex- p. 12.
emplis ſufficienter patet, incognitas ipſi non fuiſſe lineares lateralesque, quae certe ex data definitione antherae eſſe non poſſent, cum non *ſummas ſtaminum partes* efficiant. Corollae partes numerantur p. 16.
tres, tubus, limbus et laciniae; non vero in qualibet corolla eae partes omnes adſunt, tubus ſaepiſſime, aliquando et laciniae deficiunt; nulla tandem hic unguium facta eſt mentio, quarum tamen in-

 ferius

ſerius exhibetur definitio. Cotyledones ſemper
p. 17. continentur in ſemine, nunquam ex radice prodeunt, ut Cl. quidem Auctor exiſtimat. Nec filicis nomine eae modo inſigniendae ſunt plantae, *quae in foliorum ſuperficie utriculos ſeminiferos ferunt*, quia et oſmunda et ophiogloſſum in harum plantarum
p. 18. claſſe inferius recenſentur. Floris definitio ea eſt, quam TOVRNEFORTIVS aliquando exhibuit, atque hac praemiſſa florum explicantur ſpecies. Compo-
p. 20. ſitus flos non ſemper ex floſculis et ſemifloſculis componitur, alias Cl. Auctor uſitatam illam in tubuloſos et lingulatos diſtinctionem haud aſſumere po-
p. 32. tuiſſet. Plumula et ſtigma Auctori ſunt ſynonyma, qua in re a reliquis diſcrepat botanicis. Si omnia
p. 34. illa, quae pappo deſtituuntur, ſemina, nuda cum Auctore dicenda ſunt, omnibus aeque capſulis et baccis eiuſmodi adſcribenda eſſe, inde conſequitur. Spadix haudquaquam eſt piſtilli ſpecies, quae clauae formam oſtendit, et cui germina inſident; in aro enim piſtilla ſingulari huic corpori, quod ſpadix forte nominandum, adhaerent; in typha vero, altera, ut exemplum prolata, planta alia ſane ratione videtur res eſſe comparata. Spatha, ut Auctori videtur, graminibus modo competit, qua tamen in re ſibi ipſi non conſtare infra pateſcet. Verum ne diutius definitionibus examinandis inhaereamus, tranſeamus ad plantas ipſas. In his autem diſponendis ordinandisque TOVRNEFORTIVM in primis ſecutus eſt. Licet vero et in huius viri methodo nonnullas anomalias atque errores detexerit, quod ipſe fatetur, maluit tamen eandem ſequi, quam receptam a multis methodum relinquere, et in nonnullis emendatam proponere. *Viginti duae claſſes* totum abſoluunt ſyſtema, quae porro in *ordines* diuiduntur, quorum in primis fundamentum a fructu eſt deſumtum. Effatum TOVRNEFORTII aut calicem, aut piſtillum in fructum mutari denuo

pro-

propoſuit, cui tamen ſententiae non contemnenda
forte ab aliis iam iam oppoſita ſunt argumenta. Oua-
rium enim in omni planta in fructum mutatur, de
calice autem maiori nunquam iure affirmari hoc
poteſt, quam ſi quis dixerit uterum animalium fieri
hominem, licet illo idem includatur foueaturque.
Cuilibet plantarum generi breuis characterum ge-
nericorum praemittitur recenſio, generica nomina
plurima a TOVRNEFORTIO, alia aliquando a re-
centioribus aſſumuntur, ſpecifica ea fere ſola, quae
idem Auctor exhibuit, retinentur, quibus aliorum
adponuntur ſynonyma, vernacula etiam nomina ut
plurimum adducuntur, et hinc inde aliquando ob-
ſeruationes proponuntur. Plantas itaque adhuc bre-
uiſſimis percurramus. Cerinthe quatuor habere de- p. 46.
bet ſemina, licet aliquando duo modo matureſcant.
An camphorata hirſuta in arenoſis francofurten- p. 50.
ſium locis habitet, dubitamus, cum Lipſiae in hy-
bernaculis conſeruetur. Maluaceae plantae campa- p. 51.
niformem corollam minime referunt; et ſane nulla
inter rapunculum et linnaeam datur affinitas. Cu- p. 56.
cumis, melo et anguria odore et foliis inter ſe diſ- p. 52.
tinguuntur, nonne vero melius egiſſet, ſi et hae
plantae, ut et ſequentes, cucurbita, pepo et melo-
pepo coniunctim exhibitae fuiſſent. Si character
genericus aparines a ſeminibus hirſutis deſumitur,
tunc illa, quae laeuia habet ſemina, non eſſe poteſt p. 57.
huius generis ſpecies. Auricula urſi et primula p. 62.
veris ut ſingularia exhibentur genera, ſed inter ſe p. 74.
characteribus, haudquaquam pro genericis habendis,
diſtinguuntur. Borraginis corolla rotata potius no- p. 66.
bis eſſe videtur, quam infundibuliformis, quod et p. 72.
de ſambuco, opulo, viburno et anagallide valet. p. 77.
Chamaedryos genus, ab HALLERO fundatum, p. 92.
ab Auctore retinetur, bugula vero et chamaepytis
denuo ſeparantur. Florum polypetalorum cruci-
formium ſingularis ordo eas continet plantas, quae

ſiliquam

p. 122. ſiliquam articulatam proferunt, an vero glaucium
cum raphaniſtro in eodem ordine ſtare poſſit, du-
p. 126. bitamus. Glaucio calix diphyllus, papaueri vero
ſpatha diphylla adſcribitur; ſimillimae vero quoad
hanc conditionem ſunt plantae, et ſpatha, ut in no-
menclatore vidimus, graminibus modo competit.
p. 163. Diuiſio ſpecierum potentillae minus videtur eſſe
neceſſaria, et ſeptima in ordine, quae comarum LIN-
NAEI eſt, nunquam folia pinnata oſtendit. Plan-
tarum, quae florem liliaceum habent, prima eſt li-
p. 200. lium conuallium; analogia forte in vocabulis latet,
p. 212. et incongrue ſatis acoro haec claſſis finitur. Qua
p. 263. ex cauſa xanthium in claſſe plantarum flore com-
poſito floſculoſo recenſeatur, certe nos latet. Claſ-
p. 288. ſis decimae quintae ordines, non, ut in aliis, a fru-
ctu, ſed a ſtaminum numero deſumuntur. Spar-
p. 328. ganium et typha, ob euidentem certe characterem
ad plantas graminibus adfines referri nequeunt. Praeter ea et illud in genere moneri debet, Cl. Auctorem in varietatibus recenſendis admodum laborioſum fuiſſe, atque hinc fuſiorem longe plantarum enumerationem in noua hac flora deprehendimus, quam quidem in Cl. IOHRENII Hodego botanico, cuius tamen haec quaſi noua eſt editio. Optandum etiam fuiſſet, ut Cl. Auctor ſynonyma botanicorum non tantum adduxiſſet, verum etiam annotaſſet, ubi illa inueniri poſſent, cum unius auctoris plura nonnunquam eſſe ſcripta, nullus fere neſciat.

XVIII.

Diſſert. inaug. medica, de Nuce Been, Praeſide LAVR. HEISTERO Reſpond. VRBANO, FRIDERIC. BENEDICT. BRÜCKMANN. Helmſtad. 1750. 4. pl. 4½.

Nux illa, quae been vocatur, id certe cum plurimis aliis vegetabilibus commune habuit fatum,

ut

ut quid ipſa illa ſit, cuiuſque plantae proles exiſtat, ac quamnam in primis facultatem poſſideat, diu dubii fuerint hiſtoriae naturalis indagatores. Hinc itaque magni aeſtimanda eſt illorum opera, qui et veterum diſcrepantes de hoc naturali corpore ſententias vel conciliare vel illam exhibere ſtudent, quae veritati videtur eſſe propior. Recenſentur itaque §. 1.2.3.
in hoc libello primum variae variarum gentium denominationes, et ab aliis quibusdam rebus eius- §. 4.
dem nominis diſtinguitur. Plantae porro patria et §. 5. 6.
climatis, ſub quo creſcit, natura animaduertitur, atque hic edocemur, illam in zeylanicis in primis inſulis prouenire, qua occaſione varii quoque recenſentur auctores, qui huius plantae delineationem exhibuerunt, quarum omnium ea praeſtantiſſima cenſetur, quam BVRMANNVS dedit in Theſauro zeylanico, nomine Moringae zeylanicae, foliorum pinnis pinnatis, flore maiore, fructu anguloſo. Spe- §. 7-10.
ciatim nunc habitus plantae eiuſque creſcendi modus et floris ſtructura ex ALDINO, BREYNIO, BVRMANNO atque LINNAEO adumbratur, huiusque §. 11.
nucis diſtinctio a ricino traditur, et ipſius fructus examen ſpeciale ſuſcipitur, cuius diuerſae ſpe- §. 12.
cies, quae magnitudine ſolum differunt, recenſentur, eiuſque deſcriptio et characteres exhibentur. Dein ad mixtionem particularum, quae nucem con- §.13.14.
ſtituunt, progreditur; qua in re ea praemittuntur, §. 15.16.
quae GEOFFROY de examine nucis chemico propoſuit, et nonnulla de cortice eiusdem, cui adſtrin- §.17.18.
gens vis tribuitur, commemorantur; quibus et alia tum de bonitate eius, tum de principiis conſtituti- §.19.21.
uis immiſcentur, et experimentis quibusdam confirmantur. His ita praemiſſis nunc ad nucis uſum in genere conſiderandum accedit Cl. Auctor, atque §. 22.
primum oſtendit, illas, cum obſoletae, corroſae vermibusque excauatae apud nos exiſtant, nullum habere uſum, cum e contrario illi, qui recentes eas

accipiant,

accipiant, optime pro purgandi ſcopo iisdem uti
§. 23. poſſint; qua ratione itaque hos nucleos interne veteres exhibuerint, ſeorſim nunc diſquiritur; aliquando enim recentes illos et excorticatos; alio vero tempore igne toſtos vel modo exſiccatos aegris propinarunt, cum autem in utroque caſu vehementiſſime hac medicina alimentorum canalis afficiatur, aliis ſemper blandis atque corrigentibus virtus horum
§. 24. temperanda; cuius rei varii proponuntur modi, dum vel cum amygdalis, vel aliis aromaticis ſeminibus admixtis ad lentam pituitam euacuandam aptior
§.25.27. euadit. Externe puluis nucleorum, ſi in primis cum aliis farinis miſcetur, efficax dicitur medicina, et ob reſoluendi virtutem praecipue in aurium tinnitu laudatur; ſi vero cum melle in cataplaſmatis formam redigitur, ſtrumas aliosque duros viſcerum tumores reſoluit. Tandemque etiam in neruorum morbis, a frigida cauſa ortis, non inutile iudicatur remedium. Et haec de integro nucleo valent; ſeparatim itaque adhuc de nobiliſſima nucis parte, oleo nempe eiusque praeparandi modo, ac viribus
§.28.39. agitur. In Aegypto in primis, aliquando et in Italia illud, et expreſſum quidem, conficitur. Clarum hoc ipſum eſt, pellucidum, inodorum, ſaporis quodam modo acris et nauſeoſi, atque illud ſingulare habet, quod per longam annorum ſeriem conſeruari poſſit, atque rancorem non facile ſentiat. Vſus huius olei conſiſtit in emolliendo, tendinum ſtrictione laxanda, cute laeui reddenda, pruritu ſenili leuando, et praecipue laudatur ab Auctore, ut ſpecificum in cicatricibus a variolis relictis laeuigandis et auferendis. Itali quoque hoc oleo, menſtrui loco, ad extrahendos florum fragrantium ſuauiores odores utuntur, quae hac ratione praeparata fragrantiſſima medicamenta voluptatis gratia adhibentur, et barbae, veſtes, chirothecae hocce oleo inunguntur, gratoque odore perfumantur, imo ad alios uſus plures adhi-

adhibentur. Omnia, quae in hac diſſertatione et ratione plantae ipſius, et ratione uſus proponuntur, ex aliorum ſcriptis collecta eſſe, facile conſtat, ſola illa ſpecifica vis, quae in delendis a variolis relictis cicatricibus conſiſtit, ut noua hic proponitur; quae tamen nobis ſingularis non videtur, cum oleum amygdalarum dulcium recens expreſſum idem praeſtet, ut in obſeruatorum ſcriptis plurimis deprehendimus.

XIX.

Diſſert. inaugur. de Antimonii crudi uſu interno. Praeſ. IO. IVNCKERO, M. D. P. P. Reſp. FRID. SIM. MORGENSTERN, Halae 1750. 4. pl. 7.

In prima diſſertationis ſectione ipſas antimonii partes conſtitutiuas dictas exponit Cl. Auctor. Deſcribitur illud, quod ſit *mixtum, terreum, fragile, nitentibus ſtriis mox longioribus, mox breuioribus et tanquam decurtatis diſtinctum, fuſione e minera ſua eductum.* Partibus conſtat diſſimilaribus, nec aqua, neque ſpiritu ardente ſoluitur, nec malleo extendi poteſt, ideoque *mixti, terrei* et *fragilis* nomen meretur. Partes proximas, quae antimonium conſtituunt, verum eſſe ſulphur atque ſemimetallum, ſeu regulum dictum, variis de eo captis experimentis comprobatur. Ipſum ſulphur, quod vulgari plane ſimile eſt, regulinis particulis tam arcte adhaeret, ut ab iis derelictum atque purum inueniri tantum poſſit poſt eius ſeparationem ex cinnabari antimonii factam. Maiori ſtudio in regulinae partis mixtionem detegendam inquirit Cl. Auctor, eamque terra vitreſcibili, inflammabili, metallizante ſeu mercuriali, tandemque arſenicali quoque conſtare, et contra eos, qui arſenicalem terram ineſſe antimonio negant, defendere conatur. Altera tractationis ſe-

ctio ipſius antimonii uſum internum declarat. Antiquae iam aetatis medici externe illud ad ulcera, ſanguinis profluuia, oculorum lippitudinem atque ſuffuſionem adhibuerunt. THEOPHRASTVS autem PARACELSVS internum eius uſum primus docuit, a multis medicis deinde damnatum, eum Cl. Auctor tamen defendit, et recte monet, quod ſulphur et parti regulinae et arſenicali intime admixtum vim eius utriusque corroſiuam et venenatam refrenet. Tum aliquot caſus in medium producuntur, in quibus vomitus, alui deiectiones, certe nauſea, antimonii uſum excepiſſe obſeruata ſunt, quibus ex phaenomenis infert, quod antimonium inter medicamenta ſtimulantia referendum ſit, immoque inde demonſtrat, quod fluida noſtri corporis reſoluere, eaque ad ſe et excretiones aptiora reddere valeat. Inſuetos autem modo dictos effectus antimonio qua tali adſcribendos non putamus, ſine dubio vel a regulina parte vi fortioris ignis diuulſa, et in baſi pyramidum ſeu conorum, ſub quorum forma antimonium ad nos mitti ſolet, ſubſidente, vel ab acrimonia acida in brutorum aut hominum illorum ventriculis exiſtente ortos. Conſultius ergo poſt ea egiſſe nobis videtur Cl. Auctor, quod ſola experientia fultus eos morbos indicet, in quibus exoptatos effectus praeſtitiſſe obſeruatum fuit. Bene enim ſe geſſit in ſcabie, ulceribus, gonorrhoea, malo venereo leuioris notae, malis atrophicis, arthriticis, conuulſiuis, epilepticis, febribus intermittentibus, morbis ſaturninis aliisque. Nosmet ipſi teſtari poſſumus, quod in primis in affectibus arthriticis inſignes ab eius uſu effectus vidimus. Num autem in dyſenteria, colica, paralyſi, verminoſaque colluuie, uti quidam medicorum volunt, adhiberi queat, affirmare non vult, certe, ſub quibus circumſtantiis id fieri debeat, determinat. Caue vero, ne ſalia et in primis acida immiſceantur, quippe quae illud ita immu-

immutant, ut vomitus excitet, quare etiam ante eius uſum abſorbentia dare conſulit Cl. Auctor, praeſertim ſi acidi in primis viis haerentis adſit ſuſpicio. Recte etiam monere nobis videtur Cl. Auctor, quod antimonium crudum, decoctis vegetabilium adiectum, parum ipſis efficaciae vel potius nullam conciliet.

XX.

Obſervations phyſico medicales ſur l'Electricité, par IOSEPH VERATTI, Profeſſeur public de l'Vniuerſité et de l'Academie de l'inſtitut de Bologne, aux quelles on a joint des experiences faites a Montpellier, pour guerir les paralytiques au moyen de l'electricité, Geneve, chez Henri Albert Goſſe, 1750. 12. 6 ½ pl. ſans préface.

Hoc eſt:

Obſeruationes phyſico medicae de Electricitate. Accedunt experimenta, Monſpeliis inſtituta, ſanandi paralyticos per electricitatem.

Electricitas, diu iam cognita, noſtris demum temporibus exculta magis, in utilitatem ceſſit generis humani. Praeter enim id, quod exinde varia corporum in genere cognoſcantur phaenomena, nunc quoque illius ope morborum cauſas ex corpore eliminari poſſe conſtat. In praefatione, huic opuſculo praemiſſa, illos Cl. Auctor nominat ſcriptores, qui a primis initiis ad noſtra tempora de electricitate cogitarunt, eamque perficere tentarunt. Ex iis, qui ad medicinam illam applicarunt, notandi ſunt, PIVATI, BIANCHINI et IALLABERTVS, quorum prior, ſcripta ad Cel. ZANNOTI epiſto-

 la *

la * cum tubis, quibus varii generis remedia includebantur, experimenta inſtituendo afflictis occurrebat. Noſter vero, quid ſimplex, ut eandem vocat, valeat electricitas, experturus, ea, quae refert, inſtituit experimenta. Optime tamen monet, notandum eſſe, quibusnam conueniat morbis nec ne, in quantum electricitas augenda vel imminuenda ſit, tandemque quibus potiſſimum remediis contra morbos utendum: his, quae paſſim ex ſucceſſu adhibitae electricitatis confirmantur, addere ſi velis, nec absque praeparatione, nec ſine omni regularum obſeruatione, admittendos eſſe, ad capienda eiuſmodi auxilia electrica, aegrotos, ſedulo et hocce, recens ut ut viſum, remedium commendandum eſſe deprehendes. Obſeruationes autem, quae ſequuntur, ita comparatae ſunt, ut morbi hiſtoriam breuem, et ſucceſſum applicatae electricitatis complectantur. Noſtro nos putamus ſatisfacturos eſſe officio, quod ſi nominatis morbis, contra quos illa fuit adhibita, praecipua quaedam, in adiectis notis expoſita, phaenomena adducamus. Feliciter itaque pleroſque electricitate ſuſtulit morbos Cl. Auctor, quos obſeruationibus XIV deſcribit ſequentes: malum iſchiadicum; dolorem brachii pertinacem, poſt ſcabiem curatam ſuperſtitem; grauem auditum in aure dextra; dolores capitis; nec non rheumaticos; catarrhales affectus, cum tumoribus arthriticis coniunctos; inuoluntarium lacrymarum profluuium; neruorum debilitatem; denuo dolores arthriticos, quos ſimul cum balſamicis, in tubos conditis, remediis aggrediebatur, cum antea nominatis morbis ſimplici tantum obuiam iret electricitate. Remediorum deinde vim, quatenus electricitate corpori communicari poſſit, tentaturus, iis, qui electrici reddebantur,

* Prodiit haec epiſtola etruſco ſermone, in gallicum translata et recuſa fuit Vltraiecti, apud Nic. van Vucht 1750. 12.

tur, ſcammoneum, aloen ſuccotrinam et gummi guttae manu tenendum dedit, atque ſaepius repetita, cum eodem fruſto horum remediorum experientia eorum vim non ſolum multum debilitari obſeruauit, verum etiam in diuerſis corporibus effectum tarde admodum edi vidit, ita quidem, ut viginti quatuor pluriumque demum horarum ſpatio intercedente deiectiones ſubſequerentur. Vltimo tandem loco de virtute nonnullorum corporum agit, quae vel attrahunt vel repellunt vim electricam, de quibus tamen nihil hic referimus, quod in aliorum quoque ſcriptis plura de his phaenomenis annotata eſſe inueniamus. Dum autem ſollicite inſtituebantur experimenta, hae, quae forte in poſterum confirmari poterunt, ab Auctore animaduertebantur conditiones. Scintillae ex muſculis, et partibus p. 3.
praecipue tendinoſis eorum, elicitae inuoluntarium, in ſanis quoque hominibus percipiendum, motum producebant. Ex quo conſequi ipſi videtur, ut hac quoque ratione vera nonnullorum muſculorum actio poſſit determinari, muſculorum vero ſterno maſtoideorum, deltoideorum pectoraliumque exempla adducit. In partibus affectis, poſt peractam electri- p. 4.
citatem ſentiuntur puncturae, illi, quam formicationem vocant, motui ſimiles. Ipſae autem, quae ele- p. 13.
ctricae redduntur, partes, rubeſcunt, calent, ex quo forte eſt, ut pulſus augeatur, tranſpiratio ſudor- p. 38.
que felicius procedant, praeſertim pedum, qui pici p. 30.
inſiſtunt. Id, quod praeter Auctorem BOSIVS, NOLLETVS, IALLABERTVSque iam annotarunt. Praeter ea in aliis copioſius urinae extitit proflu- p. 42.
uium, quod exinde Cl. Auctori videtur prouenire, quod aquoſae ſanguinis partes forte vehementius materiem attrahunt electricam reliquis: in aliis ven- p. 25.
tri libertas fuit reſtituta, ut itaque concedi aliquo p. 75.
modo poſſit, plerumque per ſenſibilem aliquam p. 74.
criſin agere electricitatem. Sed ſingulare hoc eſt,

ſcintillas nonnunquam aegre elici ex partibus poſſe,
p. 26. cuius phaenomeni cauſam in ſulphureas coniicit
particulas, humoribus tenaciter inhaerentes, et per
electricitatem aegre mouendas, impediente earun-
p. 56. dem actionem viſcoſitate humorum. Quae tan-
dem cum ſuperetur, clarum eſſe putat, electricita-
tem in reſoluendo ſtagnante humore et attenuando
occupari. Aegris tamen ut aerem, et quicquid alie-
p. 72. num eſt, vitent, merito ſimul ſuadet. Poteſt au-
tem illa, quam exoptamus, reſolutio, adiumento quo-
dam accelerari, dum affectis adhibeantur partibus
ſulphureae et ſpirituoſae inunctiones, quippe cum
hac ratione viuidiores longe ſcintillae, validioris
effectus teſtes, prodeant. In uniuerſum tamen ab
electricitate cauendum eſt, dum morbi venerei la-
p. 24. 75 tentis eſt ſuſpicio. Quod ſi cum remediis, in tu-
bos immiſſis, inſtituere electricitatem et morbos ag-
gredi placet, ſaepe renouanda ea eſſe tenendum eſt,
p. 64. cum poſt aliqua experimenta odor, per poros vitri
tranſiens, aeque ac effectus deſideretur. Haec, quae
adduximus, licet non eo recenſeantur ordine, quo
in ipſo continentur Cl. VERATTI libro, non ingra-
ta tamen futura eſſe autumamus iis, qui medicam
electricitatis virtutem cognoſcere exoptant, de epi-
ſtola ad BRVHIERVM per DE SAVVAGES ſcripta,
huic opuſculo ſubiuncta, nihil monemus, cum illa
iam iam cum IALLABERTI *experimentis electricis,
uſibus medicis applicatis* prodierit. Sequuntur au-
tem ſeptem obſeruationes *de hemiplegia per electri-
citatem curanda* Monſpeliis factae, quae ex ſingulari
DE SAVVAGES diſſertatione * excerptae, hic denuo
proponuntur.

* Prodiit 1749. 4.

XXI.

IOAN. DE GORTER, M. D. P. O. Praxis medicae ſyſtema, Tom. I. de morbis generalibus, alph. 1 pl. 9. ſ. praef. et prooem. T. II. de morbis particularibus, alph. 1. pl. 2, Harderuici apud I. Wigmanns, 1750. 8. mai.

Magnam quidem librorum habemus farraginem, qui medicinam practicam tradunt, ſed eorum, qui rite et ad iuſtas artis logicae regulas ſunt exarati, eſſe perpaucos, intelliget is facillime, qui tiro adhuc proprios atque determinatos ſingulorum morborum characteres inde diſcere, utilemque ſibi parare vult cognitionem. Permultas itaque Cel. Auctori, digniſſimo magni illius BOERHAAVII diſcipulo, non debemus ſolum gratias atque laudes, ſed lubenter etiam habemus, quod praxin medicam prae ceteris omni iure ipſi et nobiliſſimam, et utiliſſimam, hinc inde quoque neceſſariam viſam excolere voluerit, et fructus, quos ex multis curis, multisque laboribus illi perſpiciendae et faciendae impenſis percepit, cum orbe erudito communicare. Ediderat iam anno huius ſeculi triceſimo *Medicinae compendium*, quo theoriae et praxeos ſimul iunctae fundamenta generalia exponens, ipſos morbos et therapeutica particularia ampliore olim deſcriptione proſequenda promiſerat, quam tum temporis datam fidem praeſenti nunc quoque libro ſoluit. Totum ſe dediſſe narrat Cel. Auctor experimentis practicis. Omnia igitur, quae vel ipſa praxi medica, vel lectione auctorum annotauerat, in tabulas congeſſit, et deinde in certum ordinem redegit. Cum igitur detegeret, infinitos morborum titulos diuidi poſſe in *generales*, qui vel *tales manent per totum corpus*, vel *varias corporis partes occupant*, atque in *particulares*, qui *ſemper in eadem ſede manent*, totum hinc quo-

que ſyſtema in duos tomos diſpeſcuit, quorum primus illos, ſecundus autem hos exponit. Ille autem praemitti debuit alteri, cum particulares morbi ut plurimum oriantur e generalibus, eamque ob cauſam cognoſci nequeant, niſi cognito morbo genera-
Tom. I. li. *Generales* hoſce *morbos* quinque libris comprehendit Cel. Auctor, nimirum *ſolidorum*, *humorum* et *actionum*, quibus tandem eos adiecit, qui *ab alienis* in corpore natis dicuntur, et tandem, qui *ex cauſis* morbum generantibus nomen ſeruant. Pro natura ſyſtematis commode fieri nequit, ut Auctorem ſecuturi ſingulas morborum diuiſiones ſatis amplas nimisque ſine dubio diffuſas enarrare, aut ipſorum morborum delineationem tradere poſſimus. Primos itaque atque praecipuos ab Auctore allatos mor-
Lib. 1. borum ordines propoſuiſſe ſufficiat. *Solidae* corporis noſtri partes laedi poſſunt, vel *mutato nexu*, in cohaeſione atque integra ſolutione, inde v. c. fragilitas, tenacitas, vulnus, et ſ. p. *tit. 1 artic. 1-16;* vel *mutato tono* in accurtatione, flexura et reſtitutione, v. c. contractilitate, flexibilitate, et ſ. p. *tit. 2 artic. 17-22;* vel *quantitate*, quoad abundantiam et defectum peccante, *tit. 3 art. 23-28;* vel ipſa earum *ſubſtantia mutata*, quatenus nimirum huius generis morbi vel a cauſa mechanica inducuntur, v. c. adductio, compreſſio, elongatio, et ſ. p.; vel ad attactum differunt, vel comparantur ad humores, vel ex mole, indole, figura aut capacitate diſtinguuntur, v. c. mollitudo, humiditas, craſſitudo, callus, cicatrix, obſtructio, et ſ. p.; *tit. 4 art. 29-49;* tandemque vel *loco* mutato et alieno facto; inde enim fit aut her-
Lib. 2. nia aut procidentia, *tit. 5 art. 50, 51.* Ad *morbos* nunc properamus *humorum*, quippe qui ratione *quantitatis* recedere poſſunt a ſtatu ſano in abundantia atque defectu, inde deſtructum aequilibrium, plethora, et ſ. p.; *tit. 1 art. 52-71;* vel ab earum laeſa *cohaerentia* maiore, ſolubili aut non ſolubili, aut

minore,

minore, generali et ſpeciali, oriri poſſunt morbi, v. c. tenacitas, lentor, tenuitas, ichor et ſ. p. *tit. 2 art. 72-89;* vel *qualitates* eorum, quatenus ſenſibus, tactu, viſu et olfactu deteguntur, poſſunt immutari, v. g. humor calidus, frigidus, varia acrimonia praeditus, et ſ. p. *tit. 3 art. 90-112.* Alia porro huius ordinis morborum ratio datur, quando humores in *alienum locum* recipiuntur, aut ad maſſam generalem, aut ad quoddam ſpeciale liquidorum genus referendi, inde error loci, ecchymoſis, icterus, et ſ. p. *tit. 4 art. 113-119.* Alii quoque morboſorum humorum claſſis adducitur a *natura* eorum *mutata*, inde metamorphoſis, cacochymia, rhachitis, et ſ. p. *tit. 5 art. 120-125.* Vltimus tandem huius libri titulus agmen huius generis claudit, et *generales humores* ex *praeparatione*, *generali natura* et *ſpeciali indole alienos* factos tradit, v. c. coctos, crudos, benignos, malignos, et ſ. p. *tit. 6 art. 126-133.* Tertio huius tomi libro *actionum* generales, eiuſque primo titulo *ſenſuum* morbos exponit Cl. Auctor, qui ſunt aut in organo ſenſum exercente ſimplices, aut compoſiti cum aliis actionibus laeſis, aut in organo ſpeciali actione praedito cum anxietate, aut, ſi encephalon occupant, ad ſomnum vel mentis aberrationem referendi, v. c. dolor, arthritis, apoplexia, phrenitis, et ſ. p. *tit. 1 art. 134-155.* Morbi poſt traduntur a *motu ſolidorum morboſo* orti, ſiue ſit maior, ordinatus aut inordinatus, ſiue ſit minor, extinctus aut alienus, et ſ. p. v. c. inflammatio, conuulſio, debilitas, *tit. 2 art. 156-179.* Tum recenſentur morbi a *fluxu humorum morboſo* in circulatione, reditu, euacuatione, generati, e. g. ſtagnatio, haemorrhagia, et ſ. p. *tit. 3 art. 180-190.* Hic tandem liber *febrilibus actionibus* finitur, earumque numerus inſignis per paroxyſmos, durationem, phaenomena ſpecialia in cute, morbum nouum ſuperuenientem, et per cauſam variam febrem inducentem Lib. 3.

Lib. 4. diſtinguitur, *tit. 4 art. 191 - 236.* Quartus deinde liber *aliena morboſa* explicat, quibus vel *mortua* in corpore viuo nata, et quidem ſolida, uti calculus, aut liquida, uti flatus, vel *viuentia*, ut inſecta, vermes, comprehenduntur, *tit. 1 art. 237 - 238, tit. 2*
Lib. 5. *art. 239.* Vltimus tandem liber perpendit *cauſas* morbum inferentes, quae in *internas* diuiduntur atque *externas*. Illae proponuntur a multis ſub nomine geſtorum, quae *generatione*, increſcente *aetate*, et *actione vitali* et *automatica* varios morbos producunt, indeque in cenſum veniunt v. c. morbi haereditarii, connati, animi pathemata, idioſyncraſia, et ſ. p. *tit. 1 art. 240 - 260.* Inter *externas* autem cauſas morbum vel manifeſta *phyſica actione*, vel *quantitate*, aut *qualitate*, aut *abuſu* producentes, variae ab Auctore referuntur, e. g. vectio, ſcalptura, aer, tempus anni, lues venerea, tarantiſmus, venena, et ſ. p.
T. II. *tit. 2 art. 261 - 284.* Morborum generalium hiſtoriam hactenus recenſitam altero nunc ſyſtematis huius tomo *particulares* morbi ſequuntur, atque ſecundum communem corporis humani diuiſionem, *capitis* nimirum, *colli*, *pectoris*, *ventris*, et *organorum generationi dicatorum* traduntur, omiſſis tantum iis, qui iam ab Ill. Auctore tum in parte priore ſyſtematis, tum in *Chirurgia* ſua *repurgata* explicati ſunt, *art. 285 - 445.* Inter eos autem, quos adducit, nonnulli quoque ſunt, quos alii practici in libris ſuis ſaepe negligunt, licet non raro in praxi obueniant. Recte monet Cel. Auctor in praefatione toti libro praemiſſa, quod duo ſimul perpendenda ſint in morbis particularibus: primo morbus generalis, qui variam partem, humorem vel actionem inuadit, et dein ſpeciale illud, quod in tali ſpeciali parte, humore vel actione obſeruandum eſt, ideoque generalium primo iam tomo traditorum hic loci ſupponit intellectum, alterique ſaltem fini facere ſatis enititur. In utroque libro permulta morborum

nomina

nomina apud alios auctores fruſtra quaerenda inueniuntur, cum multis cauſis atque ſymptomatibus, quo iure et quanam adductus neceſſitate, nos quidem non perſpicimus, ſpeciales titulos dederit et morborum nominibus inſigniuerit Cel. Auctor. Ordinis autem nimium ſtudioſus nobis fuiſſe videtur, eamque ob cauſam tironibus facile moleſtus; eoque minus ipſius ordo comprobandus eſt, quo non magis ſolum eſt diffuſus, multis, quae iungi debebant, ſeparatis, ſed quo magis etiam iuſtae diuiſionis regulae in omnibus fere libris atque titulis ſunt neglectae. Ipſorum autem morborum in ſingulis articulis, quos vocat Cel. Auctor, delineatorum exaratio inſigniter nobis arridet, tum propter ἀκρίβειαν cuiuis attento lectori facile obuiam, tum propter valde conciſam, neque tamen inde adeo obſcuram elocutionem; quae dictionis breuitas eam ob cauſam neceſſaria fuiſſe videtur, cum uſui in primis academico, ſuorumque auditorum librum hunc deſtinauerit Cel. Auctor, cui quoque fini apprime aptus eſſe videtur. Omnes quidem atque ſingulos articulos omni prorſus exceptione maiores eſſe, affirmare nolumus; v. c. Tom. I p. 61 inter varia acrimoniae genera etiam illud refertur, quod *nitroſum* appellat Cel. Auctor; quae quidem acrimonia in variis corporis partibus ſe prodere dicitur perceptione frigoris cum dolore a cauſa interna, ac ſi nitrum fuiſſet ingeſtum vel applicatum, ita ut ipſa pars affecta ad thermometrum quoque ſit frigidior, quae originem ſuam ducat ab oleribus, farinoſis et fructibus, quibus ſal natiuus nitrum ſit. Silentio quoque praeterire nolumus, quod toti libro praefixum ſit prooemium, quod docet, quid generaliter omnibus in morbis ante ſcire debeat medicus, quam illos ipſos vel cognoſcere, vel curare poſſit. Primo quoque tomo tres analyticae tabulae ſunt adiectae, ut lector eo facilius omnem ſyſtematis ambitum contemplari queat.

XXII.

Quaeſtio medica: An mente motis multum ſanguinem detrahere conducat? Praeſ. M. CAROLO PAYEN, M. D. Proponebat CLAVDIVS FRANCISCVS GRANDELAS, D. M. Pontiſmuſanus, Pariſiis 1750. 4. pl. $\frac{1}{2}$.

Ipſius alienationis mentis deſcriptione data, omnes eius variae ſpecies in eo conuenire dicuntur, quod intus mutatam cerebri diſpoſitionem ſupponant. Mente vero moueatur aeger vel praeſente febre, vel ſine ea, ubique tamen aderit, cum veteribus loquendo, phlogoſis, morbus ſiccus et calidus, aut, uti SYDENHAMIVS rem exprimit, ſpirituum ἀταξια, ſeu eorum per cerebrum atque neruos inordinata concurſatio. Cum igitur deriuationis et reuulſionis leges incertas eſſe exiſtimet Cl. Auctor; et praeter imminutionem, et partium ſolidarum, ab affluxu ſanguinis eiusque mora nimis adſtrictarum, relaxationem parum praeſidii a ſanguinis miſſione expectet; nec illa nimium obtundi calorem, natiuum potius extingui, credat; a veteribus quoque, ſanguini alias parcere non ſolitis, in phrenitide non, niſi ſumma virium habita ratione, ſanguis fuerit miſſus, morbus hic ab iis potius ligaturis, cucurbitulis, fomentis, confortantibus, urinam mouentibus, anodynis, quandoque et narcoticis, curatus: hisce cauſis permotus, eorum medicorum, ſub quibus ſine dubio ciues ſuos vult intellectos, ſanguinis miſſioni in omnibus fere morbis forte nimis intentos, valde improbat methodum, qui per totum morbi decurſum ſanguine corpus exhauriunt, victuque tenuiſſimo vires aegrorum ſuſtinent. Nec in illo caſu ſanguinis miſſioni diu multumque inſiſtendum eſſe putat Cl. Auctor, ubi aliis morbis, v. c. pleuritidi, peripneumoniae, inflammato diaphragmati, ſanguinique circa praecordia coaceruato accedit phrenitis. Sequitur enim

morbos,

morbos, in quibus iam ſanguinis imminutio ut plurimum abundanter facta eſt; aptaque purgatione omnes illos motus ſiluiſſe, ab aliis iam medicis obſeruatum eſt. Concludit ergo Cl. Auctor, *quod mente motis multum ſanguinem detrahere non conducat.* Num vero idem valeat in omnibus aegris, et nonne saepius ipſam phrenitidem auertere queamus reiterata ſanguinis miſſione? anque Cl. Auctor recte fecerit, quod ex inordinato ſpirituum motu, qui tum in aegris, qui a ſola febris violentia delirant, tum in iis, quos vera phrenitis corripuit, tum in maniacis in cauſa quidem eſſe poteſt, iudicium ferat, quod diuerſis illis omnibus morbis conuenire debeat, valde dubitamus, licet multos ſaepe medicos ad vires non reſpicere, ſanguinique mittendo nimis indulgere, negare nolimus.

XXIII.

Quaeſtio medica: An diu poſſit homo, ſine cibo potuque, et viuere et valere? Praeſ. M. CAROLO FRANCISCO BOVTIGNY DESPREAVX, M. D. Proponebat FRANCISCVS DE PAVLA COMBALVSIER, D. M. Monſpel. Pariſiis 1750. 4. pl. 1.

Homo, ſimul ac fuerit natus, ad interitum quoque properat, exhauſtis perpetuo motu fluidis, ſolidisque aſſiduo detritu collabaſcentibus. Victu ideo potuque opus eſt, ut reſtituatur corpori, quod ſingulis diebus amiſerat. Sunt tamen exempla hominum, qui diuturnam inediam paſſi ſunt, vita adhuc conſeruata, quorum varia, ab aliis fide dignis auctoribus relata profert Cl. Auctor, quibus aliud ipſe teſtis αὐτόπτης ſubiungit. Omnibus autem, quae nota facta ſunt, illud eſt commune, quod tales homines vitam quidem degerint, integra autem valetudine non gauiſi. Merito tamen quaeritur, quo modo vita

ta ſuperſtes eſſe potuerit? Argumentis ex analogia deſumtis conſtat, quod plantae ex terra erutae vireſcant, et radices, licet a telluris commercio remotae fuerint, caules tamen emittere queant. Quot inſectorum genera ſub chryſalidum vel nympharum forma velut mortua iacent, breui tamen tempore poſt papiliones facti reuiuiſcunt! Magna pars auium, piſcium, amphibiorum, quin et quadrupedum per unum ſemeſtre agilitate vitae gaudent, per alterum idque hiemale torpent, ſuisque latibulis alto ſaepius ſomno ſepeliuntur. De ſerpentibus aliisque animantibus notum eſt, quam diu inediae ſint patientiſſima. Eorum autem machina iisdem ac hominum mouetur legibus. Quidni igitur in hominibus fieri poſſit, quod in brutis animantibus obſeruatur? Vt illud autem, quo modo fieri queat, clarum ſit, binae quaeſtiones ſoluendae ſunt, una quo modo in homine, alimentis non nutrito, ſufficiens ad amplianda vaſa, ad vitalem certe in neceſſariis organis conſeruandum motum, ſupereſſe poſſit liquidorum copia; altera, cur humores nouo pabulo non refecti non citius abeant in alcalinam, putridam corruptionem? Ad utramque vero dirimendam notetur ex modo dictorum animalium hiſtoria, quod frigus, cutim eorum ſtringendo, perſpirationem ſupprimat, hinc inde magnam humorum alias euolantium copiam retineat; aliquam etiam humorum partem in cutis tubulis denſet, reliqua portione introrſum pulſa; ideoque vaſa numero fiant pauciora, et denique quod illa animantia ſine motu quieſcant. Memoratu porro dignum eſt, quod fere omnes abſtinentiam diu tolerantes vel fuerint puellae modo puberes factae, ſuccis prae maſculino ſexu redundantes, et ob laxiorem quoque corporis habitum multo minus perſpirantes, vel aegri paralytici, quibus permulti neruorum et arteriolarum forſan quoque tubuli ſunt obſtructi, qui ſenſu motuque ſaepe ſunt orbati, et quibus

bus ideo parcior ſpirituum atque materiae perſpirabilis iactura ſit. Itaque propter perſpirationem aliasque excretiones ſuppreſſas, ſyſtema vaſorum imminutum, vel anguſtatum; certam fluidorum partem immobilem factam, motusque defectum, hinc inde etiam propter multas particulas aquoſas retentas, ideoque naturalem mitemque mucilaginem ſeruatam, fluidorum impulſum debilem factum, ſolidorum autem motum torpentem, et propter calorem denique corporis valde imminutum, ſufficiens adeſſe poterit fluidorum penu, humorumque blandities diu ſeruari. Addere potes, quod aer, corpora noſtra ambiens omnium exhalantium corporum ramentulis refertus, occultum nobis pabulum praebere poſſe videatur. Quam luctuoſa vero eiusmodi vita eſſe debet! Ergo concludit Cl. Auctor, *quod diu quidem poſſit homo ſine cibo potuque viuere, non vero valere.*

XXIV.

Obſeruatio de progreſſu et uſu urachi, in Diario gallico eruditorum (Journal des Sçavans) an. 1750. menſ. octobr. propoſita a Dn. DE BOVSSAC, Facult. Med. Andegauenſis Doctore.

Vrachum ad umbilicum uſque ex veſica deduci, anatomicorum plerique aſſerunt, Auctor vero hunc eius progreſſum inter rariores caſus refert, quippe quem iam anno 1739 et 1740 ita decurrentem inuenit, ut ex veſica oriundus in permultos ramos diuidatur, qui in arteriam umbilicalem abirent. Vrachum porro cauitatibus non deſtitui refert, et inde urinam ex foetu in veſica ad arterias umbilicales deduci colligit. Licet vero obiici poſſet canalem aſſumtum, nec aerem, nec liquores alios admittere, ad varias tamen auctorum a DIMERBROECKIO de Anatome Lib. I. Cap. 32 edit. Opp. p. 221 enumeratas

obſer-

obſeruationes prouocat, quae in ſubiectis, urinae ſuppreſſione laborantibus, retardatum huncce humorem, per urachum et umbilicum euacuatum fuiſſe confirmant. Auctor praeter ea, hac ipſa obſeruatione inductus, humorem in thymo et capſulis atrabiliariis elaboratum per venas ſanguini iterum in foetu infundi credit, ex eo, quod ſanguis optime a laudabili hocce liquore diluatur et mobilis magis reddatur, hinc ea proueniat eius perfectio, quam moti in homine nato pulmones ſanguini ipſi impertiuntur. Nos quamuis ii non ſimus, qui aliorum, anatomicis potiſſimum, obſeruationibus fidem derogare velimus, alteram tamen Auctoris ſententiam a veritate propius ſtare putamus, quam priorem de urachi nexu et progreſſu prolatam.

XXIV.

Hiſtoire de l'Academie royale de ſciences et belles lettres an. MDCCXLVIII, à Berlin chez Haude et Spener, 1750. 4. alph. 2. pl. 15 ½, tab. aen. 11.

hoc eſt:

Hiſtoria Academiae regiae ſcientiarum et bonarum literarum an. 1748. Berolini etc.

Pergunt clariſſimi huius academiae ſocii in exhibendis variis commentariis et diſſertationibus, nos reliquis relictis, primae, quae philoſophiam experimentalem continet, claſſis commentarios enumerabimus.

p. 2. 1. *Exercitatio de formatione corporum in genere*, Auctore Ill. ELLERO. Veteres iam diuerſimode de elementis corporum diſputauerunt. ARISTOTELES et qui eum ſequuti ſunt, quatuor, ubique nota, aſſumſerunt elementa, a chemicis ſubtilius tantum excul-

ta.

ta: Licet vero philoſophi moderni entia ſimplicia,
quae atomis forte EPICVRI reſpondent, vel mona-
des LEIBNITII defendant, tantae tamen de his quo-
que motae iam inueniuntur controuerſiae, quae dif-
ficulter admodum componi poterunt. Auctor, qui,
iam alibi * de quatuor elementis differens, aquae mu-
tationem in terram fixam declarauerat, nunc fluidum
hoc baſin omnium, in tribus naturae regnis obue-
nientium, ſolidorum corporum conſtituere, demon-
ſtrare annititur. Diſquirit primo, quo modo aqua p. 5.
in formatione vegetabilium agat: Licet nonnulli phy-
ſicorum incrementum plantarum per ſolam aquam,
inſtitutis experimentis, comprobare tentauerint, du-
bium tamen manet, an uſurpata ab iis aqua particu-
las terreſtres, ſalinas et oleoſas admixtas habuerit.
Noua itaque hunc in finem ſuſcepit Cl. Auctor tenta-
mina, aquam nimirum fontanam, puriſſimam, de-
ſtillando in balneo maris depurauit, ipſi huic aquae
bulbos et ramulos plantarum immiſit, et optime ve-
getationis euolutiones in iis euenire cognouit, incre-
mentum tamen terreae horum vegetabilium partis,
quod duplo maius eſſe aſſumſit, per inſtituta cum cu-
ra experimenta non definiuit. Quo vero acceſſum p. 7.
terreſtrium, oleoſarum et ſalinarum partium cogno-
ſceret, non tantum aquam roris et pluuiae, ſed et
aliam, iteratis vicibus deſtillatam et depuratam, diſ-
quiſiuit, eamque in vaſis clauſis ſolis radiis expoſuit,
unde omnes hae aquae ſpecies turbidae euaſerunt.
In hac, aquam inquinante, materia terreſtres, oleo-
ſas et ſalinas particulas per calorem productas fuiſſe
ſtatuit, et experimentis chemicis inſtitutis, decla-
rauit. Vlterius deinde in indaganda plantarum ſtru- p. 10.
ctura progrediens, canales vegetabilium adeo exi-
guos eſſe aſſerit, ut vaporis quaſi ſub forma aquam
transmittant, in tranſitu terreſtres et reliquas, a ca-
lore

* Hiſt. de l'acad. roy. des ſciences de Berlin 1746 in pri-
mis in Diſſert. II p. 25 ſeqq.

lore productas, particulas in cellulas ſuas recipere, et ita ſuccum plantarum elaborare, auctis vero hac ratione in plantis partibus terreſtribus frictionem maiorem et ſuccedentem eidem quietem ſuperuenire exiſtimat, quae ita cohaerentes has partes reddat, ut inde ſolidae plantarum fibrae oriri queant. Breuiter tandem modum, quo haec, in plantis inchoata, mutatio in animalibus fieri poſſe oſtendit, et in mineralibus ſimiles quoque mutationes poſſibiles eſſe iudicat; de quibus tamen alia occaſione acturum ſe eſſe promittit. Nobis certe dubia ſemper haec res apparuit, idque ex eo potiſſimum, quod, cum particularum ſalinarum, oleoſarum et terreſtrium intima mixtio cum aqua certiſſima ſit, nos vero aquam, omni quoque ſuſcepta depuratione, ut elementari ſimilis prorſus euadat, efficere non valeamus.

p. 16. 2. *Diſquiſitiones de natura et affectionibus fellis vitri*, Auctore Cl. POTT. Fel vitri, *Glas Galle*, vocabulum eſt, quod minus apte rem indicandam exprimit, cum ſit ſpuma vitri fuſi, a veteri vocabulo *Galle*, quod veſicam, qualis in ſpumam eleuatur, denotat; itaque vel axungiam aut ſal vitri, vel anatron quoque dixerunt. Eſt vero fel vitri terra, ſale remixta, quae maſſae, ad vitra ducenda aptae, in fuſione ſupernatat; nobilior eſt ſaleque magis ſcatet ea, quae ex maſſa vitraria cryſtallina deſumitur, quam quae in vitri vulgaris confectione ſupernatat. Poſt additas alias differentias, ad chemicum examen huius mate-
p. 18. riei, per fuſionem enatae, accedit Cl. Auctor. Nonnulli fel vitri ad ſal commune referunt, alii ad ſal alcali propius illud accedere docent: nos ex inſigni experimentorum, ab Auctore inſtitutorum, numero praecipua tantum ſeligemus, quo pateat, maximam fellis vitri depurati partem ſal mirabile Glauberi ſiſtere. Fel vitri in aere non deliqueſcit, niſi valde humidus ille ſit, quo in caſu media ſaepius ſalia humidi-

tatem

tatem contrahunt. Solutio eius, cum aqua facta, transparens eſt, et terram albam plus minusque copioſam dimittit, quae magis vitreſcens, quam alcalina eſt. Fel vitri porro, ut ſalia media, igni reſiſtit, prunis iniectum leuiter crepitat, igne fuſionis tentatum facile funditur et parum rubet. Cum acidis non efferueſcit, rarius cum vitriolico, ſi nimirum aliquam ſalis communis partem continet. Color viridis, quem cum ſyrupo violarum mixtum producit, non quidem ſal alcalinum, ſed terram tantum alcalinam demonſtrat, quippe quae ſolutionem aluminis non turbat. Solutio depurata poſt euaporationem cryſtallos, tartaro vitriolato et ſali mirabili ſimiles, exhibet, priores acidum indicant, quod cineribus clauellatis et aliis alcalinis ſalibus ex aere adhaeret, de reliquo tamen difficilius funditur tartarus vitriolatus quam fel vitri; cryſtalli ſalis mirabilis minores quidem ſunt, quod fel vitri ignem vitrificationis paſſum eſt. Ea itaque, quae ſal mirabile conſtituunt, in vitri felle quoque adſunt, ſcilicet ſal commune ſodae, terra vero alcalina vitreſcens in cineribus deprehendenda. De acido tamen vitriolico quaedam oriri poſſet dubitatio, quae facile iterum euaneſcit, ſi et eius acceſſum ex aere perpendimus, et, ut a quibusdam aſſeri ſolet, ſilicibus et lateribus admixtum eſſe ſtatuimus. Experimenta porro cum felle vitri, pulueri carbonum, antimonio crudo, eiusque regulo, alumini et ſodae, nec non variis terris et lapidibus, admixto inſtituta, ſal mirabile ineſſe docuerunt. Vſum fellis vitri quod attinet, illud et largiorem ſalis mirabilis prouentum, viliori pretio hac methodo acquirendum promittit, illi praeter ea, qui metalla fundunt, et magis adhuc, qui vitrificationes ſuſcipiunt, eo utuntur, malleabilitatem etiam metallorum faciliorem interdum reddit. In medicina loco ſalis mirabilis illud aſſumi poſſet, niſi ex ea vitri materie enatum ſit, cui arſenicum admixtum eſt.

p. 21.
p. 23.
p. 26.

Commentarius elegans ex latino ſermone translatus hic exhibetur, qui magis adhuc in ea, qua ſcriptus eſt, lingua placeret; ſal mirabile Glauberi e. g. dicitur interdum *ſel merveilleux*, interdum *ſel admirable*, quod confundere facile poſſet lectores.

p. 28. 3. *De apta viſcerum ſtructuram detegendi ratione* diſſerit Cl. LIEBERKÜHN. In diſquirenda partium corporis ſtructura nondum adhuc ad minima peruenimus: in actionibus animalibus difficillima equidem eſt organorum diſquiſitio, ſed in naturalibus quoque et in ſecretione potiſſimum viſcerum explicanda, parum huc usque praeſtitum fuit. Cl. RVYSCHIVS ſuo iam tempore in anatome ſubtiliori praeclara exhibuerat ſpecimina, ſed in minimis vaſorum penicillis multa vaſa maceratione deſtruebantur, et confuſam tantum rei diſquiſitae relinquebant ideam. Methodum igitur docet Cl. Auctor, qua maiora aeque ac minora viſcerum vaſa apte demonſtrari poſſunt: appellat vero maiora vaſa, quae cum vaſis excretoriis ipſis non ſunt continua, minora vero quae cum his connectuntur, vel quae ipſa vaſa ſunt excretoria. Secundum indicatam itaque normam vaſa maiora replentur maſſa, ex cera alba ſine omni pinguedine, cui quinta colophonii et decima terebinthinae pars, cinnabaris vero vel alius coloris ſufficiens quantitas iuncta eſt. Quo vero ſubtiliora illa vaſa, ad quae non peruenire potuit haecce maſſa, ſeparentur, viſcus repletum ſpiritui nitri vel oleo vitrioli, aqua diluto, immittatur, quo abſumantur cuncta praeter ceram, hoc facto in aqua frigida lauetur, ut ſeparatis reliquis cera vaſorum formam ſiſtat. Docet porro methodum, qua haec forma vaſorum aptius conſeruari poſſit. Duas nimirum gypſi, in pollinem ſubtiliſſimum redacti, et unam pulueris laterum, inter ſe miſtas, partes, aqua fontana affuſa, in paſtam ſatis liquidam redigit, illi deinde ceraceam vaſorum formam

immit-

immittit, ita, ut cuncta eius interſtitia ab ea repleantur; inueſtita ſic vaſa, in aere primum ſiccata, paulo poſt igni fortiori exponit, eum in finem, quo omni cera conſumta vacuum ſuperſit, cui argentum liquatum infundi poſſit, unde argentea haecce vaſorum figura ceraceae illi ſimilis prorſus euadit. Vaſa vero minima eadem maſſa ceracea, affuſa prius ſufficienti olei terebinthinae portione, replentur, ſi ex voto ſucceſſit iniectio, partes minores repleti viſceris ſeparantur, iis aſpergitur aqua fortis, quae cuncta praeter maſſam iniectam conſumit. Praeparatae ſic partes, microſcopio, ſpeculo reflectente inſtructo, ſi perluſtrentur, minima viſcerum vaſa optime repraeſentant. Veram hanc eſſe, quam Cl. Auctori debemus, praeparationem viſcerum, eamque egregiam ex dictis perſpicimus, accedat neceſſe eſt exercitata manus, quae cuncta ſtudioſe pertractet.

4. *Obſeruationes de vera oſteocolla Marchiae Brandenburgicae*, Auctore Cl. GLEDITSCH. Cum Cl. Auctor phyſicus prouincialis circuli lebuſienſis eſſet, et in ſabuloſis et ſterilibus illis, ad Oderam et Spream ſitis, locis rem botanicam colere vix poſſet, in diſquiſitione lapidum occupatus, in eum incidit lapidem, quem THOMAS ERASTVS ſabuloſi nomine deſcripſit et quem nunc oſteocollam dicunt hiſtoriae naturalis et pharmaciae cultores. Hanc oſteocollam, cum multae concretiones ſpuriae cum ea confundantur, paulo curatius deſcribendam ſibi ſumit Cl. Auctor. In Marchia Electorali et noua multae terrae ſabuloſae inueniuntur; hae paucas nunc easque viliſſimas plantas nutriunt, cum tamen, ſi monumenta veterum attendimus, ſyluis olim horridae fuerint iſtae regiones, quae vero exciſae ſterilem terram reddiderunt. Arborum radices quidem relictae, ſed ſabulo tectae deprehenduntur; ſub quo terra quaedam alba calcarea, quam nonnulli margam dicunt, deliteſcit; haec, p. 32.

 ab

ab aquis ſoluta, emulſionis ſub ſpecie apparet, et ita
paſſim abundat, ut ſtrata, inter ſabulum decurrentia
et fundus ſtagnorum, alba hac terra tectus, inueniantur.
tur. Oſteocolla vero, ex ea formata, ventorum et
pluuiarum concurſu obuia ſaepius redditur, ut abs-
que labore inueniri queat, unde et eſt, quod illi, qui
oſteocollam pro vera, e terra exſurgente, planta ha-
buerunt, decepti fuerint. Curioſius vero inſtituta
diſquiſitio, ſabulo undique remoto, nexum ramorum
radicis cum trunco, terram ſubtus poſitam, et humi-
p. 42. ditatem ex ea quaſi propullulantem docuit. Sollici-
te igitur Auctor noſter in examinandis variis, circa
hoc foſſile obſeruatis, circumſtantiis verſatur, et, ſin-
gulis probe perſpectis, oſteocollam nec ſpeciem in-
cruſtationis, nec radices ipſas in lapidem mutatas
eſſe, eas potius emortuas et carioſas, per humidita-
tem in ſabulo affluentem, ita diſponi oſtendit, ut ter-
ra alba calcarea accedens earum locum occupare quaſi
et foſſile noſtrum ſiſtere poſſit. Modum itaque in-
dicat, quo humidum ſenſim ſenſimque partium ve-
getabilium deſtructionem et putrefactionem efficit,
ita, ut totum quaſi vegetabile, paucis tantum partibus
relictis, ſoluatur, et quo modo in eo plantae ſtatu aqua
et ſabulum et terram calcaream introducere, et factas
cauitates iisdem replere poſſit, nouum denique exin-
de productum, cur figuram radici ſimilem aſſumat,
affluentes autem aquae veram eius in lapidem den-
ſum mutationem inſimul impediant, declarat.

p. 45. Cum itaque incruſtatio, a multis aſſumta, concedi
non poſſit, in altera huius tractationis parte varias ad-
huc et nouas proponit obſeruationes Cl. Auctor. In
curioſorum muſeis aeque ac pharmaceuticis officinis
oſteocollae loco tophus tubuloſus vel gypſea ſaepius
terra inueniuntur, quoniam vera illa adeo fragilis
eſt, ut per tempus conſeruari vix queat. Ratione
loci natalis nomina adducit eorum locorum, ubi in
utraque Marchia inuentae fuerunt optimae oſteocol-

lae

lae partes: non omnem porro calcaream terram, ſed eam tantum oſteocollae nomine inſigniri poſſe monet, quae figuram radicis repraeſentat, vel, rectius adhuc, quae in radice vera arboris, caua et carioſa reddita collecta, ipſam illius figuram ſequitur. In ulteriorem huius aſſerti demonſtrationem ea commemorat, quae in pino laete adhuc virente obſeruauit, eius nimirum radices, ſabulo tectae, ex parte emortuae erant, et oſteocollam ita formatam continebant, ut in centro adhuc pars lignoſa carie exeſa haereret, reliqua parte tota in oſteocollam mutata.

5. *Experimenta chemica circa oſteocollam in Marchia repertam inſtituta*, Auctore Cl. MARGGRAF. p. 54.
Quae de verae oſteocollae natura ex obſeruatione crebriori induſtrius GLEDITSCH in praecedenti commentario expoſuerat, ea nunc ex chemicis doctrinis declarare pergit Dn. MARGGRAF. Is enim eas praecipue oſteocollae partes, quae puriores a Cl. GLEDITSCH, in pini adhuc virentis radice, repertae fuerunt, examini ulteriori ſubiecit. Lauando primo ſeparauit terram albam a ſabulo; aqua, ad ſiccitatem euaporata, vix ſalini quid oſtendit. Terra alba cum omnibus acidis tentata efferueſcebat, et ulterioribus experimentis diſquiſita terrae calcareae ſimilis prorſus inueniebatur, in primis vero phoſphorum BALDVINI cum acido nitri ita, uti cum creta fieri ſolet, exhibuit, ſali ammoniaco mixta urinoſum volatilem halitum ſub trituratione non ſpirabat, igni demum admota maſſa eum tandem manifeſtabat. Omnia porro, quae cum calce viua ſuſcipiuntur, experimenta eodem modo cum terra noſtra ſimili prorſus notato euentu inſtituta fuerunt. Quaedam pars oſteocollae eſt arena ſubtiliſſima, ideoque vera terra vitreſcens, quae cum alcali fixo, adhibito ſummo ignis gradu, fuſa vitrum dedit flauum, qui color martiales forte quasdam admixtas eſſe particulas, indicat. Re- p. 57.

 tortae

tortae tandem oſteocollam immiſit Cl. Auctor, et deſtillando liquorem obtinuit, qui, variis experimentis tentatus, ſpiritus urinoſi affectiones exhibuit. Varias poſt ea reiicit, in praelectionibus chemicis NEVMANNI propoſitas, aſſumtiones e. g. praeſentiam olei cuiusdam, quod petroleo ſimile ſit, productionem ſpiritus ſalis ex deſtillatione oſteocollae cum oleo vitrioli, quippe quae huic concreto tribui nequeunt. Terra namque calcarea et ſubtilis arena oſteocollam conſtituunt; in putredine vero radicis, antea indicata, forte etiam in inſectorum admixtorum natura, ſpiritus urinoſi ratio poſita eſſe videtur.

p. 61. 6. *Coniecturae de uſu corporum diaphanorum, quae* MICHELLIVS *in laminis fungorum lamellatorum detexit*, Auctore Cl. GLEDITSCH. In laminis, a centro ad peripheriam in fungorum pileolis deductis, tria potiſſimum diſtinguenda ſunt: partes nimirum maſculinae, ſiue ſtamina in margine lamellarum, partes deinde foemininae, vel, cum has nondum ſatis declarauerit microſcopium, ſemina, a latere laminarum copioſius poſita; corpuſcula denique diaphana, a MICHELLIO deſcripta, reliquis copioſius interſperſa. Obiter hic notamus Cl. Auctorem, omnes fungos lamellatos agaricos appellare, MICHELLIVM vero in Nou. Plant. Gen. p. 133 fungi genericum nomen his quoque impoſuiſſe. Is in lamellarum ſuperficie, praeter ſemina, corpuſcula pyramidalia vel conica diaphana conſpexit, a quibus, ut ipſe arbitratur, laminae diſtenduntur, ne altera alteram contingat, et ſemina, a compreſſione libera, usque ad maturitatem loculis ſuis adhaereant; excuſſis enim ſeminibus, haec etiam corpuſcula diſparere obſeruauit. Dictam hanc MICHELLII obſeruationem et confirmare et ulterius illuſtrare ſuſcepit Cl. Auctor. Corpuſcula diaphana non tantum in fungis fimetorum, ſed et in aliis ſpeciebus inuenit, in durioribus vero cartilagineis et nun-

nunquam ferme marceſcentibus fungorum laminis detegere haud potuit, ſemper vero papillas diuerſae figurae, horizontaliter in laminis poſitas conſpexit, quae concretiones cryſtallinas, in venis metallicis deprehenſas, aemulantur. Oriuntur haec corpuſcula fructificationis tempore, laminas arctius compreſſas diſtendunt, quo aerem et puluerem ſeminalem ſuſcipere poſſint facilius, poſt ea vero, laminis in incremento fungi magis diſtentis, non amplius attingunt latera oppoſita. Cum vero haec corpuſcula partem fungi foemininam tam accurate cingant, nobilioribus uſibus deſtinata ea eſſe iudicauit, magis adhuc in hacce ſententia confirmatus, cum non in fungis tantum, ſed in piſtillis quoque, vel potius in ſtigmate lilii albi ſimilia corpuſcula deprehenderet, quae puluerem maſculinum quaſi ſuſcipiebant, et uſque ad finem fructificationis ſuſtinebant, ita, ut tranſitum pulueris maſculini per ſtylum ad ouarium per haec corpuſcula adiuuari, diligenti obſeruatione adhibita, intelligeret. Detexit praeter ea alius figurae corpuſcula diaphana in antheris melonum, quae earum laminas irritant et eas ad ſubitaneam rupturam et diſperſionem pulueris ſeminalis diſponunt. Subſiſtit hic Cl. Auctor in diſquiſitione, ulteriori omnino attentione digna. Nos in campanulae ſtigmate et antheris eadem corpuſcula olim quoque conſpeximus, ſuccum copioſum, in cellulas collectum, et euolutioni harum partium dicatum, in iis elaborari putauimus. Optamus, ut Cl. Auctor continuatis obſeruationibus, circa fructificationem plantarum factis, has ſuas coniecturas certiores ſuo tempore, et arduam ipſam hancce doctrinam clariorem inde reddat.

XXVI.

Plantae rariores Camſchatcenſes, quas Praeſide CAROLO LINNAEO examini ſubmittit IONAS P. HALENIVS, Vpſal. 1750. 4. pl. 4. tab. aen. 1.

GREGORIVS DEMIDOFF, Rhutenus, nuper admodum plantarum rariſſimarum, quas D. LERCHEVS ad *Kamſchatcam*, locum Aſiae remotiſſimum, Americae proximum, collegit, theſaurum LINNAEI iudicio ſubiecit, inter quas non ſolum multae communes atque cognitae, verum etiam aliae omnino ignotae. Harum maxime ſingulares et eas in primis, quae inter illas plantas, quibus GMELINVS LINNAEI herbarium auxit, non reperiuntur, aliquando etiam ab eo ipſo miſſas elegit Cl. Auctor, ſecundum ſexuale ſyſtema diſpoſuit, nominibus ſpecificis inſigniuit, et accuratam omnium partium, quantum exſiccatae plantae permittunt, deſcriptionem concinnauit. Recenſentur itaque ſequentes: 1) *Bromus ſpiculis diſtiche imbricatis ſeſſilibus depreſſis.* Haec graminum ſpecies *Feſtuca culmo ſpicato, ſpiculis multifloris* a GMELINO dicitur, et *Tab. 23. Fl. Siber.* delineatur. 2) *Cortuſa calycibus corollam excedentibus.* Calice campanulato, eoque corolla maiore, hac infundibuliformi et capſula apice quinquevalui ab hactenus cognitis ſpeciebus differt. 3) *Conuoluulus pedunculis unifloris, foliis oualibus tomentoſis.* Calicis foliis tribus inferioribus reliquis maioribus, ut generico charactere, diſcrepat. 4) *Phlox foliis linearibus villoſis, pedunculis ternis.* 5) *Gentiana foliis margine membranaceis, baſi coadunatis.* Appellatur alias *Gentiana humilis aquatica verna Amm. Ruth.* 6) *Swertia corollis quadrifidis quadricornibus.* Differt a generis huius definitione, quam LINNAEVS ipſe dedit, calice quadripartito, corolla ſemiquadrifida, corniculis nectariferis quaternis, totidemque ſtaminibus.

7) *Swer-*

7) *Swertia corollis quadrifidis ecornibus.* A GMELINO eam accepit nomine *Swertiae floribus quadrifidis laciniis erecto patentibus.* Calice, corolla et ſtaminibus cum priori conuenit, nectarii nulla hic facta eſt mentio. 8) *Salſola fruteſcens foliis piloſis inermibus.* 9) *Anabaſis aphylla articulis emarginatis*, cuius ſynonymon eſt *Kali bacciferum ſalicorniae facie Buxb.* alia praeter ea adducitur eiusd. *Kali bacciferi* ſpecies, quae folia clauata habet, et quae a LINNAEO *Anabaſis foliis ſubclauatis* nominatur. *Anabaſis*, noui generis ſequentes ſunt characteres. Calicis perianthium triphyllum, foliolis ſubrotundis, concauis, obtuſis, patentibus. Corollae petala quinque, ouata, aequalia, calice minora, perſiſtentia. Stamina quinque flore longiora, inter ſingula petala ſingula. Germen ſubrotundum acuminatum, deſinens in ſtylos duos, ſtigmatibus obtuſis. Bacca ſubrotunda calice dilatato cincta, ſemen unicum cochleatum. 10) *Lilium foliis verticillatis, floribus erectis, corollis campanulatis.* Diſtinguitur non modo his ſpecificis characteribus a lilio, ſed et piſtillo, quod ex ouario triangulari, ſtylo nullo, ſed modo ſtigmatibus tribus, recuruis, longitudine fere germinis conſtat. 11) *Melanthium petalis ſeſſilibus.* Hanc nomine *Ornithogali ſpicis florum longisſimis ramoſis* GMELINVS deſcripſit atque delineauit. Notamus ex data nunc deſcriptione ea, quae in definitione generis adhuc deſiderantur. Flos non relatiuus, ſed perfectus eſt, calix nullus, petala ſex perſiſtentia ſeſſilia, ſtamina corollae dimidio breuiora, eique ad baſin nectarii adnata, capſula triualuis. Nouam iconem LINNAEVS dedit. 12) *Sophora foliis ternatis, ſpica verticillata.* Stipulae foliorum maximae plantam reddunt ſpecioſam. 13) *Mitella foliis ternatis.* Capſulas haec duas habet, quarum altera duplo maior eſt. 14) *Sedum foliis quaternis.* Icon, quae hic datur, imperfecta eſt. 15) *Spiraea foliis pinnatis.* Hoc nomine inſignitam plantam

GMELINVS miſit, oſtenditque affinitatem ſpiraeae cum filipendula et arunco. Habitus enim arunci, ſed flores hermaphroditi, panicula filipendulae, ſed piſtilla quinque. 16) *Dryas pentapetala, foliis pinnatis.* Flos unicus ſcapum terminat. Calix monophyllus decemfidus, laciniis alternis minoribus, petala quinque calice duplo maiora, fructus omnino dryadis; caryophyllatae ſ. geo ſociare vetat, ut LINNAEO videtur, figura florum et ſeminum cauda apice inermis. 17) *Cimicifuga*, ſ. *Thalictroides foetidiſſimum chriſtophorianae facie Amm.* Calix tetraphyllus patens, foliolis concauis, deciduis, corollae petala quatuor, calyce maiora, decidua, filamenta capillaria plurima, longitudine corollae, antherae erectae, piſtilli germina quatuor angulata, ſtylis breuiſſimis, ſtigmate ſimplici, pericarpii capſulae quatuor, ſemina plurima hiſpida, villis foliaceis. Fructus itaque quadricapſularis plantam reddit diuerſiſſimam. Vſus eius ſpecificus eſt contra cimices, unde et nominis origo. 18) *Helleborus foliis ternatis, ſcapo unifloro.* Nectaria petalis quinis ſaepe plura habet. Nitide ſatis delineatur. 19) *Bartſia foliis alternis bidentatis, calyce quadridentato.* Hanc plantam etiam GMELINVS legit, ſed foliis caulinis vix dentatis, floralibus ouatis, utrinque bi aut tridentatis, unam tamen eandemque plantam eſſe exiſtimat Cl. Auctor. 20) *Arabis caule nudo.* Huius icon additur. 21) *Aſtragalus acaulis, leguminibus inflatis, ſubgloboſis.* 22) *Aſtragalus capitulis oblongis ſeſſilibus, calycibus et leguminibus lanatis Hort. Vpſal.* 23) *Prenanthes repens foliis trilobis.* Calix cylindraceus decem conſtat ſquamis, aequalibus, baſi quinque aliis cinctus. Corolla compoſita floſculis decem, corollae lingulatae calyce duplo longiores, quinquedentatae, pappus ſimplex. In icone haec ut et ſequens repraeſentatur. 24) *Neottia nectarii labio bifido lineari.* 25) *Dracontium foliis lanceolatis.* Facies foliorum mandragorae, ſpathae

thae ari, ſpadicis callae, ſquamae vero calicinae, floſculos diſtinguentes, dracontii ſpeciem eſſe euincunt. 26) *Lycopodium repens dichotomum, foliis quadrifariam imbricatis, ſpicis ſesſilibus.* Caules deraſis foliis laete ſunt purpurei, adeoque vel hoc ſolo colore diſtincta euadit ſpecies. Icon appoſita non bene plantam refert.

XXVII.

Nuovo methodo per curare ſecuramente ogni canchero coperto e ſpecialmende le ghiande ſcirroſe delle mammelle, e di altre parti di corpo. Si aggiungono molte lettere indicanti le guarigioni ſeguite opera di GIVSEPPO MARIA QVADRIO, Academico eccitato, in Venezia 1750. 4 pl. 15. appreſſo Giouanni Teuernin.

ſeu:

Noua methodus ſecure curandi cancrum occultum, in ſpecie glandulas ſcirrhoſas mammarum aliarumque corporis partium. Accedunt plures epiſtolae curationis euentum concernentes per IOSEPHVM MARIA QVADRIONEM.

Ipſe Cl. Auctor ſpecifici cuiusdam in cancro remedii inuentor eſt, quod vero in hocce libro accuratius eam ob cauſam non deſcribit, cum nec tempus ipſi opportunum eſſe videatur, nec ſuae adhuc ſatisfecerit voluntati. Expectare itaque iubet alium, in quo deſcriptio eius plenior ſecutura ſit, libellum, qui num prodierit, nos in praeſenti latet. In primo capite de fabrica mammarum diſſerit, pauca tantum et vulgaria proponens, niſi, quod glandulas, mammas conſtituentes, panniculo adipoſo et carnoſo inueſtiri

ri autumet, atque a vaſis lymphaticis, in iis deprehendendis et cum illis communicantibus, in ipſas glandulas viſcoſum ſuccum deponi, earumque tumores ſcirrhoſos produci, aſſumat. Ad morbi mox propius accedens indolem declarandam, Cap. II ſedem mali, principium augmentumque eius conſiderat, et tres eius gradus diſtinguit. Primus vix dignoſcendus principium conſtituit, cuius demum praeſentia tunc detegitur, quando iam magis intumeſcit, atque a naturali ſtatu recedit glandula, illeque mox ſecundus, Cap. III deſcriptus gradus eſt. In ſcirrhoſa itaque et duriori glandula ſenſim ſuperficies cutis liuida redditur, plumbei coloris, morſus quaſi interni percipiuntur, inflammatio ſubſequitur, ex quo malo ſi in mamma fuerit, non brachium ſolum, ſed pedem quoque affecti lateris obſtupuiſſe animaduertit. Tunc autem occultus iam cancer ineſt, qui tandem acerrimis redditis intus ſtagnantibus humoribus, in cancrum apertum mutatur, cuius ſymptomata, tertium morbi gradum conſtituentia, Cap. IV recenſet, quae tandem ingraueſcentia vitae finem imponunt. Ex reliquis autem corporis humani partibus cancro in primis feminarum mammas eſſe obnoxias opinatur, Cap. V, quod ob ſanguineorum, lymphaticorum, atque lacteorum vaſorum copiam facile ſucci ſtagnare et corrumpi poſſint. Sed, cum ex leuibus et aegre diſtinguendis principiis oriatur ſcirrhus, leues etiam, rerum ſic dictarum non naturalium, errores tandem cancri cauſae eſſe poſſunt, id, quod Cap. VI euincit, in Cap. VII deinde adiungens alias, ut menſtruorum ſuppreſſionem, quae in utero et mammis glandularum mutationes producunt, animi affectus, hereditarium morbum, omnemque vehementiorem compreſſionem, v. c. a thoracibus firmis, ex oſſibus balaenarum confectis, a decubitu in his partibus. Duplex hunc morbum curandi via eſt, alia adhibitis tum externis tum internis

nis remediis, quae fluida diluant, ſolidisque tonum reddant, alia per amputationem. De priori in Cap. VIII agit, longam recenſens omnium, quae in eiusmodi affectu commendantur, remediorum ſeriem. Alteram in Cap. IX proponit, minori cum laude de illa diſſerens, quippe quam crudelem admodum, nec in aliis poſt modum partibus praecauendi ſimiles effectus ſufficientem eſſe arbitratur. Sequitur ex eo, ut praeferendum huic ſit nouum inuentum ſpecificum, cuius virtutes Cap. X primo deſcribit, quod aſſumtu ſit facile, ventriculum non debilitet, partesque contineat, quae poſſint ſine turba humoribus admiſceri atque ad minima usque vaſa deduci, viſcida reſoluere, et in circulum reducere, in primis ſi balſamicae tandem accedant, quae ſolidis robur reddant, partes. Eiusmodi autem ſe deprehendiſſe viſus eſt in aqua picis liquidae, cui balnea et ceratum quoddam, affectis partibus imponendum, iungit. Cuius, licet praeparationem et admiſta non deſcribat, multum tamen eam a Berkleyano parandi modo abeſſe aſſerit. Meminit autem huius remedii Cl. Auctor in ſingulari de eo conſcripto tractatu, Bergamo 1747 edito, eiusque virtutes additis variis epiſtolis corroboratas dedit. Ex his autem non mammarum tantum ſcirrhos, ad carcinomata iam procliues, feliciter ſublatos fuiſſe apparet, ſed aliarum quoque, ut meſenterii, glandularum tumores hoc remedio diſſipatos fuiſſe confirmatur. Tandem, cum una eademque morbi cauſa in diuerſis partibus poſſit differentes admodum producere morbos, Cap. XI quicquid a viſcido humore originem habet, eodem ſpecifico remedio curari poſſe ſtabilit, denuoque teſtimoniis eorum adductis comprobat, qui morbis eiusmodi affligebantur. Sunt autem ex his morbi hypochondriaci, grauia ſaepe ſymptomata, nec non palpitatio cordis, iſchiadicumque malum, quae affectiones exhibita ſaepe adducta medicina et tolerabiles magis reddebantur et ſopiebantur. Nulli quidem

dem dubitamus, conuenienti ratione uſurpatum multum praeſtare poſſe, nec huic ſpecifico denegamus remedio ſuam vim et in morbis efficaciam, eam tamen ob rationem Cl. Auctorem omni a culpa liberum non eſſe poſſe autumamus, quod, proponendo tantum ſimplicem remedii denominationem, videatur gloriolae affectandae et lucelli obtinendi cauſa magis de expoſito huc uſque tractaſſe argumento, quam, ut aliorum quoque, medicinam facientium, commodo inſeruire animus fuerit. Sua enim, quarum vera natura aliis non ſatis conſtat, laudare remedia, ingenui vix eſſe videtur medici, nec viri probi nota.

XXVIII.

Noua methodus ope flammae lampadis excludendi pullos. Auctore Cl. BEGVELIN. Vid. Bibliotheque impartiale Tom. II. premiere partie. 1750.

Experimentis, quae de pullis excludendis huc uſque ceperat Cel. REAVMVR, commotus quoque fuit Cel. SVLZER, Profeſſor Berolinenſis, quo tentaret, nonne idem quoque ope vaporum ab aqua feruida aſcendentium praeſtare poſſet. Quam ob cauſam cylindrum, ex lamina ferrea ſtanno obducta confectum, cuius diameter aeque ac altitudo ſex pollicum ſemis fuit, teſtaceo furno, candentibus repleto carbonibus, impoſuit. Ex ſuperiore cylindri parte tubus diametri octo linearum aſcendens, ad angulum dextrum recuruatus, inter duos machinae, ouis recipiendis deſtinatae, fundos deſinens, vapores aquae bullientis eo adduxit. Ipſa vero machina parallepipedum fuit duos pedes longum, unum dimidiumque pedem latum, et quinque pollices altum. A fundo machinae ad duorum pollicum diſtantiam alter fuit fundus cum illo ferruminatus, inter quem utrumque tubus ille abiit, quam ob rem

rem in lateribus cauitatis hoc modo conformatae tria patuere foramina, unum pro immittendo tubo, alterum in aduerſo latere pro emittendis vaporibus, et ultimum tandem idque minimum in infima parte pro aqua ex condenſatis vaporibus iterum collecta detrahenda. Latera vero illius machinae a fundo ſuperiore tres alta pollices fuere, ſuper cuius ſummam ſuperficiem apertam mantelium arcte fuit tenſum, cui oua alio mantelio cooperta, ſtupa inſuper circumligata, impoſita fuerunt; in ipſam enim cauitatem ob calorem ouis moleſtum immitti haud potuerunt. Effectus nunc quidem Cl. SVLZERI votis reſpondit, et pullos in ſuis teſtis ad decimum uſque diem viuere vidit, cum ipſi propter nimium ex alius hominis negligentia excitatum caloris gradum ſuffocarentur. Quo, et alio deinde a Cl. BEGVELIN, optimo ſtudiorum ſereniſſimi Boruſſorum Principis moderatore, repetito, experimento irrito facto, in commodiorem finis eius potiundi viam inquiſiuit, eoque magis, quo minus in illo tentamine iuſtus et aequalis caloris gradus a prunis obtineri potuerat. Eandem retinuit machinam, cuius inferioris cauitatis tertiam circiter partem aqua repleuit, ſuperioris autem fundo lintea, et his demum oua, partitis tamen vicibus et diuerſis diebus, impoſuit, ſtramentis minutim conciſis ab initio interſperſis, iis vero dein prudenter omiſſis. Duarum primo lampadum, poſt ea vero unius tantum flamma, oleo ſuſtentata, debitum caloris gradum ouis conciliauit, quem antea, uti decet, thermometro determinauerat. Multo ſane ſtudio in filorum ad parandum ellychnium inueſtiganda neceſſaria copia uſus eſt, ut calor ſemper aequalis maneret, quorum ſex numero optimi uſus fuerunt. Ellychnia firma, et, quantum fieri poteſt, ſint aequalia, ipſaque machina tali in loco ponatur, ubi ne flatus quidem accedere poteſt; alias calor

muta-

mutatur. Quam ob cauſam multi quoque pulli ab initio in ſuis adhuc teſtis mortui ſunt, reliquis deinde feliciter excluſis. Idem paulo poſt, mutata vero machina, repetiit experimentum, quod, uti commodius factuque facilius, ita quoque felicioris fuit euentus et maioris utilitatis. Duplicem enim ex laminis modo dicti generis parandum curauit cylindrum, quorum unum alteri immiſit, ita tamen confectum, ut exterioris diameter eſſet duorum pedum, interioris autem viginti pollicum, illiusque altitudo nouem, huius autem ſeptem pollicum, ideoque inter utrumque ex omni parte ſpatium duorum pollicum maneret. Superiores utriusque margines inter ſe iuncti ſunt mediante annulo, duos pollices lato, ex ſimili lamina parato, cum duobus foraminibus ad infundendam aquam, tranſitumque vaporibus conciliandum neceſſarius. Ouorum modo duos indidit ordines, et mantelio cooperiit, goſſypii copia ſuperſtrata; exterius autem ſpatium repleuit aqua ad eandem uſque altitudinem, quam ouorum ordines occuparunt, et lampadem cum uno tantum ellychnio, e duobus medullae iunci filis facto, inferiori fundo ſubiecit. Vt obſeruaret, quo modo formarentur ipſi pulli, varia ſatis ingenioſe tentauit Cl. Auctor, et bene res ſucceſſit, quando ouuli per breue tempus exemti teſtae partem abſtulit, aliquid albuminis emanare paſſus, leui iterum manu immittendi, factamque aperturam alius oui teſtae particula probe cooperiit, ipſum vero ouum, cui goſſypium circumuoluerat, in pyxidem depoſuit, quam in ipſam machinam denuo immiſit. Ouum per duos dies incubatum apertum oſtendit germen penitus adhuc candidum, altero die circulus exterior apparuit ſubruber, motu cordis nudo oculo diſtinctiſſime obſeruato, atque poſt tres dies totius corporis motus aut quaſi oſcillatio, arteriarum motui plane ſimilis, conſpicua fuit. Aliud trium dierum ouum continebat pullum viuentem, in quo ſanguinis tranſitus

tus ex uno cordis ventriculo in alterum accurate cernebatur. Propter aerem vero admiſſum pulli facile corrupti ſunt, experientia tamen conſtitit, quod pullus per ſeptem ad minimum dies, poſtquam ouum e machina depromptum fuit, ſine corruptione viuere potuerit. Quod ſi quis etiam abeat in putredinem, adſunt tamen alia eiuſdem aetatis oua, in iisque contenti pulli, quorum magnitudinem comparare poteris cum illo emortuo; ideoque ipſius animalis augmentum per totum incubationis tempus ſine interruptione obſeruare.

XXIX.

Noua Medica.

Pariſiis. Mutos, qui ſurdi nati ſunt, linguae uſum edocere velle, ut utiliſſimus ſic taedioſus admodum iudicatur labor. Poſt AMMANNVM, Cl. PEREIRE optime hanc artem exercet *. Doctiſſimi viri DE MAIRAM, DE BVFON et FERREIN, ab Academia regia ſcientiarum delegati, praecedenti anno, felices, iuuenis tredecim circiter annorum, ſurdi et muti a natiuitate, in hac arte progreſſus examinarunt et impreſſam de iis relationem in Academiae aduerſariis confirmarunt. Hoc, quod nec medica ſcientia neque chirurgia docet, artificium, puerilis magis luſus, quam inſtitutio, ſpectantibus eſſe videtur. Perficitur illud alphabeti ope, quod varia digitorum unius tantum manus commotione abſoluitur, et verbis non tantum intelligendis, ſed iis etiam, quod difficillimum eſt in gallicae linguae idiomate, rite diſtincteque ediſſerendis, aeque ac numeris exprimendis, aptum eſt. Eo quoque deueniunt diſci-

* Vide de his Diarium gallicum eruditorum anno 1751. menſe April. p. 499 ſeq.

diſcipuli, ut chartae inſcripta intelligant, et indicata in iis peragant. Tempus, quod huic inſtitutioni adhibet ingenioſus PEREIRE pro ratione profectuum et hominis inſtruendi aetatis, diuerſum eſt. Artem namque ediſſerendi duodecim vel quindecim menſium ſpatio addiſcunt eius curae commiſſi, verborum vero ſignificatus rite ut ab iis percipiatur, longiori omnino tempore opus eſt. Ipſe PEREIRE, qui praeter gallicam, hiſpanicam quoque et luſitanicam linguam, hac methodo ſe tradere poſſe, profitetur, fratris auxilio in ſuis utitur lectionibus, ſororem vero inſtruendis ſequioris ſexus perſonis adhibere ſe velle, indicat.

Topicum iſtud, quod chirurgus oppidi *Chatre* in Ducatu Bituricenſi ſiti, Dominus BROSSARD, ad ſiſtendas haemorrhagias excogitauit *, muneribus inde et annuo ſtipendio a rege inſtructus, ſecundum eam, quam academia chirurgorum publici iuris fecit, deſcriptionem, fungi, veteri quercui innati, ea ſpecies eſt, quae a rei botanicae cultoribus, agaricus pedis equini facie, R. H. inſtit. 562 fungus in caudicibus naſcens, unguis equini figura C. B. Pin. cognominantur. Optimus ille eſt, qui menſe Auguſti et Septembris ex veteri ramis deſtituta quercu collectus, in loco ſicco conſeruatur, et adhibendus ſic praeparatur. Cortice exteriore albo et duro, cultri ope deſtructo, ſubſtantia fungoſa apparet, quae inſtar cutis rupicaprae, extendi poteſt; haec a fiſtuloſa agarici ſubſtantia ſeparata, et in partes plus minus craſſas diſciſſa, mallei ictibus tamdiu ſubmittitur, uſque dum mollior inde reddita, in partes minores diſcerpi queat. Sic praeparata pars huius fungi, arteria vulnerata maior, illi imponitur ita, ut a cortice remota eius facies, ipſi vaſis aperturae ac-com-

* Vide Diarium gallicum eruditorum anno 1751. menſe Auguſti p. 536.

commodetur, alii vero, maiori paulo, priori impoſito fruſto, conuenientes faſciae adiiciantur. Puluis ex illa agarici parte praeparatus, quae ſubſtantiae eius fungoſae ſubeſt, a vermibus plerumque exeſus, minoris eſt pretii, unde et ipſam fungoſam ſubſtantiam, quam vermes non ſunt aggreſſi, eligendam et adhibendam eſſe apparet.

Pharmacopola pariſienſis, cui nomen eſt SAGE, ex America, ſub nomine *Pocgereba*, allatum corticem vendit, a paucis modo annis cognitum, qui ut ſpecificum ad percurandam diarrhoeam, fluxum hepaticum et dyſenteriam, commendatus, inſipidus eſt, nec vomitum, neque alui deiectiones cauſatur. Saepius cum eo, in loco natali iam inſtituta experimenta, Pariſiis, iubente ſic medicorum ordine, repetita, adſcriptas ipſi vires et indicatum eius uſum confirmarunt. Tres eius unciae ad curam adulti, quae intra duos ſaepius dies abſoluta iam eſt, ſufficiunt. Libra, ut videtur medica, huius corticis, pretio octo circiter thalerorum venditur.

Doctores et Profeſſores publice et priuatim artem ſalutarem docentes.

1) In Vniuerſitate Pragenſi Carolo Ferdinandea:

IO. IGNATIVS MAYER DE MAYERSBACH, Ph. et M. D. Sacr. Caeſ. Reg. Mai. Conſil. et Perſonae Medicus, Norimbergenſis Aſſiſtens, Praxeos Prof. Primarius Reg. Publ. Ord. Facult. Medicae Senior.

IO. ANTON. SCRINCI, Auratae Militiae Eques, Sacr. Aulae Lateranenſis et Apoſtolici Palatii Comes, Art. Liberal. Phil. et M. D. Praxeos, Chymiae et Phyſicae Experiment. Prof. Reg. Publ. et Ord.

FRANCISCVS DV TOY, Art. Liberal. Phil. et M. D. Anatom. Prof. Reg. Publ. Ord.

GVILIELMVS MACNEVEN, Art. Liberal. Phil. et M. D. Inſtitut. Medic. Prof. Reg. Publ. Extraord.

IOSEPH. ADALBERTVS SCOTTI, Art. Liberal. Phil. et M. D. Auratae Militiae Eques, Sacr. Aulae Lateran. et Apoſtol. Palat. Comes, Botaniae Prof. Reg. Publ. Extraord.

2) In Vniuerſitate lipſienſi Aſſeſſores Facultatis.

IO. ERNESTVS HEBENSTREIT, Phil. et M. D. Therapiae Prof. Publ. Ord. Facultat. Medicae Decanus, Acad. Decemuir, Colleg. Mai. Princip. Collegiat. Lipſienſium Poliater, Acad. Nat. Cur. et Societ. Liter. Maſſil. Sodalis.

CHRIST. MICHAEL ADOLPHI, Phil. et M. D. Facultat. Med. Senior, Collegii B. M. Virg. Collegiat. et Senior, Acad. Nat. Cur. Sodalis.

SAMVEL THEODOR QVELLMALZ, Phil. et M. D. Pathol. Prof. Publ. Ord. Acad. Decemuir, Colleg. Mai. Princip. Collegiat.

ANTON WILHELM PLAZ, Phil. et M. D. Botanices Prof. Publ. Ord. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

IO. CHRISTOPH POHL, Phil. et M. D. Medicinae Prof. Publ. Extraord. Coll. B. M. Virg. Collegiat. Phyſicus Prouincialis, Acad. Nat. Cur. Sodalis.

IVSTVS GODOFREDVS GÜNZ, Phil. et M. D. S. Reg. Maieſt. Polon. Conſiliar. Aul. et Archiater, Anatomiae et Chirurgiae Prof. Publ. Ord. de Acad. Reg. Scient. Pariſ. et Acad. Reg. Scient. et Art. Rothomag. Sodalis, quo Dreſdae Potentiſſ. Regis curam gerente, muneribus eius in hac academia praeeſt

IO.

IO. BENIAMIN BOEHMER, Phil. et M. D. Anat. et Chirurg. Prof. Publ. Extraord. et Ordinarius Subſtitutus, Pauperum penes Lipſienſes Medicus.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Phil. et M. D. Phyſiologiae Prof. Publ. Ord. Coll. B. M. Virgin. Collegiat.

Profeſſores Reliqui.

ADAM FRIEDRICH PETZOLD, Phil. et M. D. Chymiae Prof. Publ. Ord. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

POLYCARPVS FRIDERICVS SCHACHER, Phil. et M. D. Medicinae Prof. Publ. Extraord.

CARL FRIEDRICH HVNDERTMARCK, Phil. et M. D. Medicinae Prof. Publ. Extraord. Acad. Nat. Cur. Inſtituti Bononienſis et Regiae Scient. Suecicae Sodalis.

Doctores Legentes.

IO. VALENTIN HARTRAMFFT, M. D. Medicus Obſtetricius, Noſocomii et Orphanotrophii Medicus Ordinarius.

IO. ABRAHAM HEINE, M. D.

ERNESTVS GOTTLOB BOSE, Phil. et M. D.

FRIDERICVS GOTTLOB IACOBI, Phil. et M. D.

GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER, Phil. et M. D.

ANTONIVS RIDIGER, Phil. et M. D.

IO. GODOFREDVS IANCKE, Phil. et M. D.

3) In Academia Vpſalienſi.

NICOLAVS ROSEN, M. D. Archiater Regius, Medic. et Anat. Prof. Reg. et Ord. Acad. Scient. Stockh. et Vpſal. Sodalis.

CAROLVS LINNAEVS, M. D. Archiater Reg. Medicinae et Botanices Prof. Reg. et Ord. Acad. Nat. Cur. Monſpel. Berol. Toloſ. Pariſin. Stockh. et Vpſal. Sodalis.

Praeclaris hiſce Duumuiris, ex Philoſophorum ordine annumerandus eſt

IO. GOTTSCHALK WALLERIVS, Phil. et M. D. Chemiae, Metallurgiae et Pharmaceut. Prof. Reg. et Ord. Acad. Nat. Cur. nec non Regiae Acad. Stockholmienſis Sodalis.

Petropolitana Imperialis Scientiarum Academia, centum nummorum aureorum praemium ſtatuit illi, qui ſeparationem auri ab argento, per aquam regiam huc usque factam, ex phyſicis aeque ac chemicis doctrinis omnium optime declarabit, et breuiorem inſimul, minusque pretioſam haecce metalla ſeparandi methodum tradet. De hoc, quod ad annum huius ſeculi quinquageſimum tertium pertinet argumento, conficiendae diſſertationes, in gallica, latina, germanica aut ruſſica lingua, ſcriptae ut ſint, et ante primum Iunii eiusdem anni diem, ſymbolo, loco nominis ſignatae, ad Academiae Cancellarium transmittantur, eruditae huius ſocietatis inſtituta poſtulant.

Berolinenſis itidem Scientiarum Academia ampliſſimam et diſquiſitione omnino dignam materiem naturae et animalis potiſſimum corporis ſcrutatoribus, phyſiologis, propoſuit, in qua illi debitam in obſeruando induſtriam, et omnes in diiudicandis phaenomenis exercere poſſunt ingenii vires. Cum enim neruo deſtructo, ipſi ſtatim muſculi, ad quos ille pertinet, agere deſinant, actionem muſculorum ex ſolo eorum cum cerebro nexu per neruos declarandam eſſe pateſcit. Hoc, quamuis ab omnibus concedatur, illud tamen ulteriore adhuc diſquiſitione indi-

indiget, num ſcilicet dictus hic nexus per fluidum in neruis contentum eueniat, quod muſculos, dum agunt, inflat; quae ſit natura aſſumti huius neruoſi liquidi, et quo denique modo eos illud producat effectus, qui in motu muſculari et ſubſequente ſtatim partium quiete conſpiciuntur. Dignus certe labor quinquaginta nummorum aureorum ipſi conſtituto, anno quinquageſimo tertio impetrando praemio, ſi modo certi quicquam in hac aeque ac aliis abſconditis naturae operationibus definiendi ſpes ſupereſſet.

Burdigalae condita Academia, utiliſſimum illud, quod ad annum huius ſeculi quinquageſimum ſecundum pertinet, argumentum propoſuit, ut phyſices cultores in cauſas inquirant, quae frumentum corrumpunt, atque uſtilaginem ipſi inducunt, et optimam inſimul proponant methodum, qua nociua iſta eius conditio praecaueri queat. Quinquageſimo vero tertio anno, curioſior aeris diſquiſitio deſtinata eſt, ita, ut corpus humanum, in quantum illud pro ratione diuerſarum aeris conditionum, varias quoque patitur mutationes, praecipue conſiderandum veniat. Conſcriptae de his argumentis diſſertationes, quarum Auctores, qui optime materiem propoſitam pertractarunt, quotannis nummum memorialem aureum, centum circiter thaleros aequantem, tanquam praemium percipient, ante primum Maii, cuiuslibet anni diem, ad Academiae Secretarium vel bibliopolam transmittendae ſunt.

Goettingae nouiter exſurgentis Regiae Scientiarum Societatis, eo maiori cum iure et voluptate mentionem hic faciendam eſſe putamus, quo utiliores ſunt illi labores, quos celeberrimi Viri unitis viribus perficiendos ſibi ſumſerunt, in phyſices et rei medicae quoque incrementum directi. Optima haecce

 claro-

clarorum Virorum Societas, quae aliquoties iam in aedibus Praeſidis perpetui, Illuſtr. ALBERTI DE HALLER, Viri doctiſſimi, conuenerat, ad diem decimum Nouembris, ſolemni ritu inaugurata, publicum, eumque primum celebrauit conuentum. Lectae huc usque nobilisſimi argumenti diſſertationes, quae proxime primam Commentariorum huius ſocietatis partem conſtituent, exoptatam nobis, de iis diſſerendi, dabunt occaſionem, id tantum in praeſenti acturis, ut materiem indicemus, quam dicta haec Academia, anno quinquageſimo tertio dicatam, eruditorum diſquiſitioni commendauit. Pertinet illa ad difficillimam, et varia huc usque ratione explicatam generationis hiſtoriam; ouuli nimirum feminini, ut habitaculi corporis naturam et ſeparationem ab ouario, illius deinde originem, in corpore luteo forte quaerendam, tandem num ipſum hoc luteum corpus ex Graafiana exſurgat veſicula, et quis dictae huius veſiculae ſit uſus, in diſſertationibus pertractanda eſſe, indicatur. Latino idiomate conſcriptae hae diſſertationes, ante menſis Octobris ſequentis anni initium Societati tradendae ſunt ita, ut earum Auctores, prorſus omiſſo nomine, ſymbolum in charta notatum integrum, et illud altera iterum vice ſimili ſchedulae inſcriptum diſſectum deinde, quo ad partem tantum ſimul transmittant. Qui optime propoſitam materiem illuſtrauit die Societatis natali, decimo nimirum menſis Nouembris, de Societatis aſſenſu, per ſymbolum nouis literariis inſertum, certior factus, altera poſt ea ſchedulae parte protracta ſe ipſum prodens, nummum memorialem aureum viginti quinque ducatorum pretio aequantem, praemii loco reportabit.

Ipſa inſtituti praeſtantia poſtulat, ut lectionum de arte obſtetricia in Theatro anatomico chirurgico *Berolinenſi* Regis iuſſu capta initia hic indicemus. Cum ad

ad feminas plerumque huius artis exercitium nunc deferatur, illae, quo partium, quas durius ſaepius tractant, notitiam, et ipſa artis, quam exercent, fundamenta percipiant, ut penes nos indefeſſo HARTRAMFFTII noſtri ſtudio fieri ſolet, edoceri et inſtrui debent. Hinc ex optimo Regis Poruſſorum inſtituto, obſtetricum ſcholae Berolini fundatae fuerunt. Aperuit eas ad diem trigeſimum Octobr. anni praeteriti Illuſtr. ELLERVS Regis Conſiliarius et Archiater, habita oratione; ea finita, Vir Clariſſ. IO. FRIDERICVS MECKEL, M. D. in Theatro anatomico Proſector et Artis obſtetriciae Demonſtrator conſtitutus, primas in cadauere ſuſcepit demonſtrationes, quae ſingulis Mercurii atque Saturni diebus continuantur, praeſentibus multis, ex prouinciis etiam conuocatis, huic arti addictis feminis.

In *Hanoueranae* ditionis prouinciis ad diem vigeſimum nonum Nouembr. publicatum habemus mandatum, quod, ſi ita, ut opus eſt, obſeruetur, rei medicae non parum adiumenti allaturum eſſe putamus. In illo namque ab omnibus, qui in iſtis regionibus faciendae medicinae animum adhibent, aut in Goettingenſi Academia Doctoris medici titulum mereri cupiunt, exigitur, ut, antea quam licentiam ſibi expetant, unam alteramue ipſis traditam corporis humani partem in Goettingenſi Theatro anatomico praeparent, et facta diſſectione, publice fabricam eius demonſtrent, rei denique bene actae teſtimonium, ab Anatomiae Ordinario Profeſſore acceptum, Medicae Facultati exhibeant; id quod iis etiam perficiendum eſt medicis, qui aliunde aduenientes, Doctoris titulo iam praediti, practici munere fungi volunt.

Pariſiis Regia Chirurgorum Academia ad diem decimum octauum Nouembr. praeterlapſi anni, GERHARDVM L. B. VAN SWIETEN Sacrae Caeſareae Maieſtatis

Archiatrum conſentientibus omnibus, ſocium ſibi iunxit, quem, optime de medicina et de Boerhaauio meritum, ipſis gratulamur.

Berolinenſis Academia Scientiarum Regia, Virum Clariſſimum D. IOHANNEM GESNERVM Phyſic. et Math. Prof. Ordin. Tigurinum ut membrum extraneum ſuae ſocietati adſcripſit. Accesſit etiam ad diem vigeſimum tertium Octobr. anni praecedentis Vir Doctiſſimus GOTTLOB CAROLVS SPRINGSFELD M. D. et Brand. Culmbac. Conſil. Aul.

Giſſam vocatus ſe contulit GERHARDVS ANDREAS MÜLLER, Medicinae Doctor, quo munus medicinam publice docendi adiret. Ille ab anno huius ſeculi quadrageſimo tertio Conſiliarii Ducalis, militum praeſidiariorum Medici et Bibliothecae Vinarienſis Inſpectoris officio fungens, quinquageſimo poſt ea anno, Comitis de Selenicki, Supremi Regni Polonici Theſaurarii Archiater factus, in Poloniam abierat, nunc vero redux, docendo medicinam illuſtrare conſtituit.

Goettingenſis Academia IOHANNEM GEORGIVM ROEDERER, Virum a nobis iam ſupra laudatum, medicinae Profeſſorem publicum accepit, qui phyſici inſimul et oeconomici argumenti inſtituet Collegia, utiliſſima certe, in academiis rite conditis, non negligenda.

Rintelii, Anatomiae Profeſſionem, cui IOHANNES FRIDERICVS FVRSTENAV M. D. ad diem vigeſimum ſecundum Martii praeterlapſi anni demortuus antea praefuerat, Clariſſimo FRENSDORF traditam iterum fuiſſe, legimus.

Clariſſimus IOHANNES IVSTVS DE BERGER Potentiſſimi Daniae Regis Friderici V Archiater factus,

etus, Goettinga profectus, initio menſis Nouembris Hafniam aduenit, et Regi acceptus, munere ſuo fungi cepit.

Lipſia noſtra meminit adhuc IOANNIS CHRISTOPHORI RICHTERI, Conſiliarii camerae et rei metallicae, patriae urbis Aedilis et Senatoris, Viri de re literaria aeque ac publica optime meriti, ad diem vigeſimum ſeptimum Febr. anni ſuperioris demortui. Natus ille a. 1689 a teneris inde literarum amore captus, ſexto huius ſeculi anno Academiae noſtrae nomen dedit et philoſophicis diſciplinis per duos annos inſtructus, praeſide CAROL. FRID. PEZOLD, argumentum, in quantum homini non liceat eſſe miſericordi, publice ventilauit. Patris deinde hortatu, cum mercaturae operam adhiberet, non prorſus tamen a literarum ſtudiis receſſit: naturalium potius rerum cognitionem acquirere allaborauit, et foſſilium praecipue hiſtoriam aggreſſus, per integrum annum Schneebergae, illi penitius cognoſcendae, ſedulam operam nauauit. Ab iſto vero illo tempore in condendis rerum naturalium theſauris, ut ſumtibus, ita labori prorſus non pepercit. Ita poſt ea eximia haecce, quae Lipſiae noſtrae ornamento eſt, increuit collectio, ut una cum numeroſa praeſtantiſſimorum in hac ſcientiarum parte librorum ſerie, digeſta, poſt pias adhuc indefeſſi viri manes, ad filium natu maiorem IOHANNEM GEORG. RICHTERVM, Profeſſ. Philolog. ſacr. translata, optima indies capiat augmenta, et ſedulis naturae indagatoribus aditus ad eam pateat. Splendidiſſimus ille, qui deſcriptos hoſce theſauros continet, a Magnifico HEBENSTREITIO confectus et a Cl. CHRISTIO peculiari diſſertatione adauctus liber, ita inſcriptus eſt: Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia marina illuſtrata iconibus, accedit de gemmis ſcalptis antiquis liber ſingularis, Lipſiae apud Caſp. Fritſch. 1743. fol. mai.

Witte-

Wittebergenſis Academia luget mortem ABRAHAMI VATERI, Medicinae Doctoris et Profeſſoris primarii, Facultatis medicae Senioris, Londinenſis Societatis, Berolinenſis ſcientiarum, ut et Naturae Curioſorum Academiae Socii, Viri indefeſſi, doctiſſimi, qui ad diem decimum octauumNouembr. praeteriti anni, ictero per aliquot dies laborans, e viuis exceſſit, annum agens ſexageſimum ſeptimum. Liberis ille deſtitutus egregium rerum naturalium theſaurum reliquit, de quo, in peculiari libello deſcripto, ſupra nos mentionem feciſſe recordamur, breuem vero vitae laudabiliter ab eo peractae deſcriptionem proxime daturos nos eſſe ſpondemus.

Berolini ad diem undecimum Nouembris IVLIVS OFFRAI DE LA METTRIE, Regis Medicus et Academiae ſcientiarum, quae Berolini eſt, Sodalis, rebus humanis intereſſe deſiit, anno aetatis quadrageſimo tertio. Aegrotauerat ille febre intermittente, in tertianam duplicatam, tandemque continuam degenerante, ex eo forte, quod ob nimium euacuantium auxiliorum, quae ipſe adhibuerat, uſum, vires vitae ita fuerint fractae, ut, in conſilium poſt ea vocati clariſſimi medici, ſuccumbenti naturae ſuppetias ferre non potuerint. Libri equidem ab eo confecti, non eam ipſi, quam exoptabat, compararunt laudem, magis tamen ipſi illud honori eſt, quod a magno Rege, ob animi alacritatem enutritus, clariſſimorum Academiae ſcientiarum Berolinenſis ſociorum numero, ab anno inde huius ſeculi quadrageſimo nono adſcriptus fuerit.

Vita

Vita IOHANNIS LVDOVICI PETIT, Chirurgiae Magiſtri, Academiae Regiae Scientiarum Pariſinae, et Regiae Societatis Londinenſis Sodalis, Cenſoris Regii et Academiae Regiae Chirurgicae, quae Pariſiis eſt, Directoris primi *.

Natus noſter Pariſiis anno 1674 a teneris docile et alacre manifeſtabat ingenium, inde a Dno LITTRE valdopere amatus. Ille enim in domo parentis commorans, in ſuis, quas inſtituebat, diſſectionibus eum, infantem adhuc, ſpectatorem habebat et imitatorem, ad chirurgiam veluti natum. Optimam hancce propenſionem ſuſtentare et adaugere cum LITTRIVS ſecum conſtitueret, ſeptem annorum iuuenem lectionibus ſuis intereſſe ſinebat, nonum vero aetatis annum agentem, praeparationibus anatomicis adhibebat, et curam theatri priuati omnem ipſi committebat. Ita inde in anatomicis proficiebat PETITVS, ut non tantum partibus rite praeparandis aptus eſſet, ſed paruulus adhuc retractare quoque cum Magiſtri diſcipulis anatomica poſſet momenta. Per aliquot annos a fideli hocce Magiſtro inſtructus an. 1690 CASTELLVM in chirurgia praeceptorem nactus eſt. Singulari feruore artem hanc aggreſſus, in noſocomiis, dum aegri tractabantur, aderat, nonageſimo vero ſecundo anno, copiis ſub Duce de Luxemburg dimicantibus, chirurgiae exercendae cauſa iungebatur, ibi vero non ſedulum tantum ſeſe gerebat atque prudentem in operationibus, quae ipſi permit-

* Deſumſimus hic dicta, ex libello cui titulus: Eloge funebre de Mr. Petit &c. par Monſ. LOUIS chirurgien gradué, vice demonſtrateur royal, membre du college de l'academie royale de chirurgie à Paris 1750 4to pl. 5 chez P. G. le Mercier. Dictum hocce elogium in publico, ab acad. regia chirurgica a. d. 26 May 1750 habito conuentu, et ab huius ſocietatis curatoribus approbatum fuiſſe deprehendimus.

permittebantur a chirurgiae praefectis, ſed anatomen quoque in hibernaculis potiſſimum, protegentibus eum ſuperioribus aeque ac magiſtratibus, publice docebat. Pace reſtituta an. 1697 in noſocomio Turnacenſi, chirurgiae directoris prouinciae praeerat. Altero vero inſequente anno Lutetiam iterum ſalutans 1700 poſt conſueta examina chirurgiae Magiſter creabatur, et anatomen in quantum exercitium artis id permittebat, profitebatur. Praepoſitus deinde chirurgorum unanimi eorum conſenſu creatus, omnem adhibebat curam, ut candidati artis rigoroſe, ut decet, tentarentur. Cum porro temporibus iſtis, peſſima eſſet chirurgiae conditio, ex eo, quod illi, qui publicas a duobus celebribus olim chirurgis BIENAISE et ROBERDEAV, antea inſtitutas, et in exſtructo a ſucceſſoribus illorum theatro, gratuito habendas demonſtrationes ſuſcipere debebant, officio ſuo in inſtruendis chirurgiae deditis, non facerent ſatis, et inde, ut non nulli diſcipulorum particulares ipſi de rebus chirurgicis inſtituerent ſcholas in cauſa eſſent, PETITVS noſter de artis ſuae fama atque integritate ſollicitus, ita damnum reſarcire tentabat, ut in ſuſcepto operationum chirurgicarum collegio, inſtrumentorum non ſolum ſtructuram, et ea adhibendi modum, fideliter edocens, ſed caſualem etiam chirurgiam tradens et dubia de rebus chirurgicis ab harum rerum minus gnaris ſtudioſis ſibi mota reſoluens, eos ad accuratam artis cognitionem acquirendam iterum reuocaret. Celebris ille et penes exteros quoque ob dexteritatem aeque ac felix artis exercitium cognitus, magnorum et in celebritate verſantium hominum aegritudinibus curandis admouebatur. Ob eximiam porro, qua pollebat, peritiam regiae ſocietati Londinenſi, et Gallicae ſcientiarum academiae ab anno huius ſeculi decimo quinto fuit adſcriptus, et multas, quae in huius commentariis inueniuntur, confecit diſſertationes,

ex

ex quarum numero illae de haemorrhagiis, fiſtula lacrymali et reſolutione linguae praecipue nominandae ſunt. Vtiliſſima certe eſt faſciae tortilis ab eo ſuſcepta emendatio, et ligaturae vaſorum ſubſtituta eorundem compreſſio; neque minor eſt illarum obſeruationum utilitas, quas ille de lacrymarum viis earumque poſitu, de tuta denique et dolorifica minus fiſtulam in iis obortam curandi methodo propoſuit. Cum porro eximia ſit illa frenuli utilitas, ut ipſos linguae motus moderetur, ſuperflua ſaepius eius reſolutio, ab eo reſtricta, et methodus, qua haecce, funeſta nonnunquam, operatio perfici debeat, probe declarata inueniuntur. Praeter dictas vero aeque ac alias, academiae commentariis inſertas diſſertationes, utiliſſimus de oſſium morbis inſcriptus tractatus, multum laudis honorisque ipſi comparauit. In illo namque quinto primum, vigeſimo deinde tertio huius ſeculi anno adaucto iterum ab Auctore edito libro, praeclare multae, quae fracta luxataque membra et commodam ea deuinciendi rationem attinent, obſeruationes occurrunt. Tendinis etiam Achillis ruptura et feliciter eam percurandi ratio, quae anno vigeſimo ſecundo commentariis academiae inſerta, contradicentes ipſi creauerat, perfecta magis et confirmata, in altera dicti libri editione deprehenditur. Occaſionem praebebat haec utiliſſima libri editio diſſentientium obtrectationi, quae eo usque progrediebatur, ut ſatyram quidam, quem FRANCISCVM IOHANNEM HVNAVLD fuiſſe aiunt, in omnes Auctoris publicatos huc usque commentarios conſcriberet, et priusquam ederetur, PETITO, pretio duorum millium nummorum francicorum venalem offerret, qui vero, pecunia data famam tueri nolebat, hinc ipſum poſt ea ſeſe prodentem, calumniarum diuulgatarum Auctorem, reuocantem habebat. Laudatus a bonis, anno vigeſimo quarto, unus ex quinque ſcholarum chiturgicarum demonſtratoribus,

ribus, trigeſimo vero cenſor librorum chirurgicorum regius nominabatur. Inſequente poſt ea anno, Academiae chirurgicae director a rege, huius ſocietatis fundatore, creabatur, et inter permultas primo commentariorum huius academiae volumini inſertas diſſertationes, optimam etiam de tumoribus, a bile, in cyſtide retenta, exortis, publici iuris faciebat obſeruationem, duplici deinde vice chirurgorum praepoſiti munere fungebatur, et tertio iterum ambibat hancce prouinciam, eo animo, quo generalem operationum chirurgicarum tractatum, duodecim annorum opus, paene abſolutum, durante hoc munere in lucem emittere poſſet. Ob ſenium vero laboribus amplius ſuſtinendis impar, pectoris oppreſſione, intra ſex menſes triplici vice recurrente, laborare incipiebat, continua inſimul reſpirandi difficultate vexatus. Superueniente tandem haemoptyſi, a. d. 20 Aprilis 1750 fatis cedebat, conſtante antea valetudine gauiſus. Ingenioſus et cum iudicio obuenientes in chirurgia difficillimas res diſcernens, eum ſtudiorum ſupplebat defectum, quem in iuuentute contraxerat, et quadrageſimum annum iam agens, linguam latinam adhuc addiſcebat, et exterorum inde in hoc idiomate conſcriptos anatomicos et chirurgicos libros perſpiciendi facultatem ſibi comparabat, quam ſingularem viri, in artis exercitio aeque ac inſtitutione occupati, induſtriam commemoramus, ut conſtet, quo ſtudio ille chirurgiae incrementum curauerit.

XXX.

Index Scriptorum phyſico medicorum, quae an. CIƆ IƆ CC L prodierunt, exceptis iis, quae in hoc volumine recenſentur.

Philoſoph. Tranſact. Vol. 45. num. 485 - 490, Lond. c. fig. aen. 4.

Der Akad. der Wiſſenſchaften zu Paris phyſiſche Abhandlungen, 4ter Theil, welcher die Iahre 1711 - 15, 5ter Theil, welcher die Iahre 1716 - 18 enthaelt, überſetzt durch WOLF. BALTHAS. ADOLPH VON STEINWEHR, *Breſslau in 8. mai. mit Kupf.*

Eben derſelben anatomiſche chymiſch und botaniſche Abhandlungen, 2ter Theil, welcher die Iahre 1702 - 6 enthaelt, überſetzt von W. B. A. V. STEINWEHR, *Breſslau, 8. mai. mit Kupf.*

Noui commentarii Academiae ſcientiarum imperialis Petropolitanae, Tom. I. an. 1747, 48. Petropoli, c. fig. aen. 4. mai.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences et des belles lettres, depuis ſon origine juſqu'à préſent, avec les piéces originales, à Berlin, c. fig. aen. 4.

Der Koeniglich - Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen, auf das Iahr 1741, 3ter Band, auf das Iahr 1742, 4ter Band, überſetzt durch ABRAH. GOTTH. KAESTNER, *Hamburg*, 8. mai. *mit Kupf.*

Mediciniſche Verſuche und Bemerckungen, welche von einer Geſellſchaft in Edimburg durchgeſehen und heraus gegeben worden. Aus dem Engliſchen überſetzt, 2ter Band, Altenburg, 8. mit Kupf.

Memoires literaires ſur differens ſujets de phyſique, mathematique, chymie etc. traduits de l'Anglois par Mr. EIDOVS, Tom. I, à Paris, 12 maj.

Raccolta d' opuſcole ſcientifici e filologici, Tom. XLII, XLIII, in Venezia, 12 maj.

Diſſertazioni e lettere ſcritte ſopra varie materie da

diverſi illuſtri autori viventi, Florenz, Volumen II. 8.

Allgemeine Hiſtorie der Natur, nach allen ihren beſondern Theilen abgehandelt, nebſt einer Beſchreibung der Naturalienkammer des Koeniges von Franckreich. Mit einer Vorrede D. ALBERT VON HALLER, *1 Th. 1 und 2 Band, Hamb. und Leipzig, 4 maj. mit Kupf.*

Hamburgiſches Magazin, 6ter Band, Hamburg, 8, mit Kupf.

Neue Verſuche nützlicher Sammlungen zu der Natur und Kunſtgeſchichte, ſonderlich von Oberſachſen, durch CHR. GOTTL. GRVNDIG, *1 Band, Schneeberg, 8, mit Kupf. Des 2ten Bandes 1, 2, 3tes St. ibid. 8.*

Selecta phyſico oeconomica, P. III, Stuttgard 8.

Oeconomiſche Nachricten 1 Band, Leipzig 8.

Primitiae phyſico medicae ab iis, qui in Polonia et extra eam medicinam faciunt, collectae, T. I, Leſnae, 8, T. II, Zulichouiae, 8.

Der 4te und 5te Verſuch einer Beſchreibung naturlicher Merckwurdigkeiten der Landſchaft Baſel, Baſel 1749 und 50, 4.

Hiſtoire generale des voyages etc. Tome VIII, à Paris 4.

Sammlung neuer und merckwurdiger Reiſen zu Waſſer und zu Lande aus verſchiedenen Sprachen überſetzt. Erſter Theil Reiſe nach Hudſons Meerbuſen, beſchrieben von HEINRICH ELLIS, *Goettingen, 8, maj. mit Kupf.*

Pharmacopoeia Würtembergica, in duas partes diuiſa, edit. ſecunda, auct. et emend. Stuttgardiae, fol.

Pharmacopoeia domeſtica, praecipue in uſum eorum, qui vel ruri vel partibus transmarinis artem medicam exercent, ut apothecas priuatas ſibi conſtruant, Londini, 8.

Re-

Reſponſa ſeu Conſilia praeſtantium medicinae doctorum, de morbo, qui Card. A. M. QVIRINVM per quinque et amplius menſes lectulo affixum detinuit, Brixiae, 8 mai.

Schola ſalernitana *in deutſchen Verſen, nebſt einigen mediciniſchen Rathſchlaegen, von* D. GOTTWALD SCHVSTER, *Franckf. und Leipzig,* 8.

Nachricht von der groſſen weiſen Heringsfiſcherey in Schottland, welche bey der Inſel Zetland jaehrlich allein getrieben wird; aus dem Engliſchen ins Teutſche uberſetzt, Bremen, 8 maj.

Nachricht von Heuſchrecken, Franckfurt, 8, mit Kupf.

Das entdeckte Geheimniß des aechten Porcellains, ſo wol des Chineſiſchen als Saechſiſchen, Berlin, 4.

Vrtheile uber die Operationen des D. TAYLORS, *Franckf.* 8.

Die zu Boden geſturtzte Maſchine, oder Nachricht von dem Leben und Ende des berühmten Artztes DE LA METTRIE, *aus dem Frantzoeſiſchen überſetzt, Franckf. und Leipzig,* 8.

Οινος Κριθινος, a diſſertation concerning the origin and antiquity of Barley Wine, Oxford et London, 4.

A diſſertation upon Earthquackes, Lond.

A chronological and hiſtorical account of the moſt memorable earthquackes etc. Cambridge 8.

Lucina ſine concubitu, lettre addreſſée à la Societé royale de Londres, à Londres, 8.

Lucina ſine concubitu; traduit ſur la quatriême edition angloiſe, avec un commentaire très-curieux, qui ne s'eſt pas encore trouvé dans les editions precedentes, a Londres 8.

Lucina ſine concubitu, Lucine affranchie des loix du concours, ſ. l. 8.

Concubitus ſine lucina, ou le plaiſir ſans peine, re-

ponſe à la lettre intitulée *Lucina ſine concubitu*, à Londres, 8.

Nouvelles fontaines domeſtiques, à Paris, 12.

Agremens de la Campagne, ou remarques ſur la conſtruction des maiſons de campagne, des jardins de plaiſance et des plantages etc. à Leide, c. fig. aen. 4 maj.

Tr. de la culture des pêchers, nouvelle edit. augm. à Paris, 12.

Relation au ſujet d'une furieuſe tempête arrivée dans la ville de Maſtricht et aux environs de la meuſe au mois de mai, à Paris.

Conſultations choiſies de medecins de l'univerſité de Montpellier etc. Tome V - VIII, à Paris 12 mai. 4 Voll.

Diſcours touchant les merveilleux effets de la pierre divine, ſeconde edit. Paris, 12.

Dictionaire des alimens, vins et liqueurs par Mr. C. D. à Paris, 3 Vol. 12.

Anthropotomie, ou l'art de diſſequer les muſcles, les ligamens, les nerfs et les vaiſſeaux, à Paris, 2 Vol. 12 maj. c. fig. aen.

Deux lettres d'un Chirurgien, Aide - Major d'Armée a Mr. ***, l'une ſur pluſieurs chapitres du tr. de la gangrene par Mr. QVESNAY, l'autre ſur le tr. des playes d'armes a feu par Mr. DESPORT, à Paris, 12.

Leçons de chymie de l'univerſité de Montpellier, Paris, 12 mai.

Le Manuel des Dames de charité ou formules de medicamens faciles a preparer etc. avec un tr. ſur l'uſage des differentes ſaignées, à Paris, 12.

Le Spectacle de la nature Tome VIII, I, II Partie, Paris, 12.

AELIANI de Natura animalium Libri XVII graec. et lat. cum animadu. GESNERI, TRILLERI, curante

te AB. GRONOVIO, iuxta edit. Lond., Baſil. 2 Voll. 4.

MICH. GOTTL. AGNETHLER, Laurentius Johannes Nepomocenus Reen plagii literarii conuictus, Halae, 4.

CHR. FRID. AHLEMANN Diſſ. de regreſſu ſeminis ad ſanguinem, Franckf. ad Viadr. 4.

IO. AILHAVD *Abhandlung von dem Vrſprunge der Kranckheiten und dem Gebrauch des abführenden Pulvers, Dreſden, 8.*

MICH. ALBERTI Diſſ. de ſalibus alcalino volatilibus. Reſp. *Gottl. Ioh. Schieferdecker*, Halae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de ſuccino. Reſp. *Io. Baumer*, Halae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de palindromia morborum. Reſp. *Io. Lud. Gabr. Grohmann*, Halae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de ſanitate, morbis et morte b. Lutheri. Reſp. *Em. Henr. Garmann*, Halae, 4.

IO. LVDOV. ALEFELD, Diſſ. de iride lunari, Giſſae, 4.

IO. G. ALTMANN Exercit. de teſſeris Badae Heluetiorum erutis, Bernae, 4.

Hiſtoire naturelle de l'Islande, du Groenland etc. traduit de l'Allemand de Mr. ANDERSON, à Paris, 2 Vol. 12.

OLOF ARCEL tal om foſtrets ſinkdomes i moderlifwet, Stokholm, 8.

GEORG. THOMAS ASCH Diſſ. de primo pare neruorum medullae ſpinalis, Goetting. c. fig. aen. 4.

SAM. AVRIVILLII Diſſ. de cordis cauitatum et vaſorum pulmonalium inaequali amplitudine, Goettingae, 4.

I. B. *Verſuch wie die* meteora *des Donners und Blitzes des Aufſteigens der Dünſte, ingleichen des Nordſcheins aus electriſchen Wirckungen herzuleiten und zu erklaeren ſind, Lemgo, 8.*

HENR. BACHERACHT Diſſ. de morbis ligamentorum, L. B. 4.

Memoire ſur la nature et les proprietés des eaux minerales de Bagnéres par Mr. LE BAIG. à Paris, 8.

Oſſervazioni ſopra il ſale della creta ſopra un ſaggio di produzioni naturali dello ſtato ſaneſe, del D. GIVSEIPE BALDASSARI, in Sena, 8.

DANIEL EBERHARD BARING *Nachricht von den Broiban, Hannover*, 4.

HYAC. THEOD. BARON Quaeſt. medica: an in chirurgicis naturae medicatricis efficaciam adgnoſcat medicina militaris? Reſp. *Mart. Nouguez*, Paris, 4.

Architecture hydraulique par Mr. BELIDOR, Tome II, à Paris, 4.

ANTON. BENEVOLI Due relazioni chirurgiche iſtruttive una dell ultime malattia del S. G. G. Panciatichi, conſiſtente in uno abſceſſo nella cavita dell abdomine, l'altera dell ultima malattia del S. Compaini cagionnata da un Ernia aſſai particolare, in Firenze, 4.

H. P. BERCH Diſſ. Weſtmanlands biörn och Wargfänge. Reſp. *Andr. Hillerſtroem*, Vpſal. 4.

CAR. AVG. BERGEN Diſſ. de cognoſcendis et curandis infantum morbis. Reſp. *Io. Sigiſm. Schmid*, Francof. ad Viad. 4.

Eiuſd. Diſſ. de fuligine. Reſp. *Godofr. Aug. Iſaac*, ibid. 4.

Eiuſd. Diſſ. de menſura et proportione membrorum corporis humani perfectionem et rigorem mathematicum non admittente. Reſp. *Io. Frid. Beda*, ib. 4.

CHR. GVILIELM. DE BERGER de praeſagiis ex algore in febribus acutis, Goetting. 4.

IEAN BETBEDER Diſſertations ſur les eaux minerales du mont de Marſon, Bourdeaux, 12.

GIO. FORTVNATO BIANCHINI lettere medico pratiche intorno all indole delle febbri maligne e de loro principali remedi colla ſtoria de vermi del corpo umano e dell'uſo del mercurio, Venezia, 8.

IE. FORTVNAT. BIANCHINI Recueil d' experiences faites à Veniſe ſur la medecine electrique par quelques amateurs de la phyſique, à Paris, 12.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, ex anglico idiomate in latinum conuerſum. Centur. I. c. praef. CHR. IAC. TREW. Pinxit et excudit figuras NIC. FRID. EISENBERGER, Norimb. fol. mai.

GEORG. RVD. BOEHMER Diſſ. de conſenſu uteri cum mammis cauſa lactis dubia, Lipſ. 4.

Eiuſd. Flora Lipſiae indigena, ibid. 8 mai.

H. BOERHAAVE *von Augenkrankheiten deutſche Verſetzung durch* GABR. FRIEDR. CLAVDER, *Nürnberg*, 8.

Eiuſd. de morbis oculorum, edit. ſecunda per A. D. HALLER, Goetting. 8, c. fig.

FRID. BOERNER *Vnterſuchung: ob dem Frauenzimmer erlaubet ſey, die Arzneykunſt auszuüben? Leipzig*, 4.

IO. CHRIST. BOLTEN Diſſ. de reuulſionibus generatim, Halae, 4.

HENR. OTT. BOSSECK Diſſ. de antheris florum. Reſp. *Georg. Gottl. Kuchelbecker*, Lipſ. 4.

Tr. de la cauſe et des phénoménes de l'electricité par Mr. BOVLLANGER, à Paris 8, 2 parties.

Elemens d'Hippiatrique ou nouveaux principes ſur la connoiſſance et ſur la medecine des chevaux par Mr. BOVRGELAT, Tom. I, à Lyon, (Tom. II, 1751), c. fig. aen. 8.

ELIAE BOYNOM *barmhertziger Samariter in allerhand Krankheiten und Gebrechen, Nurnb.* 8.

ERN. LVD. BRÜCKMANNI Ep. de petrificationis fiendi modo, Jen. 4.

ANDR. ELIAS BÜCHNER Diſſ. de noxia ſudoris prouocatione praeſeruationis cauſa ſuſcepta. Reſp. *Io. Philipp. Herbſt*, Halae, 4.

ANDR. ELIAS BÜCHNER Diſſ. de natura ſomni. Reſp. *Ioh. Gottfr. Pezold*, Halae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de praeſeruatione morborum ſpaſmodicorum. Reſp. *Matth. Machal*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de vulneribus cerebri non ſemper lethalibus. Reſp. *Io. Chriſt. Teubeler*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de origine dyſenteriarum cautoque in his paſſi hungarici uſu. Reſp. *Io. Adam Raymann*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de acidi et ſalſi uſu diaetetico. Reſp. *Frid. Feiſt*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de ſcarificatione quatenus remedio ad regreſſa exanthemata iterum producenda. Reſp. *Dau. Guil. Krauſe*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de morbis ex varia temperamentorum conditione oriundis. Reſp. *Abrah. Schnell*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de metaſtaſi febrili. Reſp. *Car. Chr. Scholtz*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de morbis ex varia conditione veſtimentorum. Reſp. *Gottfr. Heinr. Beyer*, ib. 4.

Eiuſd Diſſ. de plethora ſenum eiusque rationali therapeutica tractatione per venaeſectionem ſpeciatim ſuſcipienda. Reſp. *Gottl. Erneſt. Gorn*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de diaeta et regimine hypochondriacorum. Reſp. *Georg. Zacharides*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de conſideratione generali pathologica haemorrhagiarum. Reſp. *Io. Henr. a Tſchudi*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de morbis acutis malignis quatenus venaeſectionem indicantibus. Reſp. *Godofr. Beni. Feyereiſen*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de damnis ex abuſu reſinae ialappae. Reſp. *Adam Coi*, ibid. 4.

Eiuſd. Diſſ. de cauſis et effectibus humorum viſcidorum. Reſp. *Io. Godofr. Galleſky*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de prudenti morborum inſanabilium mitigatione. Reſp. *Io. Frid. Schoepfer*, ib. 4.

ANDR.

ANDR. ELIAS BÜCHNER Diſſ. de praecipuis mortis ſubitaneae cauſis. Reſp. *Lud. Albert. Rav*, Halae 4.

Eiuſd. Diſſ. de lienteria in puero obſeruata et curata. Reſp. *Frid. Carol. Lieberoth*, ib. 4.

IO. HENR. BVRCKHARD Ep. de charactere plantarum naturali etc. c. praef. *Laur. Heiſteri*, Helmſt. c. fig. aen. illum. 8.

IOH. IAC. BVRCKARD Diſſ. de radice ſenecka, Argentorati, 4.

ARCADIVS CAPELLVS de vita Sanct. Sanctorii, Venet. 4.

HVG. CAPET Quaeſt. med.: an ſectione praeſertim curandi ani fiſtula? Reſp. *Ludou. Alex. Geruaiſe*, Paris, 4.

IO. FRID. CARTHEVSER Diſſ. de typhomania. Reſp. *Frid. Wilh. Wachter*, Francof. ad Viad. 4.

Eiuſd. Fundam. materiae medicae P. II, Francof. ad Viad. 8.

Eiuſd. Diſſ. de diuerſis obſtructionum cauſis et remediis. Reſp. *Io. Chriſt. Munſter*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de iſchuria et dyſuria. Reſp. *Frid. Borchard*, ib. 4.

Eiuſd. Theſes phyſico chymico medicae miſcellaneae. Reſp. *Frid. Borchard*, ib. 4.

ANTON CASAMAIOR Quaeſt med.: an qui tumores deleri debeant, ferro potius quam cauterio potentiali delendi? Reſp. *Anna Claud. Dorigny*, Paris 4 mai.

IO. HENR. CASSEBOHM Diſſ. de pathematum ventriculi cauſis, Halae, 4.

Piſcium ſerpentum, inſectorum nec non plantarum quarundam imagines, quas MARCVS CATESBY in poſteriori parte hiſt. Carolinae etc. deſcripſit, additis aliorum piſcium iconibus viuis coloribus pictas ediderunt N. F. EISENBERGER et G. LICHTENSTEGER, Norib. fol. mai. lat. et germ. Tabb. XXII.

I. B. LVD. CHOMEL Quaeſt. med.: an tumidis haemorrhoidibus hirudines? Reſp. IO. FR. CLEM. MORAND, Paris, 4.

GEORG. AVGVSTIN CLARKE Critish phyſician or the family inſtructor in the Knowledge of medicine, London, 8.

ANT. COELESTIN. COCHII Diſſ. continens vindicias corticis peruuiani, Lugd. Bat. 8 mai.

De Bagni de Piſa, trattato di ANTONIO COCCHI Magellano, in Firenze, 4.

FRANC. FELIC. COCHV Quaeſt. med.: an exercendae chirurgiae iuuentus aptior? Reſp. *Ambroſ. Hoſty*, Paris 4 mai.

ABRAH. HENR. DAHLHAVSEN Diſſ. de doloribus inteſtinorum vulgó colicis dictis, L. B. 4.

DECOMBE, Ecole du jardin potager qui comprend la deſcription exacte de toutes les plantes potageres, Paris, 2 Voll. 12.

IOS. MATH. DELBOEL Diſſ. de tuta et facili quadam luem veneream curandi methodo, Argent. 4.

HENR. FRID. DELIVS Diſſ. de theoria appetitus. Reſp. *Io. Petr. Voigt*, Erlangae, 4.

IOH. DANIEL DENSO *Phyſicaliſcher Briefe I bis IX Sendſchreiben, Stettin*, 4.

Recueil de differens traités de phyſique et d'hiſtoire naturelle par Mr. DESLANDES Tome II à Paris 12 mai.

IO. DE DIEST Quaeſt. med.: an in plagis abdominis vulnerato inteſtino pellionum ſutura? Reſp. *Carol. Geille de S. Leger*, Paris, 4 mai.

IO. DOLDE Diſſ. de Coloſtro, Baſil. 4.

IO. HENR. DOLLFVS Diſſ. de haemorrhagiis grauidarum, Baſil. 4.

VITALIANO DONATI Saggio della ſtoria naturale marina del Adriatico, in Venetia, 4 mai.

CHAR-

CHARLOTTE WILHELMINE AMALIA VON DONOST *die Schoenheiten Pyrmonts, Goettingen,* 4.

IO. PETR. EBERHARD *Gedanken von der Wirkung der Arzneyen im menſchlichen Leibe uberhaupt, Halle,* 8.

Eiuſd. Abhandl. vom Vrſprung der Perlen, Halle, 8.

Eiuſd. vom Feuer und den damit verwandten Koerpern dem Lichte und electriſchen Feuer, Halle, 4.

A natural hiſtory of Birds, Part. III by GEORGE EDWARDS, London c. f. aen. 4.

GEORG. HENR. EISENMANN Theſium medicarum decas dupla. Reſp. *Ioh. Georg. Roederer,* Argentorati, 4.

IO. M. ENGEL *Sendſchreiben von einem* Caſu *eines vermittelſt der Suppe in die Luftroehre verſchluckten, durch die Operation der* Tracheotomie *glucklich herausgenommenen Beines, Augſpurg, mit Kupf.*

IO. PHILIPP ERPEL *Nachricht von einer Frau welche zugleich funf Kinder, vier Misgeburthen und ein Mondkalb gebohren, mit einer Vorrede* IO. GOTTL. KRÜGERS, *Halle,* 8.

Experiences pour l'Economie ſuedoiſe par CHARL. DAHLMANN ESKILOON, Stockholm, 8.

PHIL. CONRAD. FABRICIVS Diſſ. de praecipuis cautionibus in ſectionibus et perquiſitionibus cadauerum humanorum pro uſu fori obſeruandis. Reſp. *Vrb. Frid. Ben. Bruckmann,* Helmſt. 4.

Eiuſd. Pr. de cognitionis anaſtomoſeos vaſorum inſigni uſu, Helmſt. 4to.

Eiuſd. Pr. obſeruat. anatomicas in tribus cadaueribus factas, ib. 4.

Eiuſd. Curatio iuuenis praegrandi effuſione puris in abdomine laborantis, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de paralyſi brachii unius et pedis alterius lateris dyſentericis familiari, Reſp. *Io. Georg. Albr. Kipping,* ibid. 4.

Eiuſd. Diſſ. obſeruationes circa conſtitutionem morborum

rum epidemicam anni 1750 adnotatas, Reſp. *Io. Dan. Farenholtz*, ib. 4.

IAC. FELIX Diſſ. de motu periſtaltico inteſtinorum, Treuini, 4.

ANTONII FIZES Tr. de phyſiologia, Auenione 12 mai.

FRANC. IGNAT. FLEIG Diſſ. de malo hyſterico, Argentorati, 4.

IO. IAC. FLEISCHHAVR *Gedanken von dem Alter, Wachsthum und Nutzen der Oeconomie*, *Goettingen*, 4.

ACHILL. FR. FONTAINE quaeſt. med.: an poſt grauem, ab ictu vel caſu, capitis percusſionem, non iuuante etiam iterata terebratione, dura meninx inciſione aperienda? Reſp. *Ant. Remig. Garnier*, Paris, 4.

Las obras de Madama FOVQVET, promptuario de ſecretos etc. Salamanc. 2 Vol. 4.

ANTON. FRACASSINI Tr. theoretico-practicus de febribus, Veronae, 4.

Miotomie humaine et canine par Mr. GARENGEOT troiſieme edition beaucoup augmentée à Paris 2 part. 12.

Zoogeneſié ou generation de l'homme et des animaux par Mr. GAVTIER à Paris, 12.

C. E. GELLERT *Anfangsgründe zur metallurgiſchen Chimie, Leipzig mit Kupf. 8 mai.*

Suite de la Matiere medicale de Mr. GEOFFROI ** par Mr. Docteur en Medec. avec un Tr. des plantes de notre pays, à Paris 3 Voll. 12.

PETR. GERIKE Diſſ. de remediorum diaeteticorum in curandis morbis necesſitate et praeſtantia, Reſp. *Frid. Iac. Oeding*, Helmſt. 4.

Memoria PETRI GERICKE a Prorect. Acad. Iuliae Carolinae commend. ib. 4.

WILH. GIBSON Tr. on the diſeaſes of horſes, Lond. 4.

10.

io. georg. gmelin Or. de nouorum vegetabilium poſt creationem diuinam exortu acc. Pr. vitam eius continens et rvd. iac. camerarii Ep. de ſexu plantarum, Tubing. 8 mai.

phil. frid. gmelin Progr. continens ſtricturas in r. p. ios. zanchii diſſ. de mutuo commercio inter mentem humanam et corpus c. curriculo vitae, ibid. 4.

io. goldhammers *Weiber und Kinder Arzt*, *Leipz. und Nordhauſen*, 8.

andr. gordon Phyſicae experimentalis elementa, Erf. Tom. I c. fig. aen. 8.

Fontina Bernhardi Reuelata *oder das den* Filiis artis *und dem* Publico *zum beſten getreulich eroefnete Koenigl. Wunderbad des Grafens Bernhardi von der Mark und Tervis; herausgegeben von* carl hermann gravel, *Erlang. 8 mit Kupf.*

ioh. avgvst grotian *phyſicaliſche Winterbeluſtigungen mit Hyacinthen, Ionquillen etc. Nordhauſen*, 8.

ivst. godofr. gvnzii Diſſ. de ſuffuſionis natura et curatione. Reſp. *Io. Phil. Schnitzlein*, Lipſ. c. fig. aen. 4.

Eiuſd. Obſeruationes anatomicae de cerebro Pr. I, II, Lipſ. 4.

ant. nic. gvenavlt Quaeſt. med.: an leucophlegmatiae leues ſcarificationes? Reſp. *Io. Mac - Mahon*, Paris, 4.

Hiſtoire de deux ſections ceſariennes faites avec ſuccés par Mr. gverin, à Paris, 12.

Comment. in *H. Boerhaaue* Inſtitut. med. P. V. ſtudio et opera i. g. h. (haymanni), L. B. 8.

a. de haen de Deglutitione vel deglutitorum in cauum ventriculi deſcenſu impedito, Hagae Com. 8.

Emaſtatica, o ſia ſtatica degli animali dal ſignor hales, è commentata dal ſignor de savvages, è

dal

dal Franceſe nuouamente tranſportata nell italiano idioma. Vol. primo in Napoli.

ALB. DE HALLER Diſputat. anatomic. ſelect. Vol. V Goett. c. fig. aen. 4.

GEORG. ERH. HAMBERGER Diſſert. de nutritione. Reſp. *Io. Andr. Muthwill*, Jenae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de rigiditate fibrarum. Reſp. *Io. Gottl. Hanſch*, ib. 4.

Eiuſd. Diſſ. de dolore in genere. Reſp. *Frid. Theod. Fiſcher*, Jenae, 4.

Eiuſd. Diſſ. de vigiliis. Reſp. *Mart. Iac. Kubas*, ibid. 4.

Eiuſd. Pr. IX, X, de aere corporibus incluſo, ib. 4.

Eiuſd. Pr. I, II, de peruerſa valetudinis cura, ib. 4.

Traité de la Culture des terres, avec la deſcription des nouvelles les charues et du ſemoir, ſuivant les principes de M. TVLL, Anglois, par Mr. DV HAMEL DV MONCEAV, Paris, 12 c. fig. aen.

MICH. GOTTLIEB HANSCH Medicina mentis et corporis ſ. Heuretice et Hygieine, Libri II, Amſtel. 8.

IAC. ALB. HAZON Quaeſt. med. an tutior faciliorque cognita detur aneuryſmatis chirurgica curatio? Reſp. *Fr, Thiery*, Paris 4 mai.

ROBERT HEAD Natural hiſtory of the Islands of ſcilly, Lond. 8.

IO. ERNEST. HEBENSTREIT Pr. de indicatione mutante ſolida, Lipſ. 4.

Eiuſd. Diſſ. de indicatione mutante fluida. Reſp. *Georg. Achat. Gotth. Ientſch*, ib. 4.

Diſſ. de indicatione mitigatoria. Reſp. *Georg. Gottl. Kuchelbecker*, ibid. 4.

Eiuſd. Pr. de indicatione vitali, ib. 4.

Eiuſd. Pr. de indicatione euacuatoria, ib. 4.

Eiuſd. Pr. de cognoſcendis medicamentorum facultatibus, ib. 4.

IO. CHR. HEDLER Diſſ. de curatore fodinarum. Reſp. *Io. Gottl. Schliebe*, Vitemb. 4.

LAVR.

LAVR. HEISTER Inſtit. chirurg. auct. ed. Amſtel. 2 Voll. c. fig. aen. 4 mai.

Eiuſd. Diſſ. de prolapſu uteri cum inuerſione extra partus tempus ex terrore orto. Reſp. *Theod. Aug. Schlegel*, Helmſt. 4.

Eiuſd. Diſſ. de venaeſectionum abuſu apud Gallos. Reſp. *Theod. Aug. Schlegel*, ibid. 4.

Deſignatio librorum, diſſertationum aliarumque exercitationum academ. quas ab an. 1708-50 edidit LAVR. HEISTER, ibid. 4.

IO. NICOL. HELD Diſſ. de liquore amnii, Gieſſae, 4.

L'Art de la teinture des laines et des etoffes de laine en grand et petit teint, avec une inſtruction ſur les debouillis, par Mr. HELLOT, à Paris, 12 mai.

Tr. de la fonte des mines, des fonderies etc. trad. de l'allemand DE CHRIST. ANDRE SCHLVTTER par Mr. HELLOT, Tom. I, Paris c. fig. aen. 4.

IOACH. FRIEDR. HENCKELS *funfte Sammlung mediciniſcher und chirurgiſcher Anmerckungen, Berlin*, 4.

FRANC. GARCIA HERNANDEZ Tratado del dolor colico etc. Madrid, 4.

BERNH. GODOFR. HEZEL Diſſ. de ſalinis earumque inſpectione magiſtratui ciuitatum imperialium competente, Altorfii Norici, 4.

LVD. PETR. LE HOC Quaeſt. med.: utrum cautiſſimi eſſe debeant medicus et chirurgus praeſertim in cancro curando? Reſp. *Claud. Franc. Grandolas*, Paris, 4 mai.

RVTTG. GOTTL. HOERNIGK Ep. de reſpiratione, Lipſ. fol.

Eiuſd. Diſſ. de induratione partium praematura, Lipſ. c. fig. aen. 4.

FRID. HOFFMANN Diſſ. de balſamo peruuiano eiusque viribus rec. Halae 4.

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. Memoires de mathematique et de phyſique préſentés a l'academie royale des ſciences p. 1
2. TARIN Aduerſaria anatomica p. 46
3. KLEINII Hiſtoriae auium prodromus p. 49
4. GMELIN Specificum antidotum nouum aduerſus effectus morſus rabidi canis p. 61
5. Pr. TRILLERI de veterum chirurgorum arundinibus atque habenis p. 63
6. SPRINGSFELD Epiſtola ad Trillerum p. 65
7. TRILLERI Exercitatio altera plenior p. 67
8. VATERI Muſeum anatomicum p. 70.
9. GRONOVII Index ſupellectilis lapideae p. 73
10. DE HALLER Obſeruationes medico practicae p. 74
11. ESCHENBACHS *Anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Koerpers* p. 75
12. *Hamburgiſches Magazin V Band* p. 80
13. DE LA RIVIERE An in morbis melancholicis purgatio per inferiora? p. 90
14. BOVLLAND An anginae gangraenoſae emeticum? p. 91
15. ROEDERER De foetu perfecto p. 92
16. DE VIOLANTE de variolis et morbillis p. 94
17. DE BERGEN Flora francofurtana p. 102
18. HEISTER de Nuce Been p. 106
19. IVNCKER de antimonii crudi uſu interno p. 109
20. VERATTI Obſeruations phyſico medicales ſur l'electricité p. 111
21. DE GORTER Praxis medicae ſyſtema p. 115
22. PAYEN An mente motis multum ſanguinem detrahehere conducat? p. 120
23. BOVTIGNY An diu poſſit homo ſine cibo potuque et viuere et valere? p. 121
24. BOVSSAC de progreſſu et uſu urachi p. 123
25 Hiſtoire de l'academie royale de ſciences et belles lettres de Berlin p. 124
26. LINNAEI Plantae rariores Camſchatcenſes p. 134
27. QVADRIO Nuovo methodo per curare ogni canchero p. 137
28. BEGVELIN Noua methodus ope flammae lampadis excludendi pullos p. 140
29. Noua medica p. 143
30. Index librorum anni 1750 p. 159

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS I. PARS II.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
MDCCLII.

I.

Herbarium Amboinenſe, plurimas complectens arbores, frutices, herbas, plantas terreſtres et aquaticas, quae in Amboina et adiacentibus reperiuntur inſulis, quod inſuper exhibet varia inſectorum, animaliumque genera. Omnia collegit et duodecim libris belgice conſcripſit GEORG. EVERHARD. RVMPHIVS, M. D. et in Amboina Conſul, nunc primum in lucem edidit, et in latinum ſermonem vertit IOH. BVRMANNVS, M. D. Botan. Prof. Amſtel. Pars VI. Amſtelod. apud Fr. Changuion, et Hag. Com. ap. P. Goſſe etc. 1750. fol. mai. alph. 1. pl. 18. tab. aen. 90.

Abſolutum nunc ſplendidum illud ac pretioſum indicamus opus, cuius priores tomi ſequenti hactenus ordine prodierunt. Partes nempe I. et II, quae tabulas graphice ſculptas CLXIX. continent, Anno 1741. Pars III. et IV, cum tabulis CCXXIII. Anno 1743 et tandem Pars V, quae CLXXXIV tabulas exhibet, Anno 1747 euulgatae fuerunt. Licet itaque ſexta illa atque ultima huius herbarii pars nunc modo recenſenda eſſet, non inutile tamen iudicamus, pauca de omni opere prae-

N ſari.

ſari. Plantae non modo quae in Amboina, eiusque inſulis creſcunt, ſed eae praeterea, quae in adjacentibus Moluccis, Banda, aliisque usque in ipſam Iauam maxima ex parte occurrunt, hic deſcriptae delineataeque inueniuntur. Porro ipſe RVMPHIVS lectores monet, ſe inter militaria aliaque publica officia ſubceſiuas modo huic labori impendiſſe horas, plantasque ita deſcripſiſſe, ut ipſi obuenerunt, ac earundem virtutes accurata et fideli experientia atque teſtimoniis ſagaciſſimorum incolarum comprobatas enarraſſe. Atque hinc eſt, quod cum ipſo BVRMANNO fateri debeamus, RVMPHIVM non ita exacte ſemper florum fructuumque partes obſeruaſſe, et ita deſcripſiſſe, ut exinde generum characteres peti poſſint atque formari. Opus ipſum primum latina conſcripſerat lingua Cl. Auctor; ſtirpiumque figuras maxima ex parte ipſe delineauerat; in nullum vero huc usque redactum erat ordinem, cum ſupremo placuerit numini, noſtrum triſti affligere viſus laeſione. Cum enim ultima vice, nimis forte incautus, plurima permearet litora et colles, omniaque ſpernens incommoda, a ſolis certe feruentiſſimi aeſtu obnubilatione primum oculorum, tandemque vera ſuffuſione affligebatur. Proiecta itaque atque perdita infelici hoc caſu tota laborum RVMPHII videbatur cura; verum ſupremi harum regionum magiſtratus generoſo admodum animo auxiliatrices ipſi attulerunt copias, peritosque ſubminiſtrarunt amanuenſes, quorum auxilio in eum tandem ordinem redactum fuit. *Duodecim* itaque *libri* totum abſoluunt opus, quorum *quinque priores* de variis agunt arboribus, tam edulibus ac frugiferis, quam aromaticis et ſylueſtribus. *Sextus* autem omnes complectitur frutices erectos, *ſeptimus* vero tales exhibet, qui longis prorepentes ſurculis procumbunt, aliisque ſe implicant arboribus. *Octauus* exponit herbas hortenſes, *nonus* conuoluulaceas, et ſylueſtres

decimo

decimo ac *undecimo* deſcribuntur libro. *Duodecimus* vero tandem peculiare lithophytorum marinorum genus, corallium vulgo vocatum, conſiderandum offert. In ipſa harum plantarum conſideratione diffuſa primum habetur partium deſcriptio, notatur ſedulo locus natalis, adduntur nomina regionibus propria eaque ſaepe plura et ultimo tandem omnium laborioſe recenſentur vires et praeparata. Plures tamen hic fabulas, aut ad minimum non ſatis exploratas res contineri, ipſe RVMPHIVS libere fatetur; mitius vero de aliis, licet incredibilia videantur, ſentiendum eſſe ſimul quoque monet. Ita e. g. revera hic exiſtunt, ut ſancte teſtatur Cl. Auctor, arbores, in quarum fructibus naturaliter creſcunt lapides dendritis ſimiles; aliae quarum folia in viuentia mutuntur animalia, et quae ſunt alia. Ratione locorum, in quibus plantae proueniunt, aliquid adhuc monendum eſſe arbitramur. Omnis India in veterem et aquoſam ab Auctore diuiditur. Vetus ex vulgari loquendi uſu denuo diſpeſcitur, in Indiam intra Gangem, hodie Indoſtanam dictam, et in Indiam extra Gangem, quae reliquam complectitur Aſiae majoris partem, ab orientali Gangis parte usque in mare. Per aquoſam Indiam intelligit reliquos Indiae tractus, ad partem auſtralem et orientalem Moluccae ſitos, et ex innumeris maioribus et minoribus Inſulis conſtantes. In omnibus librorum capitibus, una ut plurimum, aliquando plures, ſi congeneres ſunt, deſcribuntur plantae, quae etiam additis eleganter et nitide ſculptis iconibus illuſtrantur. In ultimis modo duabus partibus non omnibus capitibus junctae ſunt figurae, quod fatali in primis incendio, in Amboina An. 1687. exorto, adſcribendum eſſe docet Cl. BVRMANNVS. In hoc enim cum Auctoris domo multae chartae et plantarum delineationes deuaſtatae ſunt. De animalium hiſtoria, quae in titulo libri promittitur, vix aliquid

quid monere poſſumus, non nullae enim modo et pauciſſimae quidem additae ſunt inſectorum, auiumque figurae, quae occaſione vegetabilis, unde alimentum ſuum hauriunt, vel in quo nidulantur, in textu deſcribuntur. Reliquae vero Auctoris ſchedulae de animalibus terreſtribus, aereis et marinis operi ipſi non ſunt adiectae; atque ipſe BVRMANNVS ignorat, num illa animalium hiſtoria, a Sene ante ſupremum diem ad finem fuerit perducta, ultimaque manus ipſi impoſita.

His itaque, quae ad ipſius Cl. Auctoris opus ſpectant, indicatis, non nulla adhuc, quae Cl. BVRMANNVS in exornando illo et illuſtrando perfecit, notanda eſſe exiſtimamus. Non enim modo belgicum Auctoris textum latina ciuitate donauit, ſed et praeter ea partium plantae, quae ſeorſim in tabulis exprimuntur, in textu vero non deſcribuntur, explicationem adiecit; in quibusdam etiam locis ſuas addidit obſeruationes, et ſi comperiret, easdem plantas ab aliis iam fuiſſe detectas vel deſcriptas, illud ſedulo annotauit, ſi etiam in Auctoris auctuario alicui capiti aliquid addendum inueniret, ſuis illa capitibus ſubiunxit, ſimulque aliquando nouas obſeruationes, accuratasque plantae deſcriptiones, quas Cl. GARCINVS cum BVRMANNO communicauit, hic inſeruit. Atque ita ea omnia praeſtitit, quae Cl. Vir primum promiſit, indices modo adhuc deſideramus. Abſoluto enim opere ultimae parti generalem indicem ſubnectere, vel floram Amboinenſem componere voluit, quae eodem modo, ut COMMELINI Malabarica Flora in Hortum Malabaricum, indicis loco eſſet. Et hanc ſane maxime adhuc expectamus, utque, ſi forte BVRMANNVS, clinicis negotiis nimium occupatus, eum ipſum laborem in ſe ſuſcipere non poſſit, alius illum perficere velit, ſedulo exoptamus.

Nunc

Nunc ad illam, quam indicauimus, Herbarii Amboinenſis partem progrediendum eſſet, atque ſpecialius oſtendendum, quae in primis in ea contineantur vegetabilia. Verum inutilis et a noſtro ſcopo alienus eſſet labor, ſi catalogum hic deſcriptarum plantarum exhibere, quodque de ſingulis plantis annotatur, denuo repetere vellemus; ſufficiat non nullorum capitum breuem exhibere ſciagraphiam. In genere vero adhuc monemus, hic plures ac ſingulares graminum, filicum, fungorum et muſcorum, nec non orchidum, paraſiticarum ac marinarum plantarum ſpecies deſcriptas delineatasque eſſe; reliquas vero perfectas plantas ſi non omnes, plurimas tamen, annuam habere vitam; et cum earundem ſemina, in Euporam tranſmiſſa, nunc iam iam in pluribus hortis felicem prouentum oſtenderint, ſane gratulamur nobis de hoc tomo, cum nunc tandem perfectam earundem cognitionem habere poſſimus.

Lib. XI. c. 39. p. 148. legitur ſingularis de *rhabarbaro* relatio. Hoc, ut Auctori videtur, in India non creſcit, ſed in Sina reperitur; ea itaque, quae hic recenſentur, Sinenſium relationes eum docuerunt. Duplex eſt Sinenſe rheum, montanum alterum, quod in Sina ſeruatur, nec defertur, alterum vulgare, quod in planis creſcit locis, quodque in hortis colitur et peregrinis venditur. Singularis ille modus, quo prima ſpecies obtinetur, ſtudioſe hic deſcribitur, quem, cum ſingularis nobis eſſe videatur, hic in compendio adduxiſſe, non alienum erit. Prouincia, *Tſchuan* dicta, montana eſt atque ſerpentibus, tigridibus, omnisque fere generis noxiis animalibus horrida, ita ut homines iſtos, in quibus verum creſcit rhabarbarum, montes frequentare nequeant. Ut id vero conquirant, magnas Sinenſes alunt ſimias et praeter ea rheum in ſuis hortis ha-

bent, quod primum e montibus huc deductum fuit. Hoc manſuetas ſimias effodere, et quo modo id depurarare debeant, ac *Rottanga* * perforare et ſuis corporibus adpendere docent. Has itaque ſimias rottangis appenſis ad feroces iſtos mittunt montes, et illae hic quoque ſolitum peragunt effodiendi, depurandi et rottangis perforandi opus, atque praeda onuſtae ad ſuos redeunt magiſtros. Illud, quod in hortis colunt, eodem modo perforant et formant, ita ut vix a vero diſtingui poſſit rheo. Sinenſes vero medici ex foraminibus cognoſcunt, an ab hominibus, an vero a ſimiis parata fuerint haec radicum fragmenta. Quae de uſu medicatae huius radicis hic leguntur communia ſunt atque ſatis cognita.

In eiusdem libri cap. 57. p. 183. de *nidulis eſculentis* agitur. Deſcripſit enim in antecedentibus algas eſculentas Cl. Auctor, et cum multi exiſtiment, ex algis ab hirundinibus marinis, quae *capodes* dicuntur, et quarum hic habetur delineatio, hoſce nidulos formari, in veritatem huius rei ſtudioſius inquirit. Quae de forma nidulorum Cl. Auctor profert, cum cognita iam ſatis ſint, lubenter omittimus, ſaltem de ortu eorundem dicturi. Niduli, aqua feruida macerati, in craſſa filamenta ſeparantur, quae aeque cartilaginea ſunt, quam ea, ex quibus alga, coralloides dicta, conſtat; ipſam vero eam eſſe, ex qua formantur nidi, Auctori non videtur probabile; veritati potius ſimile eſſe exiſtimat, auiculas iſtas ex propriis corpuſculis, licet ex mari eam petant, talem eiicere materiam. Haec enim edulis materia rara aliquando eſt atque inſtar gelatinae mollis, aliquando vero durum gummi refert, praeter ea ſi recen-

* Rottanga planta eſt, quae iuncipalma dicitur et quae folia habet apice firmo atque acuto terminata. Vid. eiusmodi delineatas atque deſcriptas Lib. VIII. cap. 53. p. 97. ſqq.

recenter confecti niduli guſtu explorantur, nulla in iis detegitur ſalſedo, quam tamen omnes aeque ſpecies magis minusue habent. Itaque aſſumit Cl. Auctor, pacata et defluente aqua multas ſordes, viſcum et gelatinam per mare in ſinus et oras eiici, quas auiculae hae petunt, multasque viſcoſitates appetunt, roſtris eas tenent et in nidos deferunt. An vero, ex tali viſco, recenter adducto, ſuos forment nidos, an vero, ut antea aſſumſit, illud prius deglutiant, et ex ore dein quaedam fila dimittant, ex quibus eos componunt, nondum ſatis hactenus diſquiſitum eſſe, libere fatetur.

Libr. XII. cap. 1. p. 193. de *lithodendris* generalia proponit Cl. RVMPHIVS, atque primo monet vulgo receptam de ortu horum corporum opinionem non valere, qua, omnes haſce arbuſculas ex rupibus, quibus inſident, creſcere aſſumitur. Nec ſemen nec fructum proferunt; iſta enim capitula et granula, quae aliquando in his plantis reperiuntur, non magis pro ipſo ſemine habenda ſunt, quam aquoſae illae concauae veſiculae, quae in omnibus fere deteguntur algis, et quae ad propagationem nihil ſane faciunt. Arbuſculae illae, quamdiu ſub aqua in naturali creſcunt loco, vel cortice fragili, vel muco ſalſo abſque cortice inveſtitae ſunt, ita tamen, ut utraeque iſto muco ſint obductae. Hunc mucum omnium marinarum plantarum primam eſſe materiam, in eoque vim ſeminalem latere, Cl. Auctor exiſtimat. Ubi itaque hic mucus per maris undas deuehitur, atque ſeſe alicui rei affigit, ibi nouam format marinam plantam, quae mox pabulum ducit ex ſalſis, ſulphureis et pinguibus aquae marinae partibus, & ita ſenſim incrementa capit. *Accardium* vero, ſiue nigrum illud corallium aliquid peculiare habet; hoc enim radices ſuas profunde in mollia corallia agit, ex quibus etiam aliquid patuli ducere

 vide-

videtur. Sed, ſi radix caute a ſaxo ſeparetur, nil niſi rugoſus detegitur apex, qui nullas ſuctorias fibras in ſaxum figit. Haec itaque eſt Cl. Auctoris de ortu horum corporum ſententia, quo usque ea veritati reſpondeat, nunc non diſquirimus.

Multa adhuc ſingularia atque lectu perquam digna in ipſa hac ultima parte continentur; ut eſt e. g. Libr. XII. c. 8. et 9. p. 210. tractatio de *cocco maldiſico*, quae tamen omnia, ne moleſti ſimus lectoribus, hic plane intacta relinquimus. RVMPHIVM enim praeterito ſaeculo conſumatiſſimum plantarum ſcrutatorem, peritiſſimumque earundem obſeruatorem fuiſſe, unicuique liquido ſatis conſtat; imo, quod ſane mirandum, adeo ſagax fuit, ut licet ex remotiſſimis Indiae plagis omnibus incognitae pene ad ipſum, iam lumine captum, adducerentur plantae, vel folia atque fructus tantum, illa tamen omnia ex odore, ſapore, forma aliisque qualitatibus, ut BVRMANNVS refert, detegere atque dignoſcere potuerit.

II.

10. AVGVST VNZERS, M. D. *Philoſophiſche Betrachtung des menſchlichen Cörpers überhaupt. Halle bey* C. H. Hemmerde 1750. 8. 15. Bog.

Hoc eſt:

10. AVG. VNZERI meditationes philoſophicae circa corpus humanum in genere inſtitutae.

Licet artis ſalutaris cultores philoſophiae ſanioris praeceptis imbuti prius eſſe debeant, quam ad ipſam medicinam ſe conferunt, et quamuis arctiſſimus hanc inter et illam ab omnibus obſeruetur nexus, difficillimus tamen ex una ad alteram ſcientiam eſt tranſitus, idque ex eo potiſſimum, quod anatome

me et phyſiologia, quae tanquam primae medicinae partes addiſcuntur, ſpeciales ſtatim partium corporis noſtri deſcriptiones, et, ex earum natura pendentes effectus proponant, generales vero corporis affectiones, vel plane non, vel prioribus interſperſas, aut, in incongruo ſaepius loco collocatas exhibeant. Haec ſunt, quae Cl. Auctorem commouere, non vili pendenda, ut nobis videtur argumenta, ut de colligendis et ordinandis illis doctrinis cogitaret, quae, ex philoſophia deſumtae et ad corpus humanum applicatae, dum hominis naturam, in uniuerſum conſideratam, pertractant, tanquam fundamenta conſiderari poſſunt, quibus ſingularum corporis partium deſcriptiones et uſus commode ſatis, in anatomicis et phyſiologicis lectionibus, ſuperſtrui queant. Succinctam tantum generalis huius phyſiologiae ſiſtit ſciagraphiam, quam, magis adhuc contractam, hic loci repetere iuuabit. Cum haec quam tradit Cl. Auctor doctrina, ut prima ex medicis diſciplinis pertractanda ſit, praeliminares quasdam de medicina eiusque diuiſione et de corpore humano meditationes proponit. Eſt vero generalis phyſiologia ſcientia, quae prima theoriae corporis humani ſani complectitur fundamenta, ea quidem, quae reliquis omnibus particularibus corporis noſtri affectionibus declarandis inſeruiunt. Homo diuerſimode conſideratus, quinque quaſi peculiares habet naturas, quae adunatae et optime inter ſe concordantes, corpus humanum in ſtatu ſano conſtituunt. Illud namque ut materiale primo, deinde ut phyſicum, ut machina porro et ut animal, rationali denique anima praeditum, conſideratum, in quinque partes generalis haec phyſiologia ut diuidatur efficit, quibus deinde tanquam ſexta illa accedit, quae in quinque prioribus ſeparatim quaſi pertractatas, hominem conſtituentes, naturas, nunc in unam collectas proponit et de corporis humani natura in uniuerſum

p. 39.

agit.

p. 44. agit. Pars itaque prima, hominem ut materiam conſiderat, et in duo iterum capita abit, quorum primum, materias primas ſeu elementa corpus conſtituentia, alterum vero mixtionem eorum pertractat. Ad elementa quod attinet, ea per chemica cum humano ſemine, nutrientibus cibis, et ex iis elaborata lympha, inſtituta experimenta, ſi disquirantur, aut in reſolutione corporis poſt mortem contingente annotentur, oleoſum, aquoſum liquorem et terram ſalinam ſubtilem pro primis corporis principiis habendam eſſe, aerem vero tanquam materiam ad conſtituendum corpus non pertinere, apparet. In mixtione deinde non tantum ad variam diuerſorum illorum elementorum proportionem reſpiciendum eſt, ſed compoſitionis etiam modus et varia, quae eam iuuant, auxilia debent notari. A terreo illo elemento, cohaeſio partium praecipue dependere videtur, ex eo, quod illud aqueae aeque ac oleoſae particulae facillime ſeſe iungat; quantitas oleoſi, ad aquoſi principii portionem relata, determinari hucusque non potuit; nec opus eſt, ut in ſolidis elementorum proportionem ſolliciti nimis inueſtigemus, cum ſtructura in iis ſimul concurrat, quae probe prae reliquis attendenda eſt; magis tamen in fluidis mixtionis ratio eſt habenda, quippe quae, in diuerſis fluidis varia, in ſpeciali phyſiologia
p. 73. diſquiritur. Cum vero quaeuis materia, quae vires motrices habet, corpus ſit phyſicum, in parte ſecunda dictae hae vires ulterius diſquiruntur, ita tamen, ut illae tantum in cenſum hic veniant, quae corpori, in quantum illud tanquam materia, ex variis principiis mixta, agit, ineſſe perſpiciuntur, reliquae vero, quorum agendi modus, ex certis quibusdam regulis motus, cognoſci poteſt, cum mechaniſmi ideam inuoluant, ad partem ſequentem referendae ſunt. Liquet ex dictis, quod ſolida, utpote in quibus ſtructura concurrit, peculiares motrices vires

non

non exerant, ſed ut machinae omnes conſiderari debeant, ſecus ac fluida, in quibus phyſicae illae agentes cauſſae ſolitariae conſpiciuntur. Non tamen de ſingulorum fluidorum conditione, differendum hic eſſe, illud potius, quod diuerſos humores, pro ratione diuerſarum virium phyſicarum, intercedit diſcrimen, in ſpeciali phyſiologia rimandum eſſe inſimul patet. Hae itaque vires, in quantum illae homini, ut corpori phyſico, inſunt, ad quatuor, in totidem capitibus ab Auctore deſcriptas, claſſes referri poſſunt, ad corporis nimirum grauitatem, vim attractilem partium, et vim earum extenſiuam, quae duo, ſimul ſumta, elaſticitatem cauſſantur, vim tandem ſeu potentiam ad motus inteſtinos ſuſcipiendos. Altera haece, quae phyſicas, ad humanum corpus p. 109. applicatas leges, enumerat, phyſiologiae generalis pars, melioris tantum cognitionis cauſſa, ſeparatim hic tradita, cum materia a corpore phyſico ſeparari non poſſit, priori ſemper iuncta in ſuis phaenomenis cognoſcitur. Magis tamen a ſequente tertia probe illa diſtinguenda eſt, in qua nimirum mechaniſmus corporis noſtri declaratur. Corpus enim, cum ſit machina mechanica, naturalis, compoſita, quae ex compoſitionis ratione, ſeu quod idem eſt, ex ipſa ſtructura, ad motus perficiendos apta euadit, optime inde Cl. Auctor in tribus diſtinctis capitibus, de machinis primo corporis noſtri in uniuerſum, de ſtructura deinde primarum et ſimplicium illarum, quae iunctae compoſitas efficiunt, machinarum, tandem de viribus motricibus mechanicis in genere primo, deinde in ſpecie differit. Subordinatae in his atque diſtinctae inueniuntur partium corporis noſtri ſimilarium, ut machinarum primarum, deſcriptiones, et in tertio capite indicatae, ex ipſa ſtructura pendentes, earum actiones, ita tamen, ut quoad prius, compoſitarum machinarum fabricam, ut anatomiae ſubiectum conſiderandam, ſingulares vero partium utili-

utilitates, ad ſpecialem phyſiologiam referendas eſſe innuat Auctor. Cum porro aliae corporis noſtri functiones mere mechanicae ſint, in aliis contra animalis natura concurrat, ex his vero, quae reliquis fundamenti loco ſunt, vitales appellentur, quo corporis vires penitius adhuc perſpici queant, ipſa animalis, quae nobis ineſt, natura in quarta parte
p. 155. conſiderari meretur. Coniunctio corporis cum anima ipſam eius animalem naturam conſtituit, utpote quae in vi abſoluta cum animae repraeſentationibus harmonice ſeſe mouendi poſita eſt. Indicata haecce hominis conditio, quae ipſi cum animalibus communis eſt, organiſmum conſtituit, abinde vero prouenientes actiones organicae, harmonicae, ſiue ideae materiales, cognominantur; vires itaque et actiones animales omnes, in quantum illae organicae et harmonicae ſunt, in corpore et ipſi iuncta anima rationem habent ſufficientem.
p. 157. Animalis itaque haecce natura, quo rectius poſſit cognoſci, de organiſmo corporis humani in genere, in ſectione prima diſſerit Auctor, et in eo quidem diſquirendo ad corpus ipſum ut machinam, deinde ad animam, ad utriusque denique coniunctionem, reſpicit. Licet vero vires motrices harmonicae ſtricte ſic dictae, corpori animali adſcribi non poſſint, ſunt tamen quaedam corporis partes, in quas prae reliquis anima quam proxime influit. Hae partes, ut inſtrumenta, actiones vero ab iis productae, ut vires conſiderari poſſunt, per quas reliquae actiones omnes harmonicae euadunt. Nerui hic nominandi ſunt, qui, cum ob tenſionem membranarum eos inueſtientium, et elaſticitatem ſpirituum, facile moueri queant, ad omnes corporis machinas abeant, motus facile communicent, inter ſe inuicem conſpirent, et, id quod per experientiam certum eſt, in omnibus actionibus harmonicis agant, in explicanda animali natura, probe attendendi ſunt, ita, ut omnis etiam temperamento-

rum

rum ratio atque varietas, in diuerſitate neruorum,
harmonicos motus diſcrepantes producente, Auctori quaerenda eſſe videatur. His pertractatis in altera p. 170.
nunc ſectione, vires agendi harmonicae corporis humani explicantur, quae in quantum homini cum animalibus communes ſunt, inferiores appellari poſſunt. In duo capita diſtribuitur haecce tractatio, quorum primum, functiones corporis cum viribus intellectus inferioribus harmonicas, alterum vero, cum viribus voluntatis inferioribus conſpirantes actiones pertractat. Quae vero in his duobus capitibus declarata inueniuntur, ita nobis comparata eſſe videntur, ut quoad maximam partem, tanquam communes omnium animalium harmonicae actiones, non poſſint conſiderari, magis potius animae rationalis ideam praeſupponant, ad quam tamen in hac parte
reſpiciendum non eſt. Porro ſi quoque omnium p. 171.
indicatarum animi facultatum, certam quandam ſpeciem animalibus brutis ineſſe dicamus, illae tamen in homine ſeparatim conſiderari non poterunt, rationalis quippe, quae corpori ineſt, anima, hae vires omnes perfectiores ut ſint, efficit. Limites certas in his difficulter admodum definiri poſſe concedimus Cl. Auctori, eas tamen inde nimium extendendas
non eſſe putamus. Pars quinta ipſam humanam p. 189.
corporis noſtri naturam declarat, et actionum corporis cum intellectu et voluntate conſpirantium hiſtoriam tradit, ita quidem, ut praeter ea, quae ex antecedentibus hic repeti debent, diuerſae idearum affectiones, ſenſationes corporeae, appetitus et auerſationis natura, diuerſae tandem cum iis harmonicae corporis actiones, accurate ſatis expoſitae inueniantur. Ita enim harmonicos motus exoriri, dum intellectus operationes perficiuntur, ex eo iam patet, quod meditatio continuata corpus debilitet, profunda vero, ſenſus obtundat et hebetiores reddat, et cerebrum praecipue inde afficiatur. Motus vero

corporis

corporis cum voluntate harmonici pro ratione actionum animae vel ſunt arbitrarii, vel abſolute liberi, quae differentia ex tradita ſomni, inſomniorum et noctambulationis hiſtoria confirmatur. Sexta tandem et
p. 201. ultima pars, naturam corporis humani in genere tractat, ita, ut ſingulae, quae in ea diſtingui poterant, partes nunc combinatae conſiderentur. Caput primum delineationem corporis humani in genere ſiſtit; colliguntur hic ea, quae fuſe antea de ſingulis illis naturis dicta fuere, et ex iis quidem materialem mechanicam et animalem, tanquam ex compoſitionis modo diuerſas, reales eſſe, phyſicam vero atque humanam, cogitatione tantum, non vero re ipſa, ab homine ſeparari poſſe euincitur. Caput ſecundum origini corporis humani declarandae dicatum eſt, in quo tamen ortum primarum, quae illud conſtituunt, materiarum, et proprie ſic dictarum naturarum combinationem, animae potiſſimum cum corpore nexum, ſatis declarari non poſſe, ingenue profitetur Cl. Auctor. Hominis vita, quae tertii capitis argumentum eſt, in duratione coniunctarum illarum naturarum conſiſtit, hinc phyſica, mechanica et animalis eſt. Perdurans hic nexus corporis cum anima, priores duas vitae ſpecies ſimul quoque adeſſe facit. Vt vero variam nos viuimus vitam, ſic mors quoque, cuius hiſtoriam quartum caput complectitur, triplicis generis eſſe videtur, praeter ſolutum namque corporis cum anima nexum, machinarum quoque corruptio, et plenaria tandem mixtionis elementorum deſtructio, obſeruatur. Agmen claudunt generales quaedam in ſexto capite indicatae corporum humanorum differentiae, quae praeter id, quod a calore et aere iisdem obuenientes mutationes, poſt cognitam demum ſpecialem phyſiologiam pateſcant, varium eorum colorem, pulchritudinem et formam geſtus et lineamenta, differentias demum a climate, aetate, anni temporibus, tempeſtatibus et aſtris,

aſtris, vitae genere, ſexu, modum denique, quo cum animalibus comparati ſe habent homines, concernunt, et tanquam praecipua tantum variarum illarum relationum exempla hic nominantur. In compendio hic tantum tradit Cl. Auctor eas doctrinas, quae in generali ſic dicta phyſiologia fuſius pertractari deberent. Optaremus, ut omnes, qui ſalutarem artem ſibi ſumunt, illis philoſophiae et phyſices in primis praeceptis imbuti accederent, quae medicis doctrinis intelligendis, in uniuerſum, his vero, de quibus diximus, ob breuitatem et ſubtiliores non nunquam diſtinctiones, intellectu ſaepius difficilioribus inſtitutionibus, rite perſpiciendis ſufficiunt.

III.

Opuſcula ſua anatomica de reſpiratione, monſtris, aliaque minora recenſuit, emendauit, auxit, aliqua inedita, nouasque icones addit ALB. V. HALLER, Goetting. apud Io. Wilh. Schmidt, 1751. 8. 1. alph. 1. pl. tab. aen. 10.

Largiſſima Illuſtr. Auctoris medicarum ſcientiarum peritia non niſi limata ab eodem nos expectare iubet ſcripta. Illa certe, quae in hac collectione continentur, variis temporibus orbi erudito communicata, et communi fere applauſu pleraque ſunt excepta. Quapropter etiam de iis pauca tantum adducenda eſſe arbitramur. Inſcribuntur haec opuſcula Cel. MORGAGNO. Praefatio vindicias continet contra PETR. SENACVM, Gallum Medicum, qui in illo, quod de corde conſcripſit, opere, contumelioſa quaedam exprobrauerat HALLERO, variasque de vaſis cordis eiusdemque ſtructura taxauerat deſcriptiones, quas tamen ita defendit Cel. Auctor, ut

ut ipſe SENACVS haud firmo ea, quae obiecerat, talo niti, ſatis ſuperque conuinceretur. Continentur autem in hac collectione tredecim diuerſa ſcripta, quorum non nulla non mutata, alia caſtigata, alia vero aucta, alia tandem plane noua proponuntur. Sunt vero haec: I) *De ſepto transuerſo*, Bernae an. 1733. editum, quod fabricam et utilitates huius partis exponit, nullam vero paſſum eſt mutationem, niſi quod diaphragmatis icon, quam in faſcic. I. anatomico melius expreſſit Cel. Auctor, hic fuerit omiſſa. II) *De reſpiratione experimenta P. I.* Goett. an. 1746. III) *P. II.* ib. an. 1747. Neminem fugit, quam acriter Ill. HALLERVM inter atque Ill. HAMBERGERVM acta ſit de reſpiratione controuerſia, ita quidem, ut acerba utrinque proferrentur verba, hinc retractauit caſtigauitque contra Cl. Virum ſua ſcripta, retinendo, quae ad argumentorum probationem pertinent, additis paucioribus nouis obſeruationibus. IV) *De reſpiratione P. III.* Diarium experimentorum in viuis animalibus factorum continet. Nouum eſt, eam ob rationem adiunctum, ut Cel. Aduerſarius cognoſcat, naturam ſequutum eſſe HALLERVM, denuoque his confirmatur, aerem intra pectus et pleuram non eſſe; muſculos intercoſtales externos internoſque ſimul agere, nec non intercartilagineos HAMBERGERI, qui internorum pars ſunt anterior; coſtarum interualla in inſpiratione vehementer arctari; coſtas rotari, margine ſuperiori introrſum, inferiori extrorſum antrorſumque ducto. Horum autem phaenomenorum conuenientiam cum natura addendis adiectae experientiae ulterius comprobant; ſimulque in auibus pulmones perforatos deprehendi et ex iis bullarum inſtar prodeuntem aerem conſpici confirmant. Noua quoque enchireſi, quae reſpirationem in cadauere imitatur, internorum intercoſtalium muſculorum motum cum externorum actione conſpirare euincitur. V) *Quod humana corpora ſecuerit* HIPPO-

CRATES.

CRATES, Goett. 1735. *programma* conſcriptum et hic inſertum legitur. VI) *Anatome fetus bicipitis ad pectora connati*, Tiguri, 1735. Cum frequens Cel. Auctori ſeſe obtulerit occaſio incidendorum monſtrorum, in eam deuenit ſententiam, monſtra non caſu omnia naſci, ſed a prima delineatione quaedam ſic exiſtere, quam variis argumentis et obſeruationibus, nec non aliorum fide dignorum virorum teſtimoniis confirmat. In primis et hic contra naeuorum maternorum exortum ex imaginatione matris diſputatur, et velocitatem ſanguinis augeri minuique tantum poſſe animi adfectibus, qui impetus in matre et foetu multis iterum cum frangatur modis, effectuum adſcriptorum auctor exiſtere nequit. Figuras refert T. I-VI. VII) *Duorum monſtrorum anatome et de cauſſis monſtrorum ulterior diſquiſitio*, Goett. 1742. diſſ. Alterum porcinum, alterum caninum erat, quorum figurae in Tab. VII-X exhibentur. Noua de monſtris ſententia et hic confirmatur, cum vaſa utriusque foetus maiora mire communicantia non permittant, ut ex deſtructione et ruinis duorum corporum factis reſtitantes partes coaluiſſe aliquis fingat, quae LEMERY eſt opinio. VIII) *De fele capite ſemi duplici*, Goett. 1742. progr. IX) *De fetu humano ſeptimeſtri ſine cerebro*, ibid. 1735. Deficiebant huic oſſa cranii ſuperiora, cutis, cum dura matre nexa, quae diſſecta etiam nulla cerebri veſtigia ſupereſſe docuit. X) Singulare programma eſt, contra LVD. LEMERY directum, quo de monſtris ſententia HALLERI et WINSLOWII nouis argumentis defenditur, Goetting. 1745. quo et pertinet mirandus connati monſtri, a PARSONO diſſecti, vaſorum coalitus et anaſtomoſis, de qua in addendis, calci opuſculorum adiunctis diſſerit Ill. Auctor. XI) *Strena anatomica nuperrimarum obſeruationum ex theatro Gottingenſi faſciculus*, Goett. 1740. Ditiſſimus nouarum anatomicarum obſeruationum varietatumque theſaurus. XII) Oratio

de amoenitate anatomes, nunquam antea edita. Praemiſſis non nullis de impedimentis et cauſis adiuuantibus artem anatomicam ex veteri hiſtoria anatomes deſumtis, demonſtrat HALLERVS, quanta humanae menti ex contemplatione artificioſae machinae corporis humani et inde perſpecta utilitate enaſcatur delectatio, quae ex diſquiſitione diuerſitatis partium in quadrupedibus, volatilibus, inſectis multum augetur, variisque adminiſtrationibus anatomicis, ut iniectionis artificio, quibus nobilitata eſt anatome, ad ſummum euehitur gradum. XIII) *De noua tunica pupillam fetus claudente obſeruatio*, in Act. Vpſal. 1742. propoſita, hic recuditur aucta, repetitisque inſtitutis experimentis praeſentia eius docetur, ipſaque delineatur. *Tab. X.* XIV) *Catalogum ſcriptorum* omnium adiunxit, quae genuina ab eodemque ipſo elaborata ſunt.

IV.

CAROLI LINNAEI Philoſophia botanica, in qua explicantur fundamenta botanica, Stockholm. apud G. Kieſewetter 1751. 8 mai. alph. 1. tab. 9.

Anno iamiam huius ſaeculi trigeſimo ſeptimo Fundamenta botanica edidit Cel. Auctor, in quibus paucis breuibusque aphoriſmis omnem theoriam atque inſtitutiones rei herbariae comprehendit; quorum ulteriorem explicationem per exempla, obſeruationes et in primis partium plantae definitiones poſt ea per partes ſe exhibere velle promiſit. Et ſane ſtetit promiſſis, atque horum fundamentorum partem I. Bibliothecam, II. Claſſes plantarum, VII-X. Criticam botanicam, diu euulgauit, quibus deinde partem V. Sponſalia et XII. Vires plantarum adiecit, partes vero III. IV. VI. et XI. hactenus lucem publi-

cam

cam non viderunt. Hae itaque nunc, coniunctim cum prioribus et in unum opus collectae, auctae aliquando nouisque exemplis illuſtratae ſub philoſophiae botanicae titulo exhibentur. *Primum* itaque hic continetur bibliotheca, in qua methodo recepta primarii auctores enumerantur, qui ſuis ſcriptis rem herbariam illuſtrarunt. p. 2. Seorſim vero *ſecundo* ſyſtemata botanicorum recenſentur, tabulaeque ſynopticae adiiciuntur, quo cognoſcatur, qua ratione et ex quonam fundamento quisque ſuam diſpoſitionem effecerit atque propoſuerit. p. 18. Habetur itaque hic methodus CAESALPINI, MORISONI, HERMANNI, CHRISTOPH. KNAVTHII, BOERHAAVII, RAII, atque huius quidem duplex et propria et emendata, qua occaſione ſimul et ea pauca adducuntur, quae CAMELLVS excogitauit, et quae cum RAII Hiſt. Plant. euulgata fuere. Porro RIVINI, CHRISTIANI KNAVTHII, LVDWIGII, TOVRNEFORTII, PONTEDERAE, MAGNOLII, ſui ipſius, ROYENI, HALLERI, WACHENDORFFII, quibus omnibus, ut uniuerſalibus ſyſtematicis, particularis graminum methodus, quam SCHEVCHZERVS exhibuit, adiicitur et fragmentis methodi naturalis haec tractatio finitur. Omnia praeter LVDWIGII, ROYENI, HALLERI et WACHENDORFFII ſyſtemata fuſius iamiam pertractata et euulgata in Claſſibus plantarum reperiuntur. Miramur itaque RVPPIVM ſolum hic nominari, qui RIVINI methodum emendauerit; emendauit namque illam inprimis HEVCHERVS et LVDWIGIVS in prima generum editione, de qua re hic plane ſilet Auctor, cum tamen in Claſſibus plantarum huius ſyſtematis clauis proponatur. In altera vero editione, ubi nouum ſyſtema conditum euulgauit LVDWIGIVS, non modo RIVINVM et LINNAEVM combinauit, ut Auctor quidem exiſtimat, ſed et quasdam claſſes, quae in nullo horum inueniuntur, appoſuit. Deſideramus in hac metho-

O 2 dico-

dicorum recenſione adhuc recenter illam excogitatam HEISTERI et ERNSTINGII diſpoſitionem; an pro lubitu illas omiſit, cum huius nihil ferme noui contineat, et prioris ſpurio diſtinctionis fundamento ſit ſuperſtructa? De MAGNOLII ſyſtemate adhuc notamus, illud modo hic exhiberi, quod in libro, Nouus plantarum character inſcripto, proponitur; nullam vero plane illius fieri mentionem, quod in alio eiusdem Viri ſcripto, Prodromo hiſtoriae generalis plantarum appellato, exhibetur, in quo etiam familiae plantarum per tabulas, alia tamen ratione, proponuntur. *Tertia* pars ſiſtit plantas, earumque

p. 37. partes. Vegetabilia omnia in ſeptem familias diſtinguuntur; fungos nempe, algas, muſcos, filices, gramina, palmas et plantas, additurque cuiuslibet familiae deſcriptio. Fungorum autem definitio deſideratur et plantae dicuntur omnia *reliqua vegetabilia, quae priores intrare nequeunt familias.* Vegetabilium tres aſſumuntur partes, radix, herba et fructificatio.

p. 38. Radix eſt *pars alimentum hauriens, herbam cum fructificatione producens.* Cuius differentiae plures nominantur, definiuntur, additisque iconibus illuſtrantur. Herba eſt *vegetabilis pars orta a radice, termi-

p. 39. nata fructificatione* et huius partes ſunt; truncus, folia, fulcra, hybernaculum. Trunci ſpecies exhibentur ſeptem: 1) caulis, *truncus proprius eſt herbae et folia et fructificationem eleuans*, qui multiplici modo differt. Diuiſio in volubilem, flexuoſum et reclinatum, vt et procumbentem et repentem, triquetrum et triangularem, ſulcatum et ſtriatum, ſcabrum atque hiſpidum minus neceſſaria eſſe nobis videtur. 2) Culmus eſt *truncus gramini proprius.* 3)

p. 40. Scapus eſt *truncus eleuans fructificationem, non folia.* 4) Pedunculus eſt *truncus partialis eleuans fructificationem, non folia,* qui nunc ratione loci, quo plantae inſeritur, et modi, quo flores gerit et nectit ulterius conſideratur, ubi et ſimul ea omnia, quae ad diuer-

diuerſum florendi modum pertinent, dilucide expli-
cantur. Radicalis pedunculus nobis videtur cum ſca-
po conuenire. 5) Petiolus eſt *trunci ſpecies adne-* p. 41.
ctens folia, nec fructificationem. 6) Frons eſt *trunci*
ſpecies, coadunatus ex ramo, folio et ſaepe fructifi-
catione. 7) Stipes *baſis frondis* eſt. Folia *tranſpi-*
rant, et adtrahunt, umbramque praebent. Singularis p. 39.
definitio! horum differentiae prolixa oratione pro- p. 42.
ponuntur, quae tamen in omnibus cum illis accura-
te conueniunt, quas in Horto Cliffortiano iam diu
Cel. Auctor exhibuit, et quas ex eo ipſo nuper ad-
modum GORTERVS et DALIBARDIVS denuo re-
petitas tradiderunt, additis ſimul et iisdem iconiſmis,
quae ibidem primum delineatae occurrunt. Fulcra
ſunt *adminicula plantae*, cur non vegetabilis? *pro* p. 50.
commodiore ſuſtentatione; horum numerantur ſeptem
differentiae. Quis vero ſecundum hanc datam de-
finitionem ſtipulam, bracteam, ſpinam, aculeum,
glandulam et pilum fulcra dicere poterit, omnia ta-
men huc reducuntur. Cirrhus forte ſolum modo huc
pertinet. Praeter ea ſtipulam a bractea, et ſpinam
ab aculeo, non ſatis diſtingui poſſe arbitramur. An
omnia ea corpuſcula, quae glandulae Auctori dicun-
tur, humorem excernant, dubitamus; in armenia-
ca, pado, bryonia zeyl. eminentiam quidem, nul-
lum vero fluidum depoſitum inuenimus. Hyberna-
culum eſt *pars plantae includens herbam, et embryo-*
nem ab externis iniuriis defendens, et hoc eſt vel bul-
bus vel gemma. Bulbus dicitur hybernaculum cau-
dici deſcendenti inſidens, cum gemma caudici aſcen-
denti inſideat. Ingenioſe ſane excogitata nobis vide-
tur haec de hybernaculis plantarum doctrina; et ve-
rum eſt, in plurimis bulbis atque gemmis ipſam fu-
turam plantam, iam delineatam, contineri, an vero
in omnibus ita ſeſe res habeat, dubitamus. Dum
itaque Cl. Auctor articulatam radicem ſquamariae et
martyniae huc reduxerit, in iisque delineatam plan-

tam adeſſe aſſumſerit, cur non et radicem tuberoſam variarum plantarum huc retulit? poſſunt enim illae eodem iure ut hybernacula conſiderari; praeter ea etiam, pace ſummi Viri, erraſſe videtur in diſtinguendis bulbis: ſolidum enim bulbum non habet tulipa, ſed eodem modo, ut cepa, tunicatum.
p. 52. *Quarta* parte ſiſtitur fructificatio; et haec appellatur *vegetabilium pars temporaria, generationi dicata, antiquum terminans, nouum incipiens.* Partes huius numerantur ſeptem. 1) Calyx, qui eſt *cortex plantae in fructificatione praeſens*, cuius ſpecies ſunt perianthium, inuolucrum, amentum, ſpatha, gluma, calyptra et volua. 2) Corolla eſt *liber plantae in flore praeſens*, cuius partes variaeque differentiae fuſius exhibentur. Ringens flos, ut exiſtimamus, nimis late ſumitur, dum eum irregularem, in duo labia perſonatum dicit; nec definitiones calicis et corollae adaequatae eſſe videntur; licet enim in quibusdam cortex atque liber in utramque forte partem mutetur, tamen in illis floribus, in quibus vel calix tantum, vel corolla ſolum inuenitur, haec partium mutatio locum habere nequit. Ad corollam etiam nectarium, *pars mellifera flori propria*, refertur. Stamen dicitur *viſcus pro pollinis praeparatione*, cuius partes, filamentum, anthera et pollen definiuntur. Piſtillum vero dicitur *viſcus fructui adhaerens, pro pollinis receptione.* Qua autem definitione, ſtylum potius, ut partem, non vero totum piſtillum exhibere videtur; cum ipſe fructus immaturus partem piſtilli efficiat; totum igitur non poteſt parti adhaerere. Nec ſtyli definitionem adaequatam eſſe exiſtimamus; eſt enim ſtylus *pars piſtilli, ſtigma a germine elevans.* Dantur vero plures flores, in quibus nullum peculiare ſtigma inuenitur. Neque ſtigma ſemper eſt pars *humore pollinis madida*, alias ſtyli in variis plantis ſtigmata eſſent dicenda, cum etiam illi ſaepe puluerem adhaerentem oſtendant. Pericarpium

pium eſt *viſcus grauidum ſeminibus, quae matura di-*
mittit. Omnis itaque fructus ſub hac generaliori
voce complectitur, cuius differentiae plures propo-
nuntur, et accurate ſatis determinantur, licet et hic
quaedam, ut v. c. de ſiliqua moneri poſſent. Drupa,
pomum et bacca ex ſequenti fundamento diſtinguun-
tur, quod drupa nucem, pomum capſulam, bacca
vero ſemina nuda contineat. Semen dicitur *vegeta-* p. 54.
bilis pars decidua, noui rudimentum, pollinis irriga-
tione viuificatum, continens. In ſemine ipſo plures
diſtinguuntur partes, aliquando minus eſſentiales,
nominibusque nouis et ſingularibus illae inſigniun-
tur; ut eſt roſtellum, quod radiculam vulgo dici-
mus, ut eſt arillus, quem alias membranam inuol-
uentem appellamus. Hilum in omni ſemine, licet
aliquando adfuerit, non ſemper cognoſcendum eſſe,
experientia docet. Propago dicitur Auctori *ſemen* p. 54.
muſci decorticatum, vel ſunt *ſemina deſtituta tunica* p. 57.
et cotyledonibus, adeoque nudi corculi plumula roſtello
ſuo calici plantae affigitur. Hiſce ita pertractatis va-
ria multaque proponit Cel. Auctor, quae ad accura-
tiorem florum fructuumque cognitionem ſpectare
videntur; ubi et ſimul aliorum auctorum definitio-
nes quaedam adducuntur; quarum tamen non nullae
incompletae vel mutilatae exhibentur; ut eſt defini-
tio floris a LVDWIGIO data, alia enim et perfectior p. 55.
in alio loco eiusdem libri continetur. Nec ille
modo dixit calicem eſſe exteriorem floris membra- p. 57.
nam, ſed alios et certiores quidem characteres ſimul
propoſuit. Quae nam porro ſtructura, numerus,
figura, proportio atque ſitus *naturaliſſima ſint*, fu- p. 59.
ſius docetur, deinde calicis, corollae, ſtaminum, pi- p. 62.
ſtillorum, pericarpii et ſeminum differentiae decla-
rantur, variaeque nectariorum ſpecies proponuntur. p. 73.
Haec excipit florum diuiſio, et alii incompleti, com-
pleti alii, hique vel ſimplices, vel aggregati nominan- p. 75.
tur. Completus flos dicitur Auctori, qui *calice et*

corolla gaudet, incompletus, qui hac vel illa parte ca-
ret; flos aggregatus eſt, in quo *floſculis plurimis ali-*
p. 76. *qua pars fructificationis communis eſt*, hic ulterius di-
uiditur in aggregatum proprie dictum, in compo-
ſitum, umbellatum et cymoſum; compoſitus et ag-
gregatus, proprie ita dictus, in eo inter ſe diffe-
runt, quod in illo floſculi ſint ſeſſiles, in hoc vero
pedunculati; huic vero diſtinctionis fundamento infe-
rius illud, ab antherarum coalitu deſumtum, additur.
Vmbellatus flos a cymoſo diſtinguitur, quod in
priori omnes pedunculi ex eodem centro egredian-
tur, in poſteriori vero pedunculi, ex uno centro
oriundi, ſuis pedicellis vage prodeant; his tandem
additur flos amentaceus, glumoſus et ſpadiceus. Do-
ctrinam itaque de modo florendi partim hic loci, par-
tim ſuperius occaſione pedunculi exhibitam eſſe ani-
maduertimus. Luxuriantes poſt ea conſiderantur
p. 79. flores, qui vel multiplicati ſunt, vel pleni, vel pro-
liferi, quibus tandem mutilus flos additur; priores
ab alimento luxuriante, poſterior vero a defectu ſuf-
ficientis caloris generatur. Multiplicati flores, ut in
p. 80. monopetalis, ſine mutatione ſtaminum eueniunt, in
plenis vero corolla ſemper ita multiplicatur, ut ſta-
p. 81. mina excludantur. Prolifer euadit flos, quando in-
tra florem alii flores enaſcuntur, et prolifer frondo-
ſus appellatur, quando proliferi proles folioſus eua-
p. 82. dit. Simplices flores ex piſtillo, aggregati ex re-
ceptaculo proliferi euadunt. Diuerſa floris luxu-
riantis facies, huiusque efficiens cauſa ulterius doce-
p. 86. tur in ſequentibus. *Parte* nunc *quinta* ſexus planta-
rum explicatur, ubi multum et erudite breues illi
aphoriſmi illuſtrantur ac dilucidiores redduntur. Re-
rum vero varietas et copia vix permittit, ut omnia
hic in compendio exhiberi poſſint. Id modo mone-
mus, illam floris partium analogiam, ab animalium
partibus, generationi dicatis, deſumtam non omni
p. 92. exceptione eſſe maiorem. Pleni flores eunuchi fiunt,

abor-

abortiuntque omnes, quod vero non ubique res ita inueniatur, docet tunica et papauer, de ultimo ipſe Cel. Auctor concedit, illum potius multiplicatumque quam plenum florem dicendum eſſe aſſerit, quod vero contra definitionem floris multiplicati, antea exhibitam, eſſe nobis videtur. *Sexta* nunc *parte* characteres proponuntur, in qua diſpoſitionis plantarum fundamenta fuſe dilucideque exhibentur, in primis vero declaratur plantarum habitus, qui ipſi eſt *conformitas quaedam vegetabilium affinium et congenerum, idque in placentatione, radicatione, ramificatione, intorſione, gemmatione, foliatione, ſtipulatione, pubeſcentia, glandulatione, lacteſcentia, infloreſcentia*, quae omnia plurimis adductis exemplis illuſtrantur, plurimaque hic repetuntur, de quibus ſuperius iam in ipſa plantarum conſideratione ſermonem fecit. Poſt haec diſpoſitionem vegetabilium primariam a ſola fructificatione deſumendam eſſe docetur, plurimaque ficta genera, quae hoc fundamentum non agnoſcunt, recenſentur, quibus varia alia adnectuntur genera, quae in aliqua fructificationis parte aberrant, ea tamen de cauſa non ut genera ſingularia, verum potius ut ſpecies conſideranda ſunt, licet alii aliter ſenſerint. Flores in generibus condendis principatum tenent, cum huius figura certior ſit quam fructus, quod campanulae exemplo et aliis declaratur. Videtur vero nobis in adductis generibus tot modis corollas variare, quot modis variat fructus. Stamina porro et calicem petalis certiora exhibere ſigna paucis oſtenditur; miramur autem hunc aphoriſmum non fuſiori ſermone, pluribusque rationibus explicatum dari, cum omne ſuae diſpoſitionis fundamentum hoc ipſo innitatur; forte Cl. Auctor experientia, repetitoque florum examine didicit, multiplici etiam modo ſtamina, in primis numero variare. Haec ſequitur fuſa generum fictorum recenſio, quae a fructus ſtructura differente

p. 97. p. 101. p. 112. p. 120. p. 123. p. 126.

ſola fuere deſumta. Quae vero omnia, licet Aucto-
ri falſa videantur, non ficta eſſe arbitramur, alii
enim, et eiusmodi viri, qui ſana etiam theoria ſunt
inſtructi, varia eorum etiam nunc adhuc ſalua reti-
p. 140. nuerunt. Tandem generum plantarum a TOVRNE-
FORTIO usque ad hoc, quo viuimus tempus, progreſ-
ſus et enumeratio exhibetur, hisque ſexta pars fini-
p. 158. tur. Characteres in *ſeptima* excipiunt nomina, *octa-*
p. 202. *ua* ſequuntur differentiae, *nona* varietates, et *deci-*
p. 250. *ma* ſynonyma. Cum vero in Critica botanica de-
nominationem genericam, ſpecificam, et varian-
tem regulis et exemplis plurimis iamiam fuſius Cel.
Auctor exhibuerit, harum recenſioni hic ſuperſede-
re nos poſſe et iure quidem arbitramur. Varia ſunt,
quae alio paululum et mitiori ſermone hic propo-
nuntur, ut eſt e. gr. regula, ita in Critica botanica
contenta: *Nomina generica, e rebus domeſticis ſimili-
busque diminutiua, minus placent*, quae nunc ſequen-
ti modo mutata inuenitur: *Nomina generica dimi-*
p. 166. *nutiua et e lingua latina contorta toleranda ſunt*; ut
crucianella: prout et illa eſt de ſpecierum conſtitu-
tione regula: *A partibus fructificationis, niſi ſumma
cogat neceſſitas, nulla expoſcenda eſt differentia*, quae
p. 222. nunc ſequenti modo exprimitur: *Fructificationis
partes ſaepius conſtantiſſimas differentias ſubminiſtrant.*
In varietatibus diiudicandis nouum exhibetur enun-
p. 241. ciatum, dum criſpa et bullata folia monſtroſa eſſe
aſſerit. In ſynonymis regionum vernacula nomina
p. 255. adhibenda eſſe nunc exigit, licet aliter in Critica
p. 256. ſenſerit Cel. Auctor. *Vndecima parte* nunc ſequun-
tur adumbrationes, quae hiſtoriam plantae conti-
nent, quaeque oſtendunt, qua ratione plantae ea-
rumque partium deſcriptio ſit formanda. Et hoc
quidem fuſiori ſermone in ricino, pharnaceo, tilia
p. 262. et lino docetur; quibus dein variae magnitudi-
nis menſurae adduntur, explicanturque nomina, ca-
pillus, linea, unguis, pollex, dodrans, ſpithama,
brachium,

brachium, orgya etc. Porro quo modo icones depingendae ſint, explicatur, in qua re veteres taxantur, quod eorum iconibus et maximae arbores et minimae herbae in eadem magnitudine exhibeantur, ille itaque modus praefertur, ubi modo ramuli exprimuntur. De locis plantarum natalibus, quae regionem, clima, ſolum reſpiciunt, fuſius diſſeritur, quibus tempus rigendi, efflōreſcendi, vigilandi, fructeſcendique additur; et tandem ſingulare florae horologium, ſecundum plantarum vigilias, exhibetur. Summam in his omnibus attentionem, indefeſſumque in contemplatione plantarum laborem et exinde ingenioſe excogitata enunciata admiramur magnique facimus. *Parte duodecima* Vires plantarum explicantur; omnia vero, quae huc pertinent, accuratius fuſiusque declarauit Cel. Auctor in ſingulari diſſertatione, Vpſal. 1747. habita; haec itaque hic denuo repetere nolumus. Et haec ſunt capita Philoſophiae botanicae. Hiſce nunc additur tabularum expoſitio, quibus non nulla, de diſciplinae huius inſtructione adiiciuntur, ne paginae alternae vacuae relinquerentur. Docetur itaque hic 1) quid tyroni botanico faciendum ſit; 2) qua ratione herbarium formandum; 3) qua methodo herbationes ſiue excurſiones botanicae inſtituendae; 4) exhibetur modus, ſecundum quem horti ſtruendi, qua occaſione et termini non nulli, ab ipſo in Horto Vpſalienſi adhibiti, explicantur. e. gr. Plantae ferae eae dicuntur, quae toto anno intra domum ſeruandae, manſuetae, quae aeſtate exeunt, cicures, quae clima hybernum ſuecicum ferunt. 5) Ad quaenam in peregrinationibus attendendum ſit; 6) qua ratione verus botanicus rei herbariae ſcientiam pertractare debeat; et 7) tandem metamorphoſeos plantarum exempla adducuntur. Quibus omnibus, addenda, omiſſa et corrigenda adiiciuntur et triplici indice, in quibus termini, genera et contenta exhibentur, totum opus finitur.

p. 263.
p. 263.
p. 274.
p. 278.
p. 288.

Recen-

Recenſuimus itaque breuiſſimis ambitum huius philoſophiae, plura addere perhibet rerum copia et varietas. Summam ſane promeruit laudem Cel. Auctor hoc ipſo opere, quod tam diu optarunt et expectarunt ſummi in arte viri. Illis vero inprimis gratum acceptumque eſſe poterit, qui LINNAEVM in re herbaria ſequuntur; nunc enim ipſis lux accenſa eſt, nunc tandem certiores euadunt, quaenam ſint illa huius Viri et diſpoſitionis et denominationis vera fundamenta. Hoc unicum modo addimus, icones adiectas plures quidem bonas eſſe, plures vero ideo vitioſas dicendas, quoniam non ad ipſam naturam factae ſunt, ſed potius ex imaginatione et ingenio, ut ipſae aliquando definitiones, fictae.

V.

IO. CHRISTIAN. TILLINGII M. D. Obſeruationes medicae ſingulares, circa verum uſum thermarum Carolinarum. Lipſ. impenſ. Gleditſch. 1751. 8. pl. 5.

In tanto, quem habemus, obſeruationum de morbis apparatu, nondum ſane eſt, cur nimiam conqueramur earum rite conditarum abundantiam. Cl. Auctor teſtatur ipſe ab initio huius libelli in epiſtola ad Ill. TRILLERVM data, quam difficile ſit eas ita conſcribere, ut in aliorum cedere queant utilitatem. Periculum tamen fecit, et XXXVI. obſeruationes, quarum ſingulae aliquot aegrorum, ſimili morbo conflictantium, et auxilium in thermis Carolinis quaerentium continent hiſtorias, cum orbe erudito communicauit. Elucent inde omnino et Cl. Auctoris eruditio, quam antea iam quoque habuimus compertam, ipſiusque in arte ſalutari facienda dexteritas, probitas atque felix rerum iudiciique de quolibet morbo lati euentus. Diffiteri tamen non poſſumus,

quod

quod in quibusdam morborum narrationibus, et in primis in modo, quo, et quam diu, thermis Carolinis uſi fuerint aegri, paulo prolixiorem deſcriptionem deſideremus, in cuius ſententiae teſtimonium praeter alias primam illico adducere poſſumus obſeruationem, quae ſeptem aegros, e quibus ſub uſu thermarum excreti fuerant calculi, in medium profert, de quorum morbis atque horum cura depromtae hiſtoriae nobis eſſe videntur nimis conciſae, nec ad iuſtam, qua conſcribi debent obſeruationes, legem ſatis exaratae.

VI.

Hiſtoria podagrae Eminentiſſimi Cardinalis Comitis a Sinzendorff, Epiſcopi Wratislauienſis conſcripta, ab ipſius medico IOAN. GODOFR. DE HAHN, M.D. etc. Norimb. impenſ. W. M. Endteri 1751. 4. pl. 4.

Exiguae quidem molis eſt libellus, ſed multa notatu perquam digna continet, ideoque uti totus omnino perlegi, ita quoque exemplar rite conſcriptae morbi hiſtoriae dici, meretur. Haereditatis iure in corpus Herois purpurati, ad obeſitatem fere nimiam proni, tranſiiſſe videtur ſingularis hicce morbus articularis iam tum, cum viginti annos natus eſſet. Ab anni autem 1742. menſe Martio, cum primum valetudinis cauſa ad Eminentiſſimum aegrum vocaretur Experientiſſimus Auctor, ad diem usque 28. menſis Septembris anni 1747, quo ſcilicet diro tandem illi morbo ſuccubuerat, morbi progreſſum deſcribit. Sed pauca tantum, quae in primis ſingularia nobis viſa ſunt, excerpere nobis liceat. Canina iſta fames, quae tum temporis, quando primum venerat ad aegrum Cl. Auctor, tam vehementer aegrum exagitauerat, ut, niſi ad primam cibum clamantis vocem p. 4.

accur-

accurrerent ſerui, nutrimentum adportantes; illico vomituritione ingratiſſima afficeretur. A diaeta lactis, qua per octodecim menſes uſus fuerat aeger, et per illud tempus praeter lac non niſi piſces, panem album, legumina et fructus horaeos aſſumſerat, inſigne aſſecutus fuit leuamen, malo autem ſuo plane non liberatus, ſed eo tantum per aliquod tempus ſo-
p. 7. pito vel leniori facto. Mixturam, facilitandae motuum torpentium et intima obruentium ad peripheriam directioni dicatam, ex aquis deſtillatis, puluere antiſpaſmodico, theriaca ſmaragdina, liquore anodyno HOFFMANNI et bezoardico BVSSII cum fructu ſaepe in uſum traxerat medicus, validiores autem pulſuum ictus, quoties eos refraenare viſum fuit, maſſa pilularum de cynogloſſo ſemper cum felici ſucceſſu com-
p. 18. peſcuit, licet medicus quidam Venetus, ut de morbo ſententiam ferret, rogatus, diffidentiam huicce medicamento excitare vellet. Cynogloſſi radicem atque ſemen hyoſcyami accuſans, quod tremores muſculorum inducerent, ideoque illi maſſam de ſtyrace dictam praeferendam commendaret. Inſontem autem illius remedii uſum ſtrenue vindicaſſe nobis videtur
p. 8. Cl. Auctor. Nitroſorum loco puluerum in deliciis valde habuerat Emin. aeger omnis generis fructus horaeos, vel recentes atque crudos, vel arte exaltatos glacie praeparatos, a quorum tamen omnium et melonum in primis liberali ſatis deguſtatione nullam unquam aegro enatam fuiſſe moleſtiam, narrat Cel.
p. 10. Auctor. Remedii genus in Italia frequens e terebinthina Veneta, cum polio montano ad conſiſtentiam maſſae pilularis cocta, per integros ſeptendecim menſes fuit adhibitum, eiusque drachma integra quouis mane propinata. Conſtanti illius medicamenti uſu et leniores, quando venerunt, factae ſunt acceſſiones, et induciae ſex fere menſium impetratae.
p. 16. Notari quoque omnino meretur, quod violaceus terebinthinae odor nunquam ſe prodiderit in urinis,

poſt eius autem uſum tam diuturnum omnis eius vis in organa ſaliuam ſecernentia irruerit, adeo, ut accedente ſiti immodica, ſputum tenax affluentiſſimum ſaporemque et odorem terebinthinae referret: emulſione autem, ex oleo amygdalarum dulcium cum ſaccharo et vitello oui parata, terebinthinae a ſanguine diuortium fuit adiutum. Varia dein quidem medicamentorum genera et inter ea etiam infuſum valde pretioſi illius lapidis hyſtricis cum aqua paratum in uſum fuere tracta, ſed ſine exoptato effectu. Pertinax enim iſte morbus articularis, ſingulis fere menſibus recurrens, aegrum ad eius usque obitum excruciauit, detento tandem malorum fomite in ipſis viſceribus, lethalique ibidem incendio producto. p. 25.

VII.

Variolarum ratio expoſita a IOH. GOTHOFR. DE HAHN, M. D. etc. Wratislauiae 1751. in offic. libr. I. I. Korn. 4. pag. 94.

En! Nouum plane illius de variolis ſaepe decantatae doctrinae aedificium! Anno iam huius ſaeculi poſt triceſimum tertio Illuſtris Auctor: *Variolarum antiquitates nunc primum e Graecis erutas*, et tribus annis poſt *carbonem peſtilentem a carbunculis ſiue variolis veterum diſtinctum*, cum binis Ill. TRILLERI de eodem argumento epiſtolis ediderat, quibus hunc morbum veteribus iam fuiſſe cognitum, eiusque deſcriptionem ex eorum libris ab Arabibus, quibus medici ad unum ferme omnes primam morbi varioloſi delineationem huc uſque conceſſerant, fuiſſe depromtam, comprobauerat. Antiquitate igitur variolarum vindicata, earum nunc rationem exponere in ſe ſuſcepit Cl. Auctor, earumque veram et genuinam indolem indagare; quum triginta annorum ſpatium in affluentiſſima aegrorum copia emenſus, ſatis

ſatis frequentem in intima eius valetudinis penetrandi myſteria nactus fuerit opportunitatem. Prima huius libelli ſectio *ipſam variolarum rationem* exponit, ideoque primo eius capite *breuis humani corporis hiſtoria* praemittitur, quatenus ſcilicet nouo huic cognoſcendo ſyſtemati inſeruire videtur. Totam ſcilicet animalium vitam ſtatis euolutionibus abſolui probat Cl. Auctor, ſeu *definitis euidentiorum incrementorum ordinibus, quibus partes corporis dudum ante, quam naſcimur, delineatae, poſtquam nati ſumus, annorum demum tractu, vi vitae auctiore, perpoliuntur, mutantur, conſpicuae magis redduntur, uſibusque ſingulis aetatum gradibus congruentibus adaptatae exhibentur,* §. V. Multoties ad illius ſententiam euoluimur ante, quam naſcimur, et tum quoque ad ultimos usque ſenii terminos permultas corporis experimur mutationes, quarum notantiora quaedam adducuntur exempla a duplici illo, de quo inter omnes conſtat, dentitionis negotio, a prima lanugine demiſſam caeſariem barbamque ac pubertatem expectante, a diuerſa pro diuerſis aetatibus partium inter ſe proportione ac figura, indeque cuiuis vitae ſtationi propriae formae decore, ab internarum partium, ab oſſium, glandularum, fibrarum totius corporis, ſabrica, et ab omnium denique vaſorum ſanguiferorum quoad numerum, capacitatem, eorumque motus fortitudinem, diuerſis aetatibus enaſcente varietate. Ad hoc ultimum euolutionum genus ipſam variolarum valetudinem refert Cel. Auctor, quas, *ſtatam eſſe,* inquit §. II, *euolutionum corporis humani ſpeciem, qua complures vaſorum ſanguiferorum extremitates hactenus ſub epidermide deliteſcentes, iuſta incrementa capiunt, diuaricatis apicibus ſummitates ſuas multiplicantes. Quae ipſae numeroſiores factae exitum per cuticulam moliuntur; hac propediem ablata, omnem cutis ambitum nouo tum ſpiraculorum, tum ſquamularum apparatu exor-*

exornaturae. Altero tum, quod ſequitur, capite ulterius aſſeritur, quod *variolarum morbus ſpecies ſit euolutionis corporis humani.* Arteriarum enim euolutionem in ipſa niti experientia dicit Ill. Auctor, cum anatomicis conſtet obſeruationibus, in recens nato infante membra et viſcera eſſe quam plurima maturationi ſuae inhiantia, non niſi temporis tractu abſoluenda, in cuius rei teſtimonium organa generationi dicata, ipſum cor, viſcus omnium praeſtantiſſimum, eiusque propagines, arteriae dictae, adducuntur, quae arteriae, uti ex menſtrui quoque in feminis fluxus hiſtoria patet, iam adumbratae ſaltem latent, et pro ratione vel uſus diuerſi, vel corporis incrementi, nunc magis magisque euolutae, numeroſiores indies comparent. Hanc ipſam, quam propoſuerat Ill. Auctor, ſententiam *quatuor* nunc huius ſectionis *capitibus* ex *apparatu variolarum, eruptione, maturatione, et ſiccatione*, ſeu ſic dictis quatuor earum ſtadiis probare annititur, in eumque finem multas aegrorum variolis decumbentium hiſtorias in medium profert, phaenomena morbi ex iis eruit, indeque propoſitiones, ſententiae ſuae de variolis fauentes, elicit atque colligit. In ipſa morbi hiſtoria egregie deſcripta morari iam nolumus, id ſaltem adnotaturi, quod in deſcribendo variolarum apparatu illas ſaepe non pro morbo habendas eſſe Auctor exiſtimet, quippe quae, uti reliquae euolutiones, ſine morbo ſaepe obſeruarentur. Num experientiae autem haec ſententia ſit conueniens, noſtrum iam non eſt decidere, atque de ea quaeſtione conficere. Cum negare tamen nequeat Cl. Auctor, epilepſiam, vomitum, ipſam febrem, aliaque ſymptomata, ipſam ſaepius praecedere eruptionem, inde certe pro ſua ſententia elicere conatur argumentum, quod illa ſint ipſius cerebri atque cordis effectus, manu quaſi ducentes variolas, ideoque variolarum, uti omnium reliquarum euolutionum, negotio primaria illa viſce-

ra, quibus vita praeſtatur, eiusque functiones laete procedunt, occupari obſeruentur. Nonne autem in plurimis fere morbis tales motus oriuntur a viuidiore cerebri atque cordis actione, quibus illud ipſum, quod morbum fecit, coquitur, mutatur aut ex corpore proſcribitur? In omni certe febre, ſi forſan phthiſicas exceperis, res ita ſe habet. Nonne hic loci, uti quoque ſaepius in ſequentibus, procul omni dubio in illum errorem incidiſſe videtur Cel. Auctor, quem petitionis principii appellant artis logicae doctores, cum illud iam pro vero venditet, aut argumenti loco utatur, cuius veritatem adhuc iam probare conatur? In controuerſiam autem cum Ill. Auctore deſcendere, noſtri plane vetat inſtituti aeque ratio, ac ipſa quaeſtionum copia, de quibus in hoc libello occurrentibus multum diſputari poteſt. Ad *alterum* potius properamus *variolarum ſtadium.* Exiſtimat nimirum Cel. Auctor, puſtulas illas eſſe fructuoſas humanae cutis gemmas, plantarum illis, ſucci plenis, et naſcentium vaſculorum tomentum obuoluentibus, ſimillimas. Itaque maturum illum ſuccum, quem benignae continent variolae, blandum defaecatiſſimi ſanguinis eſſe laticem, aſſerit Ill. Auctor, aeque nobilem et glutinoſum, ac ille deprehenditur, qui obuoluit embryonem, ideoque cum ichoroſa ulcerum ſanie aut abſceſſuum pure neutiquam confundendum. Cuius nunc ſententiae, quae eam probent, varia proliciuntur argumenta. Scaturit enim ille ſuccus ex ipſo vaſorum apparatu, quibus humani corporis cortex, cutis et reticulatum illi ſubiacens opus, inſtruitur, puro nimirum illo fonte, ex quo unctuoſus ille humor, molliendae cuti, eiusque vaſorum praeſidio, et nutritioni et augmento accommodatus, emanat. Porro ſuccus ille pretioſus, uti in vigente planta, ſemper quidem praeſens, tempore tamen euolutionis ſolito maiore copia defertur ad deſtinata loca, ideoque etiam in variolis

ad

ad cutem; idque fieri dicitur certe ab Ill. Auctore, in gratiam teneriorum vaſculorum ſe euoluentium. Aliud deinde pro ſucci illius nobilitate argumentum ex eo petitur, quod ipſa vis vitae, eiusque virtus interna, ſine ulla laeſione partium externa aut violentia, affluxus illius occaſionem ſuppeditet, qui etiam ipſe, uti uuarum ſuccus, lente atque ex molliſſimi tomenti vaſculoſi ſuperficie lanuginoſa prouenit, per totum morbi tractum amico cum vaſculis, e quibus manat, commercio conſeruato. Illius autem humoris particulae, diuerſas mutationes expertae, cum vaſculorum orificiolis cohaerent, eorumque molem adaugent, ſolidorum naturam acquirentes. Temperare nobis hic loci fere non poſſumus, quin pace Ill. Auctoris moneamus, quod ipſe in ſententia ferenda de modo, quo noua generari debeant vaſcula, titubare nobis videatur. In variis enim locis, v. c. §. 2. 5. 46. et aliis, vaſcula iam adeſſe delineata dicit, ſanguinis ſaltem influxum antea nondum experta, in aliis vero, e.g. §. 58. de eorum germinatione et incremento per appoſitionem externam loquitur. Suam certe de hac quaeſtione difficillima ſententiam ſat claris atque diſtinctis verbis nullo in loco declaraſſe nobis videtur. Iudicium quoque ſit penes viros nobis peritiores, num, praeter celluloſarum fibrarum laminarumque nutritionem, modo dictus incrementi modus unquam locum habere poſſit? Ad ſiccatarum denique variolarum cruſtas reſpicere iubemur, quippe quae huc usque, uti in plantis perianthia flores protegunt, ipſa illa vaſcula, quae germinare debebant, protexerunt, ita ut nunc, cruſtis illis deciduis iam ablatis, noua illa vaſcula, iuſtum robur acquiſita, compareant, et cuticula, quae cum cute alias arcte cohaeret, nec, niſi vi quadam externa, ab illa diuelli poteſt, iam ſponte auctaque virium vitae virtute defluat, atque totus homo inſtauratus exſurgat. Aegros huc usque in medium produxe-

P 2 rat

rat Cl. Auctor variolis, quas medici vocant benignis, decumbentes, et ex iis phaenomena huic valetudini propria collegerat. Non immemor autem triſtium iſtorum euentuum, qui ſaepiſſime variolas ſequi ſolent, *altera* tum huius libelli *ſectione ſyſtema ſuum corroborat*, eiusque *capite primo variolarum lethalium rationem* exponit. Flore laeſo vel deſtructo, ipſe quoque fructus, cuius ſpes erat flos, pereat neceſſe eſt. Florendi itaque actus momentoſus et res ardui omnino eſſe negotii aſſeritur, nec ipſi rerum naturae repugnare, florendo propiorem fieri et perfectionibus et interitui, cum conſtet, mortem omnibus euolutionibus, dentibus, menſtruoque fluxui, prorumpentibus eſſe communem. Exemplis tum aegrorum variolis mortuorum allatis, vel immoderatam vitae actionem, vel priuatam aegrorum culpam, labem, infirmitatem, teneritudinem morbi, vim ſuſtinere neſciam, ſanguinis acorem, vel inuerſam totius impetus in viſcera ruentis rationem, mortis ſaepe cauſam eſſe, elucet. Varioloſae autem euolutionis difficultatum maxima eſt iſta, quod puſtulae non nunquam confluant. *Quatuor* itaque in ſequentibus *capitibus* variolarum *confluentium deſcriptio*, *ratio*, *propria* earum *ſymptomata*, tandemque earum *cruſtae* et *cicatrices* proponuntur, iis, quae annotatu digna viſa ſunt, ex hiſtoriis, quae recenſentur, morborum deductis. Verae manent variolae, Cel. Auctor inquit, licet ſint confluentes, fiantque ſaepe carbunculoſae; manent tamen difficiles in eruptione aeque ac maturatione et ſiccatione. Diſtant ſaltem a variolis diſtinctis, ut partus difficilis et praeternaturalis a facili et naturali, ideoque vaſcula cutis ſanguifera, quae explicari debebant, hac ipſa valetudine, ob puſtularum vel duritiem, firmioremque cum cute connexum, vel quoniam gentilitia quadam prauitate, copia, vicinia, confluxu, peccant, difficulter euoluuntur, diraque inde exſurgunt ſymptomata, quibus

fit,

fit, ut aegri vel plane non, vel tarde ſatis integrae ſanitati reſtitui queant. Quibus omnibus probe ponderatis, *tertia* tractationis *ſectione ſyſtematis* ſui *difficultates* leuare conatur Cl. Auctor, eiusque *capite primo diſcrepantiam* illius *ab hypotheſibus reliquis* oſtendit, *ſecundo phaenomena difficilia* ſoluit, tandemque *veſtigia noui* ſui *ſyſtematis* apud alios reperiunda eruit. Iam dudum iſtae theoriae de fermentatione, et a ſemineorum purgamentorum reliquiis depuratione, contagio ex Aſia in Europam transuecto, morſu animalium venenatorum, ſalibus fixis cum ſanguineae maſſae globulis ſulphureis permixtis, noxiis ventis, ventriculo, primo quaſi omnium malorum fonte, renibus ſuccenturiatis, Arabum, LISTERI, SIDOBRII, MARESCOTTI, WOODWARDI, SYLVII, aliorumque ſunt exploſae. Ad STAHLII autem de variolis ſententiam propius acceſſiſſe videtur Ill. Auctor, cum uterque variolarum morbum naturae opus eſſe dixerit: ille vero tribuit illud negotium naturae, prudenti quodam conſilio ſanitati corporis conſulturae, de induſtria, quicquid in corpore peccat, eliminando; hic vero, cum varioloſam illam mutationem naturae opus appellat, unice ſe reſpexiſſe ait ad cerebri atque cordis actionem. Variis deinde, quas ſententiae ſuae forſitan opponi poſſe praeuidit ingenioſiſſimus Auctor, obuiam it obiectionibus. Si quis enim urgeat, cur non omnes homines, quin imo cur non omnes gentes corripiantur variolis; id quod tamen fieri deberet, ſi effloreſcentia earum ſit quaedam euolutionum ſpecies naturae noſtri corporis conuenientium? Ipſis autem variolis, reſpondet Auctor, non manere liberas, ſi quae forſan gentes liberae maneant variolarum morbo, cum hae quoque ſine praegreſſo morbo effloreſcere poſſint. Quid? quod omnes homines a prima infantia eas certo expectent, ſeque ab iis non prius, quam ipſas fuerint experti, tutos exiſtiment. Ecquis vero, in-

 quit

quit Auctor, alios morbos, tanquam ſibi deſtinata mala, expectat? Si vero inueniantur, qui liberi maneant, ad illud felix hominum genus referendi ſunt, quod ſimpliciſſimo victu viuens ſine morbo ſeneſcit. Attamen, dicat quis, euoluuntur inter ſpem et metum? - - id quidem verum eſt, ſed omnibus euolutionibus commune. Quotnam v. c. liberi grauem experiuntur dentitionem! Mors ubiuis vitae comes eſt. Sed variolae diuerſas aetates euadunt, cur ſenes aeque ac pueros? - - Verum enim vero omnes corporis euolutiones ſunt inconſtantes, qua etiam re ab inſectorum atque plantarum euolutionibus differunt; diſtabunt earum termini pro diuerſa temperiei, occaſionis, regionis ratione. Cur autem ſaepius ſunt epidemicae? Nonne igitur contagium pro cauſa debet aſſumi? - - Epidemicas quidem eſſe ſaepe comprobat experientia, quis vero neſcit, quantum in genere coeli atque regionum diſtinctiſſimae qualitates, a quibus nimirum dependet epidemia, ad magis vel minus ſalubrem hominum conſtitutionem valeant? Epidemiae culpa variolae modo fiunt mali moris. Illud tandem ſi moueatur dubium, cur non frequentius, quam fieri ſolet, variolarum euolutiones iuuent medici, quod tamen fieri poſſe ex inſitionis earum hiſtoria pateat? - - Poſſe omnino iuuari, reſpondet Auctor, uti etiam, teſte REAVMVRIO, inſectorum euolutiones, uti etiam hortulanorum ope atque artibus plantarum atque fructuum; ſed illam accelerare eam ob cauſam non eſſe conſilii, cum inſitio nemini ſecuritatem exacti operis praeſtet. Num hae iam recenſitae mouendis quaeſtionibus ab Ill. Auctore oppoſitae reſponſiones ipſam rem prorſus exhauriant atque dubia ſoluant, penes alios eſto iudicium. Sub totius operis denique finem quaedam Cel. Auctor eruit veſtigia e veteribus aeque ac recentioribus auctoribus, quibus ſententiam ſuam indigitari exiſtimat; tandemque hunc ſuum laborem illuſtri Academiae

miae ſcientiarum, quae floret Berolini, conſecrat. Schedulam quoque adiecit gallice ſcriptam, quae totius ſummam continet, ut uno quaſi obtuitu omnem ſyſtematis ambitum lector contemplari queat. Sed liber eſt digniſſimus, qui ab omnibus, qui rerum ſcientias perſcrutari poſſunt, nec tantum ſtupidi eſſe volunt empirici, ab initio ad finem usque perlegatur. Si quis etiam nouum illud ſyſtema pro inconcuſſa veritate aſſumere nequeat, ipſique multa omnino legenti ſuboriantur dubia, eaque ſatis grauia, attamen elegans comtusque, quo conſcriptus eſt, ſermo ita delectando attrahit lectorem, ut neminem legiſſe eum poenitere queat.

VIII.

De la Fonte des mines, des fonderies etc. traduit de l'allemand de CHRISTOPHE ANDRE SCHLVTTER. Tome premier. Qui traite des eſſays des mines et metaux, de l'affinage et raffinage de l'argent, du depart de l'or etc. Le tout augmenté de pluſieurs procedes et obſervations et publié par Mr. HELLOT, de l'Academie royale des ſciences, et de la Societé royale de Londres, a Paris chez la Veuve Piſſot, Iean Thomas Heriſſant et Piſſot fils. 1750. 4. 2 alph. 11 pl. tab. aen. 4.

Hoc eſt:

De fuſione minerarum et officinis fuſoriis etc. ex germanico CHRISTOPHORI ANDREAE SCHLVTTERI tranſtulit et obſeruationibus auxit Dn. HELLOT etc.

Vaſtiſſimum Galliae regnum mineralia varia in ſinu ſuo continere, nullum eſt dubium, et

Auctor quoque oſtendit, quantam curam a ſeculo XV. regnante CAROLO ſexto usque ad noſtra tempora, et reges et regum miniſtri in diſquirendis his naturae theſauris adhibuerint; licet defectus et ignorantia eorum, qui labores hunc in finem ſuſcipiendos et dirigunt et ipſi perficiunt, ſucceſſum omnino impediuerint, ita ut varia quidem tentata, perpauca vero peracta fuerint. Hinc cautius poſt ea haec ipſa res tractari coepit, neminique diſquiſitio et coctio mineralium conceditur, niſi iis, qui ad quaeſtiones, ample ab Auctore in praefatione propoſitas, reſpondere et ſucceſſum laboris ſuſcipiendi felicem maxima cum probabilitate promittere poſſunt. Ex his quaeſtionibus, quas repetere hic non licet, abunde patet, parum in Gallia in minerarum tractatione praeſtari poſſe, cum tanta certitudo in venarum metallicarum diſquiſitione, quam exigunt, vix inueniatur. Licet enim exercitatiſſimi mineralogi, ad aliquam hac in re probabilitatem accedant, aliquid tamen tentandum eſt, quo regulae de diſquiſitione mineralium per obſeruationes reiteratas certiores reddantur. Auctor noſter hac de re non adeo ſollicitus ad coctiones et elaborationes mineralium magis reſpicit, et ſubſidia tradere tentat, quibus in Gallia quoque docimaſtae exercitatiores efficiantur, iis enim ſuos ab exteris hucusque edoctos ciues per aliquot tantum annos adhuc opus habituros eſſe praeuidit. Et GEORGII quidem AGRICOLAE ſcripta de re metallica minus apta iudicat, partim, quod illa latino idiomate exarata proſtant, partim quod recentiora non tradunt inuenta. Ideo ad labores CHRISTOPHORI ANDREAE SCHLVTTERI reſpexit. Dedit hic tractatum, cui titulus: *Gründlicher Vnterricht von Hüttenwerken*, i. e. inſtitutiones de officinis fuſoriis, cui alterum tractatum *vollſtändiges Probierbuch*, i. e. artem docimaſticam adiecit. Huius libri verſionem gallicam, iuſſu ſuperiorum adornatam, Auctor noſter obti-

obtinuerat, ipſi tamen cum minus placeret, aliam, a viro in arte exercitato factam, ſubſtituit, quam et ipſe, in auxilium ducto interprete, perfecit; noluit tamen verſionem ita exhibere, ut acceperat, cum repetitiones moleſtas paſſim obſeruaſſet, partim artis theoriam rudioribus tantum, ſi diis placet, germanorum operariorum ingeniis accommodatam ex principiis phyſicis elegantiorem reddere ſuſcepiſſet; partim, varia ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus collecta inſpergere neceſſe duxiſſet. Hinc ortus eſt tractatus praeſens, quem non verſionem SCHLVTTERI, ſed ad eius ductum ſuſceptam elaborationem dicere poſſumus. Hoc primum volumen igitur alteram tantum SCHLVTTERI partem, hoc eſt, docimaſiam, complectitur, in altero, quod expectamus, volumine diuerſas fuſiones, cum magno apparatu inſtituendas, ad ductum primae partis SCHLVTTERI exhibebit. Nos ideo in idea operis exhibenda prolixiores fuimus, quoniam in ſpecialiori examine vix noua recenſenda inuenimus. Exhibet primo recenſionem nominum mineralium, in Gallia paſſim inuentorum, ex ordine prouinciarum, quam ex conſignationibus hauſit, quae per inſpectores regios prouinciarum traditae fuerunt, ex qua quidem diſperſa per Galliam mineralia cognoſcimus, neutiquam tamen definire poſſumus, num ad labores ſuſcipiendos apta inueniantur. Superfluum eſſet contenta capitum longius recenſere, quoniam a SCHLVTTERO vix recedunt, licet LVII. capita libri germanici ad LIV. tantum reducta ſint, cum varia ibidem ſeparata hic coniungantur. Annotemus ea, quae ſparſim addidit, quae mutauit leuioris ſunt momenti. Cap. I. oſtendit, quantum nobis imponere poſſint minerae, colore vario conſpicuae, e. g. pyrites, hinc ad neceſſitatem docimaſiae concludit, quam omnino magnis metallorum fuſionibus praemittendam eſſe iudicauit. Cap. II. III. et IV. laboratorium et furnos varios ad ductum

cap. II. et III. SCHLVTTERI deſcribit, et huc referendas icones ex tab. LVI. LVII. et LVIII. repetit. Cap. V. inſtrumenta chemica et varia praeparata, ad labores docimaſticos ſuſcipiendos pertinentia, ad ductum cap. IV. et V. SCHLVTTERI, ſed paulo fuſius, deſcribit, a cap. VI. ad X. librum germanicum, paucis hinc inde annotationibus inſperſis, accuratius ſecutus eſt, et cap. hoc X. cui undecimum editionis germanicae iunxit, de diſquiſitione minerarum cupri obſeruationes Dn. BRANDSHAGEN, quas HOVGSTONVS collegit, immiſcet. Cap. XI. quod XII. SCHLVTTERI eſt, diſquiſitionem minerarum plumbi ſiſtit, et nunc citati Dn. BRANDSHAGEN et Cl. CRAMERI experimenta addita complectitur. Cap. XII. quod XIII. SCHLVTTERI eſt, in diſquiſitione minerarum ſtanni, et CRAMERI methodum cum fluore nigro, et methodum in Anglia uſitatam et cupellationem ſtanni ad methodum STAHLII, quam Dn. GROSSE 1736. in Acad. Reg. Sc. Pariſina exhibuit, continet. Cap. XIII. quod XIV. SCHLVTTERI eſt, diſquiſitionem ferri habet. Cap. XIV. quod editionis germanicae cap. XV. ſiſtit, cobaltum diſquirit, et varias obſeruationes et experimenta addit. Cap. XV. quod XVI. SCHLVTTERI eſt, cobaltum bismutho iunctum exponit et diſſertationem de cobalto, quam LINCKIVS in transactionibus philoſophicis no. 396. exhibuit, repetit, et de officinis Saxonicis, in quibus ſmaltum praeparatur, agit a cap. XVI. ad LIV. quae capita XVII. ad LVII. editionis germanicae complectuntur, pauca hinc inde adiecta ſunt, quae indicare ſuperfluum iudicamus. Licet vero haud contemnenda ſint, quae SCHLVTTERI docimaſia exponit, miramur tamen, cur Auctor noſter librum, quem ipſe intelligere et accurate examinare haud potuit, potius, quam docimaſiam CRAMERI elegerit, in qua tamen meliores paſſim obſeruationes et

accura-

accuratiora experimenta inueniſſet, longe iis, quam quae ipſe inſeruit, praeſtantiora.

IX.

Noui commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. I. ad annos 1747. 1748. Petropoli, typis acad. ſcient. 1750. 4. 2. alph. 17. pl. praef. 9½. pl. tab. aen. 17.

A PETRO magno Ruſſorum imperatore An. 1724. fundatam et 1725. a CATHARINA inſtauratam academiam ſcientiarum imperialem petropolitanam, ELISABETHA Auguſta 1747. praeclaris legibus magnisque ſtipendiis ornauit, auxit et confirmauit. Proſtant iam commentariorum, ab hac academia editorum, tomi decem, quorum ultimus, qui ad annum 1738. pertinet 1747. prodiit, reliquae vero diſſertationes usque ad annum 1746, partim in tomo undecimo et duodecimo iam editae ſunt, proxime a nobis exponendae, partim ſub prelo ſudant. Hic autem, de quo nunc dicemus, et ſequentes, quos expectamus, tomi, nouorum commentariorum nomine ideo veniunt, quia academia nunc nouis legibus inſtructa, et claſſes, ex quibus ea componitur, aliter paulo diſpoſitae inueniuntur. Omiſſa enim claſſe hiſtorica prima matheſin, in ſe conſideratam, altera phyſico mathematicas, tertia phyſicas, quarta denique aſtronomicas doctrinas ſpectat. PETRVS magnus 24912 rubellos iamiam academiae ſcientiarum alendae deſtinauerat, et aliam illi artium academiam iungere decreuerat; cum vero huic inſtituto apta huc usque argenti ſumma nondum dicata eſſet, ELISABETHA nunc 28386 rubellos prioribus addidit, ita ut ad ſcientiarum et artium academiam, nec non ad uniuerſitatem ſuſtinendam, ex ſumma curia redituum imperii 53298 rubelli quotannis ſoluantur.

Scien-

Scientiarum igitur incrementum, quod largiſſimo hoc apparatu iuuatur, per duos quaſi eruditorum coetus perficitur, quorum unus academiam, ſuo ſic nomine dictam, alter vero uniuerſitatem, nouo re-
p. 10. cepto nomine, conſtituit. Et academia quidem eſt coetus doctorum virorum, qui in rerum naturam et effectus corporum inquirunt, non aliorum tantum inuenta accurate examinant, ſed his noua alia inſuper addunt, ea denique collecta publici iuris faciunt. Hi itaque docendi munus non habent, ſed literario veluti otio detenti, adiunctos tantum ſiue ſtudioſos, ſuae curae commiſſos, habent, quo eos ad eruditos et utiles quoslibet labores praeclaro ſuo exemplo excitent. Leges, quibus adſtricti ſunt academici, utpote prolixiores, hic non exhibemus, ſed lectores noſtros ad ipſum opus remittimus.

p. 22. Altera academiae pars eſt uniuerſitas, in qua profeſſores, eos, qui linguarum notitia imbuti ad altiora tendunt, publice docendo erudiunt, et matheſin praecipue, phyſicam et humaniores literas tradunt, quo in his omnibus exercitati membris deinde academiae ſcientiarum poſſint adſcribi. Porro quoque in praefamine ea, quae cancellariam, bibliothecam, cimeliophylacium et ordinem reliquum totius inſtituti concernunt, accurate enumerantur; quoniam vero academicorum aeque ac in uniuerſitate docentium enumeratio non addita eſt, nos haec et alia, quae ad medicinam et ſcientiam naturalem Ruſſiae pertinent, alia forte occaſione in noſtris his commentariis exhibituri ſumus, hinc longiori eorum recenſioni nunc ſuperſedemus. Neque ſummam contentarum in hoc volumine obſeruationum, a pag. 35. ad 76. fuſius exhibitam, repetere hic animus eſt, ſed ea potius, pro more noſtro, quae ex claſſe phyſico mathematica et phyſica ad inſtitutum noſtrum accedere videntur, accuratius examinare et quodam modo diiudicare allaborabimus; in limine ſtatim id

prae-

praemonentes, in ultimis duobus voluminibus, quae paucis abhinc diebus accepimus, aeque ac in primo, de quo nunc dicimus, nouorum commentariorum tomo, collectione quicquam deceſſiſſe pretii, praeter id enim, quod numero pauciores, quam antea in iis inueniantur diſſertationes, illae quoque, tum quoad materiei dignitatem, tum quoad ſtudium ipſis adhibitum, prioribus iſtis, olim iam editis, voluminibus diſſimiles non nunquam eſſe videntur. Confidimus interim ſubſequentes commentariorum tomos, noua iam facta laudatiſſimi huius inſtituti inauguratione, clariſſimorum, qui nunc ſunt, ſociorum opera, priſtinam iterum commendationem eſſe recuperaturos.

1. In claſſe phyſico mathematica primum locum occupant G. W. KRAFTII, Prof. Tubing. *Obſeruationes meteorologicae*, 1745. *Tubingae inſtitutae*, ex quibus ſaltim adducere liceat barometri 60 ped. londinenſ. ſuper Nicrum flumen, Tubingam praeterfluens, eleuati altitudinem maximam fuiſſe Ianuarii die 2. digitor. londinenſ. duodecimalium 29 cum 36 centeſimis, minimam Nou. 26. digit. 27 cum $\frac{80}{100}$ ut variatio annua ſit 1, 56 digit. lond. multo minor petropolitana, quae reperta fuit dig. 2, 77, caloris obſeruationes itidem cum petropolitanis comparatas praeterimus; his addit obſeruationem declinationis acus magneticae, die quadam, qua fulgura frequentiſſima videbantur, et tonitrua audiebantur, quadrante gradus imminutam. Sequuntur aliae obſeruationes anni 1746, priores confirmantes. p. 1[illegible]9.

2. Poſthaec RICHMANNI *de quantitate caloris, quae poſt miſcelam fluidorum certo gradu calidorum oriri debet, cogitationes* habentur. Simpliciſſimum, quo utitur, principium huc redit: Si maſſa quaepiam datum caloris gradum habeat, alia alium, confunda- p. 152.

ſundatur autem utraque, calorem prioris maſſae per totum mixtum ſe diffundere, et calorem poſterioris etiam per totum mixtum aequabiliter; unde calculi litteralis gnari facile deducent, dictis maſſis a, b, caloribus m, n, mixti calorem eſſe (ma+nb.) (a+b) quam formulam ulterius proſequitur, et ad mixtionem plurium maſſarum applicat. Differt autem haec formula ab ea, quam KRAFTIVS olim exhibuit, ipſisque experimentis, quod hic quantitas caloris in vas, in quo mixtio fit, et thermometrum ſimul diſtribuatur, unde cautionibus pluribus opus eſt, in formula ad experimenta applicanda, quae tamen pleraeque euaneſcunt, ſi maſſae maiores ad experimenta inſtituenda capiantur.

p. 168. 3. Idem RICHMANNVS *formulam* exhibet *pro gradu exceſſus caloris ſupra gradum caloris mixti ex niue et ſale ammoniaco poſt miſcelam duarum maſſarum aquearum, diuerſo gradu calidarum, per experimenta confirmatam.* Experimenta capta ſunt thermometris duobus mercurialibus Fahrenheitianis, ab inſigni artifice PRINZ elaboratis. Oſtendit vero formulam ſuam de calore mixti ex caloribus maſſarum commixtarum genito, quam ante adduximus, non multum ab experientia differre, cum magis ab ea recedant Kraftiana et maxime Boerhaaviana in Chem. P. I. exp. XX. de igne cor. II. data.

p. 174. 3. Adhuc occupat RICHMANNVM inquiſitio in legem, ſecundum quam *calor fluidi in vaſe contenti, certo temporis interuallo, in temperie aeris conſtanter eadem decreſcit vel creſcit, et detectio eius, ſimulque thermometrorum perfecte concordantium conſtructio;* primo quidem experimentis comperit thermometrum ſuum Fahrenheitianum eodem tempore ſcilicet 60 min. pr. in aere libero a gradu 64 ad 40 deſcendiſſe, quo a gradu 40 ad 64 adſcendit, ut hinc: ex-

ceſſus

ceſſus caloris aeris ſupra calorem thermometri eodem tempore communicetur thermometro, quo exceſſus caloris thermometri ſupra aeris calorem perit. Deinde aeri calidiori frigidam, et frigidiori calidam expoſuit, et quae incrementa vel decrementa caloris thermometrum monſtrauerit, indicatis temporibus recenſuit. Periculi plena ſunt haec experimenta, nam nec temperies aeris per longum ſatis temporis ſpatium eadem manet, nec negligi poteſt refrigeratio aut incaleſcentia aquae, dum vaſculum, quo continetur, alia corpora contingit. Interim ex tentaminibus ſuis concludit: decrementa caloris in temporis particulis paruis aequalibus, ſi maſſa frigori expoſita, ſuperficiesque eius, et temperies aeris refrigerantis manet eadem, eſſe ut differentias inter temperiem maſſae refrigerandae et temperiem aeris refrigerantis. Eadem lex adhuc locum habet, ſi ceteris manentibus aeris temperies varietur. Maſſis vero et ſuperficiebus diuerſis exiſtentibus, ſed differentiis inter temperiem aeris et aquae iisdem, decrementa ſunt in directa ratione ſuperficierum, et inuerſa maſſarum, quae ratio, ſi differentiae non ſint eaedem, adhuc cum directa differentiarum componitur; unde formula pro decrementis caloris deducitur.

4. Denique RICHMANNVS *tentamen legem euaporationis aquae calidae in aere frigidiori conſtantis temperiei definiendi* exhibet. In tentaminibus de aquae refrigeratione ante indicatis comperit Auctor differentias inter temperiem aquae et aeris decreſcere aequalibus temporibus ſecundum progreſſionem ordinatarum logiſticae, temporibus per abſciſſas expreſſis; hic ſumto: euaporationes eſſe ut has differentias infert, easdem eſſe temporibus inaequalibus et differentiis praedictis inaequalibus ceteris vero omnibus paribus, ut ſpatia logiſticae ante indicatae; p. 198.

adeo-

adeoque, geometria id docente, ut differentiarum nominatarum differentias. In huius legis veritatem experimentis inquiſiuit non quidem perfectae eidem conſonis, ſed tamen, ſi impedimenta adlata conſiderentur, illam probabilem reddentibus.

p. 206. 6. Maiora quam experimenta ſola molitur MICHAEL LOMONOSOW *de caloris et frigoris cauſa* differens. Hic ab ipſo rationis ſufficientis principio exorſus, ſollicite ſub initium ſcripti demonſtrat: *rationem ſufficientem caloris conſiſtere in motu*, et cum motus ſine materia eſſe non poſſit, in motu *alicuius materiae*, eoque *inteſtino*, *materiae cohaerentis*, quae omnia credimus lectores, quibus ſcripta ſua edit academia, libenter ipſi fuiſſe axiomatum loco conceſſuros, ut etiam inteſtinum illum motum *progreſſiuum* non eſſe, quia partes ſolidorum corporum ſumme calidorum locum ſenſibiliter non mutant. Itidem *tremulum* motum eſſe poſſe materiae cohaerentis negat, quia *corporis partes cohaeſione ſenſibili vinciri non poſſent*, *ſi tremulo inteſtino motu concutiuntur*; campanas vero non cogitaſſe videtur, quarum partes, dum ſonant, indubie contremiſcunt, totae tamen per ſecula cohaerent. Nihil igitur ipſi ſupereſt, quam ut calorem in motu *gyratorio* particularum ſingularum conſiſtere pronunciet. Quam ſententiam probaturus methodo demonſtrandi mathematicorum ſe uſurum indicat, *qui deductas a priori propoſitiones exemplis, vel examine inſtituto a poſteriori confirmare ſolent*, quaſi mathematici adſenſum, quem *ratiociniis* extorquent, *experimentis*, quae rigorem geometricum nunquam adſequuntur, acceptum ferrent. Primo igitur prouocat ad calorem frictione excitatum, creditque, dum corpus unum ſupra alterum incedit, particulaque incedentis corporis in alterius particulam impingit, adeoque utraque particula ad motum concitatur, non poſſe hinc motum alium in utraque

naſci,

naſci, cum utraque duro corpori inhaereat, praeter quam gyratorium. Nobis vero motus gyratorius locum non habere videtur, niſi omnes particulae corporum rotundae exiſtant, quales exhibuit Auctor in figura ſua, ſed rotundas omnium, quae incaleſcere poſſunt, corporum ſingulas particulas pingi facilius, quam phyſico oculo oſtendi poſſe exiſtimamus. CARTESIVS certe, qui cubicas particulas deum creaſſe commentus eſt, motum illarum gyratorium tam diu continuatum finxit, donec angulis abraſis rotundae fierent; noſtris autem temporibus, ubi de figura determinata minimarum particularum pauciora ſciunt prudentiores phyſici, nec rotundae omnes particulae ſupponi poſſe videntur, nec frictioni ea vis ineſſe perſpicitur, ut ex aliis particulis continuo rotundas faciat. Ceterum hinc explicat, cur fortior compreſſio et motus celerior maiorem producant calorem, quia ex eius ſententia gyratorium motum augent, cur itidem fluida per frictionem non caleſiant, immo ſolidis interiecta incaleſcentiam alias a frictione orturam impediunt, quia particulae illarum minus cohaerentes, frictione gyratorium motum non acquirunt, et ſimilia, de quibus poſt ea, quae expoſuimus, lectores facile iudicabunt; denique contra materiam caloris ex mente aliorum productricem impugnat.

7. Idem LOMONOSOW *theoriam de vi aeris elaſtica* tentauit. Aeris particulas ſphaericas ſumit, elaterem vero eius a fluido interlabente ſubtiliore deduci poſſe negat; id enim fluidum aere in vaſe quopiam compreſſo vel comprimi ſimul, vel non comprimi; ſi prius ſumas, latera vaſis ſolidi fluido illi eſſe debere imperuia, adeoque particulas eius vix debere eſſe aereis ſubtiliores contra hypotheſin, fluidumque ipſum in vas acturum, neque opus futurum, ut particulae aereae illi innatent: Et quod palmarium eſſe p. 230.

 exiſti-

exiſtimamus, habituras fluidi huius particulas conatum a ſe recedendi, cuius ratio denuo reddenda ſit. Si non comprimatur fluidum, tum, quod nullam fere in parietes vaſorum ſolidiſſimos vim exercet, idem in tenuiſſimos aëris atomos quamcunque vim leuitate et volubilitate eludentes non acturum; deinde aere compreſſo et expulſis pro parte fluidi particulis, quae reſtant, pauciores eſſe numero, ut ſi ab illis elater aëris proficiſcatur, compreſſi aëris vis elaſtica minor eſſe debeat; indubium ergo ipſi videtur elaterem aeris ab immediata atomorum eius actione proficiſci, hanc autem actionem, quia elater aeris a calore augetur, ab hoc calore ſolo proficiſci autumat, adeoque ex hypotheſi ſua a motu partium gyratorio. Rem ita explicat: concipiantur duae particulae aeris, una ſupra alteram ad exiguam diſtantiam remota, vi grauitatis cadet ſuperior ſuper inferiorem, dum vero cadit, gyretur utraque particula, et motu quidem contrario, una v. g. verſus dextram intuentis, altera verſus ſiniſtram; iam particulae hae non politae ſunt, ſed aliquantulum ſcabrae; igitur, dum prominentiae ſuperioris particulae in cauitates inferiores ingrediuntur, impetus cuiusuis in alteram, motum in utraque generat, quo a ſe mutuo reſiliunt, hoc eſt, elaterem, et eum quidem quaquaverſum tendentem, quia in omni plaga in datam particulae irruunt, vel ab ea ob inaequalitates verſus omnes plagas repelluntur. Poſt haec de ſono et aëre corporibus incluſo agit, quae hic adducere opus non eſt, cum de palmario in hypotheſi facile ſit iudicare; motus ille gyratorius unius cuiusuis particulae *in plagam plagae alterius contrariam* gratis plane ſumitur, et proximum fabulae, animi gratia excogitatae, eſt, in ſerie particularum verticaliter ſibi mutuo ſubiectarum, alternatim unamquamuis dextrorſum, et ſequentem ſiniſtrorſum rotari; deinde ſi omnes particulae graues ſunt, et grauitate urgente cadunt, nulla in aliam

irruet,

irruet, cum grauitas omnibus eandem velocitatem inprimat, eſtque alia vis excogitanda, quae acceleret ſuperiores, aut inferiores retardet, tandem, omne fluidum particulis, quae gyrari poſſunt, hoc eſt fluidum omne ex Auctoris hypotheſi, quod incaleſcere poteſt, hoc modo elaſticum eſt; nam etſi particulae ſe mutuo contingant, tamen motus gyratorius impetum a ſe mutuo recedendi illis inprimet; ut unicum effugium Auctori ſuperſit, aquae et fluidorum non elaſticorum elementa ſumme laeuigata efficere, quod eſt hypotheſin alia hypotheſi ſaluare.

8. Sequitur hanc rurſus eiusdem Auctoris *diſſertatio de actione menſtruorum chymicorum in genere.* p. 245. Concipit acida, quae metalla ſoluunt, aerem in poros metalli introducere; ineſt vero metallorum poris aer, cuius elaſticitas iam quidem extra ſtatum actiuitatis eſt, ſed accedente nouo aere *renaſcitur* quaſi, adeoque ſe expandendo particulas metalli auellit. Id inde confirmat, quia ſolutiones celerius ſuccedere animaduertit, ſi menſtruum aere ſit plenum, quam ſi antliae ope ab illo ſit purgatum, ceteris paribus, at id etiam conſiderare debebat, ſi menſtruum aeri libero exponatur, urgeri illud verſus metallum pondere atmoſphaerico, cum haec vis ceſſet in vacuo antliae, ut ubique, impetu, quantus ab hac preſſione naſcebatur, minori in metalli poros irruat, aliam vero rationem, cur aqua ſales ſoluat, comminiſcitur; ſalium enim pori aqua pleni aerem non continent, at in ipſa aqua aerem eſſe non negabit, igitur aqua in ſales agit concitando partes illarum in motum gyratorium et ſic eas auellendo; quod tum perficit, ipſa tantum proprii motus gyratorii perdit, adeoque refrigeratur. Quare ſolutiones alias *immediatas* ſtatuit, ut ſalium ab aqua, alias *mediatas*, mediante nempe vi aeris elaſtica renata, ut metallorum ab acidis, quas characteribus *refrigerationis* et *incaleſcen-*

leſcentiae diſcriminari poſſe autumat; ſed de his, quod ſententiam noſtram breuiter exponere non poſſumus, lectorum iudicium eſto.

267. 9. Felicius, ni fallimur, hypotheſium recenſitarum Auctor *motum aeris in fodinis obſeruatum* explicat. Compertum enim eſt, quod iam AGRICOLA de re metallica L. V. monet, ſi duo putei, *Schaechte*, ſint mediante foſſa latente, *Stollen*, communicantes, aerem vernis et aeſtiuis temporibus in altiorem puteum influere, permeare cuniculum, et per ſubliminorem exire, contra autumnali et hiberno tempore per inferiorem intrare, et per ſublimiorem exire. Id phaenomenon, cum ipſe Auctor 1740 Freibergae commoratus obſeruaſſet, ſic illud explicat: Aer in fodinis hyeme et aeſtate perpetuo fere eandem temperiem ſeruat. Itaque aeſtate, frigidior exteriore, eodem grauior eſt, quare cum putei cuniculo connexi tubos communicantes repraeſentent, in longiore crure, hoc eſt in altiore puteo contentus aer, ei, qui in humiliore continetur, praeponderat, illumque propellit, qui motus, delabente aere in ſublimiorem puteum in locum eius, qui progreſſus eſt, et temperiem aeris in fodina contenti acquirente continuetur. Hyemali vero tempore, columna aeris atmoſphaerici imminens puteo profundiori aerem continet, aere in puteo contento frigidiorem adeoque ſpecifice grauiorem, unde in illum irruit, et motum contrarium priori producit. Fatemur ineſſe adhuc quaedam huic explicationi, quorum explicatio deſiderari poteſt; quorum unicum ſaltim, ne longiores ſimus, indicabimus; temperiem aeris conſtantem quidem agnoſci poſſe in cuniculo ſubterraneo, *im Stollen*, praecipue ubi deeſt agitatio aeris, *wo keine Wetter ſind*, ſed in puteo ipſo usque ad ſuperficiem telluris, *bis zu Tage aus*, extenſo aerem per totum hoc ſpatium eiusdem eſſe cum aere in cuniculo quaſi

ſtagnan-

ſtagnante temperiei, difficilius credetur. Praeter ea alii, qui idem phaenomenon obſeruauere, retulerunt nobis, non cum aeſtate aut hyeme connexam eſſe eius diuerſitatem, ſed cum vario atmoſphaerae pondere eadem parte anni.

10. RICHMANNVS *inſigne* HALESII *paradoxon examinat de aere in 1837 voluminis partem aqua gelaſcente reducto, et de computatione vis, quam aqua gelaſcens et ſeſe in volumen maius expandens in ſphaera caua ferrea ad eam diſrumpendam impendit*, cogitationes exhibet. Extat HALESII experimentum in ſtatica vegetabilium, nec breuiter recenſeri poteſt: RICHMANNVS obiicit concluſioni, aeri forte alias ſuperfuiſſe vias, quibus emerſerit, neque ſe in tam exiguum ſpatium comprimi paſſus fuerit, ſimulque errores quosdam BVFONII in gallica HALESII verſione commiſſos emendat. p. 276

11. Tentat etiam RICHMANNVS explicare *paradoxon, quo thermometro mercuriali ex aqua extracto deſcendere mercurius in aere aqua calidiore ſpectatur;* coniicit volitare tunc, ubi hoc accidit, in aere particulas ſalinas, quae bulbo thermometri, dum extrahitur, humido applicatae frigus efficiant. p. 284.

12. KRATZENSTEINIVS *mechanicae coeleſtis ſpecimen primum* producit, *continens nouam longiores tubos commodiſſime tractandi methodum.* Vult obiecta in ſpeculo ſpectari; ut vero immoto tubo ſpeculum obiectorum ſequatur, machinam a GRAVESANDIO repertam prolixe deſcribit et aliquantulum emendat. Ceterum obſtare inuento ſuo plura incommoda non diffitetur, et ipſe maiora animaduertet, ſi de re in actum deducenda laborabit. p. 291.

p. 305. 13. Agmen phyſico mathematicorum claudit LOMONOSOWII *ſupplementum ad medit. de vi aeris elaſtica;* quo potiſſimum agitur de proprietate aeris elaſtici, quod vis eius proportionalis ſit denſitati; ſed quae diſſerit, ita contrahi non poſſunt, ut locus hic illis aliquis exiſtat.

p. 315. I. In claſſe phyſica *Hiſtoria anatomica ouis pro hermaphrodito habiti,* Auctore ABR. KAAV BOERHAAVE primum locum occupat. Accuratior anatomica partium genitalium diſquiſitio demonſtrat, eas nunquam fere eadem plane ratione diſpoſitas eſſe, quod ſua etiam comprobat Cel. Auctor experientia. Externa vero earundem figura, et leuiter quidem mutata, mox oculos aliorum in ſe conuertens, hermaphroditis nomen dedit. Multum enim dubitat BOERHAAVIVS, nec immerito, num veri dentur, utroque ſexu inſtructi atque pollentes hermaphroditi. In feminis plerumque clitoris aucta ſuſpicionem mouit, quod GRAAFIORVM, BARTHOLINORVM, DIEMERBROECKIORVM, et ipſius Cel. Auctoris exempla adducta comprobant; * in viris e contrario ſulcus perinaei, ſcroti fiſſura vel defectus eandem ſtabiliuit

* Haud rara ſunt et penes alios auctores pro hermaphroditis habitorum hominum exempla, ad illam tamen claſſem, qui ob elongatam clitoridem tales eſſe putabantur, et illa pertinet femina, cuius deſcriptionem in ſingulari dedit diſſertatione MERTRVD, Chirurgus Reg. Gall. Paris. 1749. addita icone in chart. reg. ſingulari illo, quod GAVTIER inuenit, artificio elaborata viuisque coloribus diſtincta. Licet enim in ea ad XVI. aetatis annum iam prouecta, neque ex coxarum diſpoſitione, neque ex mammarum conditione certum de ſexu ſignum deſumi poterat, prominens tamen, peni ſimile, corpus perforatum non inueniebatur, et inter cutis a praeputio continuatas partes laterales, labia effingentes, urethrae orificium detegebatur.

biliuit opinionem. Conſcribendae huic hiſtoriae rariſſimus occaſionem praebuit caſus, quatuor hominum Sibericorum, eadem exacte genitalium deformatione praeditorum, de quorum ſexu inter GMELINVM, WILDIVM atque WEITBRECHTVM, Academicos, orta fuerat diſceptatio. Ad ſexum tamen cognoſcendum corporis dimenſionem multum valere autumat Cl. BOERHAAVE, cum corpus viri a pectore ad peluim conuergat, in femina contra diuergat. De hiſce ſubiectis antea nominati viri ſingulares conſcripſerunt commentationes, ad academiam transmiſſas, ex quibus ea, quae repetitis cognouerat WEITBRECHTVS diſquiſitionibus, hic fuſe referuntur. His autem demonſtratur, conſueto corporis loco corpus adhaeſiſſe peniforme, glande et praeputio inſtructum, erectione indurandum, cuius vrethra, circa medium, nec in glande, aperiebatur, ab hoc in lateribus demiſſa et intumeſcens, in medio contracta cutis labia pudendorum ſimulabat, triennio vero interiecto teſticulorum quoque praeſentia in uno alteroue apparebat, ut inde vere maſculos eſſe declararetur. Verum enim vero, externis licet cognitis partibus, interiorum tamen vera diſpoſitio obſcura cum reſtaret, offertur ouis, pro hermaphrodito habitus, quoad externam figuram cum illis conueniens hominibus Sibericis. Aderat in eo penis, praeputio tectus, urethra quippe ad ortum integra, quod diſſecto corpore detectum eſt, extra perinaeum non continuabatur, ſed ſemi diſſecta altera parte ibi deſinebat, altera ad penis glandisque eius coronam deferebatur, ſcrotum contractum nec expanſum erat. Intus nec uteri nec aliarum, ad feminam pertinentium, partium veſtigia cernebantur, teſticuli vero, in inguinibus deliteſcentes, ſeſe offerebant. Praeter haec autem ultimo tandem loco aliud additur exemplum, pueri ob deformitatem partium, generationi inſeruientium, ad ſeptimum usque annum pro puella habiti,

biti, in quo glans penis itidem non perforata, ſed media circiter ſui longitudine urethra pertuſa erat, in ſcroto tamen, ad latus reflexo, teſticuli tactu diſtinguebantur. De eo vero, quod et ad matrimonium apti ſint ineundum eius modi viri, et procreare liberos poſſint, hanc ob rationem, confirmantibus auctorum adductorum exemplis ſententiam, non dubitat Cl. Auctor, quod in maritali complexu et vi protrudatur ſperma et minor eius copia ad foecundandum uterum, immo et exterioribus tantum partibus applicata, ſufficiat.

p. 337. 2. *De utero muliebri obſeruationes anatomicae* Auctore IOS. WEITBRECHT. Vterum potiſſimum praegnantem concernunt hae obſeruationes, cuius ſtatum diſſimulare norunt mulierculae, quapropter in duobus cadaueribus, altero grauido, altero ouario hydropico inſtructo, quinam ſit verus tumoris in grauiditate ſtatus definit Auctor. Inuenit autem tumorem abdominis mollem, inaequalem, in ſupremo abdomine latiſſimum, immediate infra umbilicum altiſſimum, verſus pubem coanguſtatum in pyri formam. Aperto abdomine peritonaeo tectus comparuit uterus, qui diſſectus craſſitie tres lineas aequabat geometricas, aucta parum circa fundum. Subſtantia eius fungoſa, inſignibus hiatibus ſinubusque perterebrata obſeruabatur: cum e contrario in non grauido utero haec laterum craſſities duplo fere maior ſit. Quo ipſo bene docteque monet Cl. WEITBRECHTVS, accedere illorum pondus quidem ſententiae, qui in grauiditate uterum attenuari autumant, ſed illud non omni eſſe exceptione maius, quod nec in uno eodemque comparatio fieri queat ſubiecto, nec accurata ſatis menſurae ratio ſaepe adhibeatur. Inter vaſa ſanguifera venoſi ſinus vacui, venae vero ipſae repletae et dilatatae, arteriae contra exiles, et ſinus venoſos minoribus ramulis perreptantes, conſpicie-

ſpiciebantur; iniecta autem in arterias cera per minimos ramulos in uteri cauum deſtillabat. Internam, quae ſtatuitur, uteri membranam poſt ea diſquirens, per inſtitutam indagationem ita confirmari vidit, ut eandem fere neget. Poſt eam fibrarum uteri ſtrata in conſpectum producuntur, quae fibrae, colore et actione cum muſcularibus conuenientes, hoc nomen tuentur, inordinatae ſunt, transuerſae aliae, aliae a fundo ad ceruicem pertingentes. Ruyſchianus muſculus non detegitur, ſed loco eius duo orbiculares circa orificium tubarum Fallopianarum, ut noui muſculi, proponuntur. Cauitas uteri virginei nulla eſt, parietes muco interdiſtincti ſibi incumbunt, grauidus in ampullam expanditur. Ceruicem porro ſeu collum uteri accurate deſcribit Cel. Auctor, in utero non grauido dimidiam longitudinem uteri aequat, in grauido, forma licet non mutata, adeo tamen interior eius margo coarctatur, totaque ſubſtantia durior denſiorque eſſe videtur, ut vix piſum admittat, quem ea propter oſculum internum uteri, marginem vero anteriorem oſculum externum vocandum eſſe maiori, ac plerumque fit, iure aſſerit. Clauditur utrumque praeter ea tenaci admodum muco, qui vero pennatas illas, ab Cel. HVBERO dictas, rugas vel valuulas colli pellucere adhuc permittit, quarum et ſollicita deſcriptio et accurata delineatio adiicitur. Ex quo conſequitur, ut illi fallantur, qui annularem ſibi ceruicis formam fingunt, quae ultimis demum grauiditatis menſibus talis fieri ſolet. Laudatur GRAAFIVS, notatur DEVENTER, prior Auctoris, poſterior communem amplexus ſententiam. Porro noua inde oritur difficultas, ut grauiditas ſolo dignoſcatur tactu, ſimulque ratio patet, quare abortientes vehementiores experiantur dolores prae iis, quae iuſtum pariendi terminum aſſequuntur. Tandem etiam vere clauſum eſſe uterum, muco ſupra notato, ut nihil introire, nec ſuperfoetatio fieri, nec ſemen

quidem in uteri cauitatem deuenire poſſit, inde colligitur. In hac ipſa ceruice NABOTHVS olim ſuum conſtituerat ouarium, ouula demonſtrans, ab aliis pro hydatitibus habita. Neque vero ouula, nec hydatides illas eſſe veſiculas, ſed inorganica corpuſcula Cl. edocuit Auctorem curatior rei inveſtigatio. Per macerationem enim vel contrectationem illa en-ſcebantur, ut clare quidem intumeſcentes muci, ibidem haerentis, particulas eſſe appareret, a ſanguinis, per macerationem vel contrectationem momento admiſto, rubentes. Quantae ſint eius modi obſeruata utilitatis in eruendis obſcuris naturae phaenomenis, ulterius vix demonſtrandum eſt. Adiunctae huic expoſitioni figurae, uterum praegnantem ſecundum longitudinem apertum, ut cauitas interior, laterum craſſitudo et ſinus venoſi cum directione fibrarum pateant, nec non ceruicem uteri praegnantis apertam cum adhaerente portione vaginae et rugas craſſas ceruicis uteri poſt partum, prototypo conuenienter repraeſentant.

p. 353. 3. ABRAH. KAAV BOERHAAVE *obſeruationes anatomicae.* Quinque hic adducuntur obſeruationes, quarum potiora exponere ſufficiet momenta.

Prima in auriga frigore enecato inſtituta, cerebrum inflammatum fuiſſe, in dextra potiſſimum parte, docet, cui etiam ſingularis obducebatur membrana, tenuis quidem, ſed fortis, adhaerens concauae durae matris ſuperficiei, ab ea tamen facile ſoluenda. Cum illa in dextro tantum latere detegeretur, in dubio reliquit Cl. Auctorem, num interna duplicatae durae matris lamina fuerit, aut caſu et praeter naturam formata membranula.

Altera illa exponit momenta, quae in milite, ſub ipſo epileptico inſultu extincto, animaduertebantur. Singularia potiſſimum in cranio obſeruabantur; oſſeum nimirum ſuperius eius ſcutum durae matri ita

iunctum

iunctum ut ſumma cum vi auelli debuerit. Erant autem tubercula, inter illud duramque matrem poſita, huic etiam cohaerentia, duriuſcula, flaua, craſſum flaueſcentem humorem eructantia. Dura mater praeter ea, variis in locis naturali craſſior, cum pia pari ratione, per filamentoſam ſubſtantiam, fortiter cohaerebat, itidem flaueſcente materie farctam. Cortex induratus, vel ſcirrhoſus in variis locis; ventriculorum humor paucus, ſubrubellus, vel flaueſcens, nauſeoſus, leuiter ſalſus; glandula pinealis dura; cerebellum ſanum, ſed ſiccum valde; ſinus ſanguine pleni, ipſi duri et incraſſati erant. Ex his itaque phaenomenis, irregularem fluidi neruei ſecretionem fuiſſe redditam, concludit, hincque paroxyſmorum recidiuas deducendas. Miratur polypoſi in ſanguine nihil adfuiſſe. Tandem, an ſubſtantia illa flaueſcens ſit ſerum extra vaſa miſſum concretum, inſpiſſatumque, ut problema nondum ſatis euictum proponit.

In *tertia* obſeruatione inflammationem cerebri in gangraenam abire poſſe confirmat. Reperta namque in illo eſt poſt mortem copioſa humoris tenuis, ichoroſi, foetidi copia collecta, anteriori nimirum, ſic dicto, loco penitus fere deſtructo. Abſceſſus autem in cerebro generari adeo rarum non eſt, ſed ab aliis, quorum nomina adducit Cl. BOERHAAVE, iam adnotatum.

De pericardio *quarta* agit obſeruatio, cuius neceſſitatem, cum variis iisque grauibus argumentis corroborari videret Cl. Auctor, abſentiam autem eius, in elephante potiſſimum DVVERNOI ſe obſeruaſſe ſcriberet, occaſione cadaueris oblati, cuius pericardium cum corde concretum erat, cognouit, in errorem facile deduci poſſe illum, qui non ſtudioſe ſatis cuncta perquirat; nec non, elephantem cultro ſubiiciens, in hoc quoque pericardium non abeſſe, ſed cum corde tantum concretum, abſentiam fingere,

diuer-

diuerſis adhibitis adminiculis demonſtrare annisus eſt.

Singularem concretorum viſcerum hiſtoriam *quinta* complectitur obſeruatio, eorum nimirum omnium, quae abdomen continet, nec non pulmonum in thorace; cor enim in pericardio, cerebrum inter meninges liberum erat. Firmabantur hae concretiones per ſplendentia quaedam tenacula, ſiue membranas duplicatas extenſas, contextu celluloſo diſtinctas. Saepe autem eius modi concretiones morboſas, poſt praegreſſam plerumque inflammationem obuias, contemplatus, in eam deuenit ſententiam BOERHAAVIVS, membranas has connectentes concretum eſſe ſuccum, vi quadam per vaſa tranſpirantia interna expreſſum, in filamenta formatum, reſorptis tenuioribus partibus incraſſatum. Id, quod ex tenerioribus abortubus vel embryonibus animalium viuis exſectis ulterius ſtabilit, quippe in quibus in contextu celluloſo ſmegma mucoſum et copioſum quidem inuenit. Eſt vero haec illi, quam noſtris vix non omnes tuentur temporibus, artis doctores opinioni maximopere conſentanea.

p. 375. 4. *Deſcriptiones rariorum plantarum* Auctore STEPHANO KRASCHENINNIKOW. Deſcriptae plantae ſunt:

a) *Perſicaria foliis ouatis glabris.* Haec, quae in Sinarum regno prouenit, caulem emittit glabrum, geniculis diſtinctum, ramoſum; folia alterna ſunt ouata, petiolata, neruoſa, utrinque glaberrima, ad oras duris pilis horrida; internodia caulis vaginis tecta ſunt, albis aut rubro colore inſignitis, neruisque longitudinalibus diſtinctis, qui marginem tenuiſſime laciniatum efficiunt. Caulis, rami, ramulique infra genicula exiguis glandulis ſparſis obſiti ſunt. Spica florifera caulem et ramos terminans breuis eſt, et ex floribus ſeſſilibus componitur. Corolla alba,

duabus

duabus exterioribus laciniis breuioribus aſt latioribus, interioribus tribus longioribus aſt anguſtioribus conſtat; ſtamina ſex; ouarium triquetrum, ſtyli duo. Sinae hac perſicaria ad coeruleum pigmentum, vulgo Indigo dictum, conficiendum utuntur. Icon Tab. XIII. caulem et folia accurate delineata ſiſtit, florem vero admodum imperfectum.

b) *Saluia foliis cordatis obtuſe crenatis, ſpicis florum nutantibus*. Caulis eſt tetragonus, incanus, ramoſus. Folia radicalia cordata, ſuperne viridia, rugoſa, glabra potius quam piloſa, inferne neruoſa, hirſuta, non nihil undulata, obtuſe crenata et longe petiolata, caulina vero oppoſita ſunt et fere ſeſſilia. Rami nudi ex alis foliorum, quibus et ſummo cauli ſpicae floriferae nutantes ternario conſtanter numero inſident; verticillis, ſpicam efficientibus, binae oppoſitae ligulae ſubiectae ſunt. Calicis labium ſuperius integrum eſt, inferius bifidum, corolla violacea, reliqua ut in ſaluiae genere. Icon exhibetur Tab. XIV.

c) *Lunaria foliis ellipticis, incondite dentatis*. Beatus STELLERVS in America ſeptentrionali hanc plantam primo legit, eamque nomine *Leucoii ſaxatilis* primum deſcripſit, quae deſcriptio et hic adducitur, cuius praecipua haec ſunt; E ſaxis creſcit planta, quae folia radicalia in orbem ſparſa, glauco viridia, aſpera obtinet, ex quibus caulis ſurgit, in ſummitate valde ramoſus, ramulis hiſce appenſa eſt ſiliqua longa et pro ratione longitudinis lata, in medio inflexa, contorta, et ſecundum longitudinem falcis inſtar deorſum curuata, ſepto membranaceo ſemina orbiculata plana adhaerent. Haec STELLERVS. Nunc ſequitur deſcriptio plantae in hortis cultae, et hic ea modo notabimus, quae diuerſa ſoli natura mutauit, quaeque ipſe STELLERVS non annotauit. Tota planta hirſutie aſpera eſt. Caulis biuncialis tribus aut quatuor foliis veſtitus, pauciſſimis floriferis ramulis

auctus

auctus conſpicitur, folia dentata ſunt omnia; flores in ramis et ſummo caule quodam modo umbellati, non nulli pedunculati, alii ſeſſiles. Calix viridis, deciduus, tetraphyllus, cuius duo oppoſita folia baſi ſunt gibba; corolla alba, petala leuiſſime emarginata in ungues lateſcentes calicis longitudine deſinunt; ſtamina ut in congeneribus, minora vero duo illa infra concaua calicis foliola deliteſcunt, et utrinque ad baſin nectarifera glandula cinguntur; maiora illa ſingula ſingularum quarundam ſquamarum dorſo inſiſtunt, quae ſquamae germen inuoluunt, et abſconditum reddunt. Ad lunariam reduxit hanc plantam Cl. Auctor, quia pleraque cum hoc genere communia habet, ſquamis vero, ſtamina ſuſtinentibus, longe ab eo differt, ita ut propter ea nouum forte genus conſtituat. Tab. XV. exhibetur icon plantae, et ſeorſim delineantur ſquamae filamentis annexis. Siliquae vero icon deſideratur.

d) *Thalictrum caule ramoſo, ramis plerumque heteromallis.* Caulis glaber, ſtriatus, inferne procumbens, dein erectus; in foliis nihil animaduertimus ſingulare; rami ex alis foliorum ramoſi, ſuperiores vero nudi ſunt, ramuli in pedunculos plures unifloros diuiduntur, foliola pedunculis ſubiecta integra, raro inciſa, flores ochroleuci primo, cum pediculi breues ſunt, racemoſi, poſthaec in paniculam explicantur et verſus unum latus inclinantur, ſequuntur ſiliquae ſex vel ſeptem ſtriatae, hinc gibbae inde planae, in apicem acutum reflexum deſinentes. Icon Tab. XV. exhibetur, qua vero praeter habitum et folia radicalia nihil exacte delineatum conſpicitur.

X. Let

X.

Lettere medico pratiche intorno all' indole delle febbri maligne e de loro principali rimedi colla ſtoria de' vermi del corpo umano e dell' uſo del mercurio. Venezia. 1750. 8. preſſo Giambattiſta Paſquali. pl. 17.

Siue:

Epiſtolae medico practicae de indole febrium malignarum earumque praecipuo remedio, cum hiſtoria vermium corporis humani et uſu mercurii.

Auctor harum epiſtolarum IO. FORTVNATVS BIANCHINI, Med. Cel., qui ſuum nomen literis nuncupatoriis, ad MARCVM FOSCARINVM, Nobil. et Procuratorem S. Marci directis, adiecit, ad eas conſcribendas incitabatur, cum IO. BAPTISTAE MOREALI, Medici Practici, in ciuitate Regium Lepidi, *Reggio*, dicta *Syſtema theoretico practicum febrium malignarum et contagioſarum* ederetur. * Cum vero contra eius modi febres uniuerſale ſe habere quoddam remedium, hydrargyrum nimirum, opinaretur MOREALI, omne quoque de hiſce febribus ſyſtema ita exponit, ut hocce remedium ipſis tollendis conueniens eſſe pateret. Plura igitur, accurate illud penſitanti, ſeſe offerebant Cl. Auctori, quae nec ſine confirmatione aſſumi, nec ordine ſufficienti propoſita eſſe videbantur, de quibus ſuam mentem quinque, ad amicum quendam datis, epiſtolis fuſe ſatis explicat. Verum enim vero, in ſcriptis, quae controuerſas attinent ſententias, cum ex argumentorum pondere cuncta ſint diiudicanda, eorum autem vim omnem adducere ſcopus noſter non permittat, ſatagemus prima eorum indicaſſe capita. Ex vetu-

* Prodiit idem italice Mutinae apud Franc. Torti 1739. 4.

vetuſtiſſimis graecorum ſcriptoribus HIPPOCRATES optimas epidemicorum morborum deſcribendorum leges dedit, quas breuiter et concinne collectas induſtrius repetit BIANCHINI, demonſtrans, vix non contra omnes peccaſſe in morborum Regienſium deſcriptione Cl. MOREALI, idque in prima potiſſimum perfecit epiſtola. In altera ipſam curandi methodum, a MOREALI propoſitam, mercurii ſcilicet crudi uſum perſtringit, quippe qui in uniuerſum
p. 50. laudari a medico rationali non poteſt, quod plures febrium malignarum cauſae, diuerſae earum mutationes, remediorumque adhibitorum operationes ſint. Id, quod pleuritidis epidemicae, febrisque tertianae duplicatae exemplis comprobatur. Longe felicius ſolutiua, ſeu leniter abſtergentia medicamenta uſurpari poſſe iudicat, licet mercurii uſus in totum reiiciendus non ſit, ſi vermium in primis metus ſit, qui tamen communem omnium eiusmodi morborum cauſam non conſtituunt. Quod, cum itidem pro indubitato aſſumat MOREALI, in tertia epiſtola in vermium originem inquirit ad clariorem excitandam febrium malignarum verminoſarum ideam. De
p. 66. ortu vermium opiniones variae exiſtunt, plerique eos ex propriis ouis progenerari autumant, num et intus in animalibus contenti eandem habeant origi-
p. 68. nem, dubitatur. Alii oua deglutita excludi, alii ut VALISNIERI, in corpore animali naſci et hereditatis iure cum ſanguine vel lacte ad embryonem et recens natum deferri aſſumunt, quae ſententia, a Cl.
p. 69. MOREALI defenſa, refutatur. Eſt enim alba illa, mucilaginoſa maſſa, in inteſtinis haerens, vermium nidus, in quo tum oua, tum vermiculi conſpiciuntur. Nec in omnibus vermes ſtationibus commode viuunt, experimenta enim cepit Cel. BIANCHINI,
p. 79. inteſtinorum vermes ſaliuae aut ſanguini immittendo, in quibus mox periere liquoribus, cum circulante ſanguine periculoſam, quam tranſeant, viam inue-

inueniunt, ad mammas autem ex inteſtinis cum chylo immediati, per quos huc deueniant, non dantur ductus. Deinde et ANDRY opinio recenſetur, qui cum ſpermate ad uterum primos vermiculos deduci, et in embryonem deinde ſeſe inſinuare credidit; ſed ita de eius veritate ſe conuictum eſſe aſſerit Cl. Auctor, ut titubet admodum, nihilque ſe ſcire libere profiteatur. Ad MOREALI itaque tractationem ſe conuertens, varia, quae ad dilucidandam ſuam opinionem propoſuit, phaenomena phyſicae contraria eſſe docet, in primis, cum illos ſolam febrium malignarum producendarum cauſam eſſe iudicet, et quidem eo tempore demum, dum ipſi hi vermes aegrotant. De morbis eorum ita autem diſſerit, ut nullum, niſi diarrhoeam, ipſis accidere putet, ut exinde eorum excrementa, ad ſanguinem delata, vel in inteſtinis corrupta, ſymptomata harum febrium cauſentur. Quam theoriam nunc ſigillatim expendit Cl. Auctor in epiſtola quarta. Licet autem varii vermium in corpore noſtro eſſe poſſint morbi, et diarrhoeam tantum admittat MOREALI, diuerſi tamen generis febres malignae ex admiſtionis excrementorum ratione prouenire poſſunt. In petechialibus itaque febribus tantam a vermibus excretam excrementorum copiam eſſe ſtatuit, ut exinde faeces hominis, morbo afflicti, cinereae, argillaceae, vel径 virideſcentes euadant. In genere ad haec reſpondet Cl. Auctor, confirmari per ſectionem, quod omnia haudquaquam cadauera vermes habeant, nec non et illos, qui per vomitum et aluum reiiciuntur, integros eſſe vegetosque; ipſe praeter ea in grauida, maligna febre extincta, deprehendit vermes, optime ſeſe habentes, quique, cultro ſubiecti, intus excrementa continebant, odore ſuo ab humanis non diſcrepantia. Quare nec a quantitate, nec a qualitate cauſam febrium deducendam eſſe ſtatuit. Sed, cum ſuam quoque de hiſce febribus proponere debeat ſententiam, proximam ea-

p. 87.
p. 93.
p. 115.
p. 116.

p. 128. rum cauſam plane ignotam eſſe, ſufficere tamen, ſi naturam morbi ſymptomataque accurate notet medicus, affirmat. Diuidit febres petechiales in veras et ſpurias. Vtraque, tum vera, alias catarrhalis maligna et ſpuria, quam exanthematicam malignam vo-
p. 133. cant, non nunquam epidemica eſt. In omnibus cauſa, quae occaſionem dedit, et ſigna optime penſitanda ſunt, ſi cura felix inſtituenda ſit. Suadet praecipue miſſionem ſanguinis, cui iungatur purgatio per leniora, ut mannam et caſſiam, euitanda autem ſunt emetica. Nec conueniunt ſudorifica, ſed aquae, frigidae in primis, uſus, cardiaca parum proficiunt praeſertim pulueres, quippe quibus, largiter nimis propinatis, ventriculum feminae incruſtatum deprehendit; optimum ex iis vinum eſt. De veſicatoriis deinde diſſerit, eorum uſum ab antiquiſſimis deducens temporibus. Recenſitis autem huius medicamenti per tot ſecula fatis, accedente omni conuenientis eruditionis apparatu, tandem eorum uſum reiicit, et ſectionem venae iugularis, ſcarificationem occipitis, in coma et lethargo, praecipue tamen virgarum uſum, ut optimum, praedicat, quibus nimi-
p. 177. rum planta pedis vel palma manus percutiantur. In his cautelae quaedam annotandae ſunt, veſicatoriorum uſus tamen in uniuerſum non reprobandus eſt. Quodſi alia harum febrium cauſa ſit, ut in verminoſis, cura quoque variari debet, de qua in epiſtola quinta agit. Primo de mercurio loquitur, eiusque uſus et antiquitates in Italia refert, dein ad Cl. MOREALI accedit, qui in omnibus febribus et hecticis quoque hydragyrum ſpecificum eſſe aſſeruerat. Quod in ſpecie de illis tantum cum valeat, quarum vermes cauſa exiſtunt, ſigna talium febrium accurate colligit, aliasque febres a lumbricis, ab aſcaridibus alias, alias tandem a cucurbitinis vermibus produci notat.
p. 214. De aſcaridibus monet, et pleuritides ab iis fuiſſe exortas, immo fiſtulares illas excreſcentias, ſeu faſcias,

ex

ex muco vermibusque compoſitas et internam inteſtinorum ſuperficiem occupantes, a cucurbitinis efformari vermibus ſtatuit, nec non taeniam, ſeu ſic dictum *Solitarium* non unum eſſe vermem, ſed cucurbitinos iunctos. Adiicitur his breuis vermium, extra ordinem in variis partibus deprehenſorum, recenſio, quibus peractis ad mercurii uſum, contra hos omnes uſurpandum, redit. Vtitur autem eodem viuo ſeu currente, exhibetur eius drachma una cum ſyrupo ſeu conſerua, quater quinquiesue per diem, imminuendo doſin ad ſemi drachmam usque, adhibendo poſt eius uſum ſolutiuum ex caſſia aut manna remedium, vitando fortiora purgantia. De qua methodo porrigendi hydrargyrum ita confirmatus eſt Cl. Auctor, ut in aliis quoque morbis, in quibus eius uſus eſt, ut in colicis iliacisque paſſionibus, maiorem doſin una vice adhibere ſibi perſuaderi non p. 240. patiatur unquam. De modo agendi huius remedii ut plurimum diſceptatur, vel vermes eo interfici, vel fugari vel quietos reddi putatur. REDI inſtituit quidem experimenta cum lumbricis viuis et decocto mercurii illos indidit eosque enecari vidit, quae vero ad illa, quae in corpus humanum eo ingeſto contingunt, haud quaquam declaranda ſufficiunt, cum poſt datum hydrargyrum vermes viui non nunquam, alio tempore mortui, vel etiam mixti excernantur, ut inde tantum ſequatur, eſſe illud valens admodum anthelminticum. Doctiſſimae hae epiſtolae non ſolum veras, in medicina facienda regulas praeſcribunt, ſed luculentum etiam induſtriae in perſcrutandis morborum cauſis Cl. Auctoris indefeſſae et ſingulare quidem praebent documentum.

XI.

Diſſert. inaug. de Oreoſelino Praeſ. CASIM. CHRIST. SCHMIEDELIO, M. D. et Anat. et Bot. Prof. Reſp. GEORG. CHRISTIAN. TROELTZSCH, Erlang. 1751. 4. pl. 5½.

Fuit et adhuc eſt noſtri ſeculi genius, ut ſtudio ſumtibusque medicinas, ex diſſitis ſaepe regionibus allatas, anxie quaeramus, eas vero, quae noſtra fert tellus, ut plurimum vili habeamus. Nobis vero ipſis in pleriſque ſufficere, inque noſtris ruribus ea, quae peregrinis, eſſe ſalutis auxilia, non modo in prooemio monet, verum etiam variis exemplis com-
p. 7. 8. probat Cl. Auctor. Ita v. gr. abietis pinique reſinam cum balſamo de Mecca conuenire; populum albam balſami Peruuiani ſuccedaneum praebere; radicem angelicae reſinam balſamum de copaiua referentem exhibere aſſerit; glandes porro quercuum pro coffea in uſum vocari, fagique ſemen nucibus been ſubſtitui poſſe autumat. Quibus praemonitis, ad
p. 10-24. ipſam, quam pertractandam ſibi ſumit, accedit plantam et diffuſa oratione primum eam, quoad ſingulas partes, accurate deſcribit, deinde in locum eius na-
p. 25. talem curioſe inquirit, multaque loca ex auctoribus annotat, cuinam ordini plantarum oreoſelinum ab
p. 26. ſyſtematicis inſertum fuerit poſt ea tradit, tandemque nomina, quibus ab auctoribus indicata fuit plan-
p. 27. ta, adponit. His, quae ad botanicam ſimplicis huius medicinae cognitionem pertinent, praemiſſis, nunc ad internam partium conſtitutionem, quatenus chemia detegitur, ſeſe conuertit, et propria inſtitu-
p. 33. ta experimenta recenſet Cl. Auctor. 1) Spiritus vini rectificatiſſimi unciis ſex ſiccae radicis unam immiſit, hunc aureo colore tingit, quae tinctura cum pimpinellae albae eſſentia odore et ſapore conuenit, et cum aqua mixta lacteſcit. Ex tribus huius tincturae

unciis

unciis reſinoſi extracti drachmas duas obtinuit. Idem etiam paucis mutatis vino albo adhibito obſeruatum fuit. 2) Herbae recentis unciis tribus infudit aquae communis menſuram unam, et deſtillatione e retorta, aquae parum odorae et ſaporis debilis prodierunt unciae ſex. 3) Ex radicis recentis unciis duabus aqua humectatae deſtillatione, phlegmatis odore fragranti et ſubdulci ſapore praediti unciae quatuor prodierunt. Sumſit porro 4) totius plantae contuſae uncias quatuor, et additis unciis duodecim aquae deſtillationem leni primo igne peregit, atque nunc nebulas albicantes in vas recipiens deſcendere vidit, quas aqua flaueſcens, odorem ſaporemque plantae ſpecificum referens excipiebat; in aere vero relicta, ſtatim haec inſipida facta fuit. Pondus huius erant drachmae ſex. Seminis etiam 5) examen ſuſcepit atque huius unciae uni et ſcrupulis quatuor aquae uncias octo addidit, et deſtillatione per balneum maris accepit liquoris aquoſi uncias ſex, cuius odor petroſelinum, ſapor vero ſemen ipſius oreoſelini aemulabatur. Extractum, quod ex reſiduo parauit, odoris expers, ſaporis amari et acris erat; hoc drachmam unam ponderabat. 6) Eandem etiam ſeminis maturi quantitatem retortae immiſit, et vehementiſſimo igne deſtillationem peregit, qua poſt longam demum moram parum flaueſcentis phlegmatis, et tandem olei craſſi, empyreumatici, foetidi et grauiſſimi drachmam unam ſemis obtinuit. Hoc adeo volatile inueniebatur, ut, vitro licet optime clauſo, totum ſenſim auolarit in auras. Capitis mortui drachmae ſex, lixiuio parato, ſalis alcalini fixi grana decem exhibuerunt. Aquas, his experimentis ex planta eductas, acidae, eſſentias vero itemque extracta, et aquoſum et reſinoſum, alcalinae indolis eſſe, aliis tentaminibus comprobat, ſimulque docet vim reſoluentem, diureticam, diaphoreticam, atque, quam maxime aeſtimat, tonicam virtutem plantae in

p. 34. p. 35. p. 36. p. 38.

 eſſe;

eſſe; quae vires ulterius explicantur, atque exemplis illuſtrantur.

p. 9. Notatum praeter ea legimus, Cl. SCHMIEDELIVM inter alias florum luxuriantium varietates aliquam poſſidere elatinem, quae plantam illam, a LINNAEO peloriae nomine deſcriptam bene illuſtrat. Hanc vero Cl. Auctor an. 1742 vel 43. iamiam inuenit.

XII.

Hamburgiſches Magazin, i. e. Promptuarii Hamburgenſis etc. Vol. VI. Hamb. 1750. 8. 1 alph. 20 pl. tab. aen. 2.

p. 71. *Part. I. No. 2.* Inueniuntur *Ephemerides experimentorum electricorum, cum paralytico inſtitutorum;* excerpta ex IALLABERT libro, Experiençes ſur l'Electriçite.

p. 95. *No. 3.* Singularis recenſetur caſus, *de viro, qui per plures annos mutus, loquelam per inſomnia denuo accepit*, Auctore SQVIRE, ex Transact. Anglic. no. 486.

p. 115. *Part. II. No. 1.* Phyſica habetur relatio *de Polonicis ſalium fodinis, Wieliczka et Bochnia dictis*, communicata a C. G. SCHOBERO. Varia hic praemittit Cl. Auctor, quae ortum diuerſorum in terra ſtratorum concernunt, et quae a diuturna aliqua aquarum inundatione deriuantur; haec enim, ut ſtatuit Auctor, fodinarum ſalinarum geneſin et indolem maxime illuſtrant. Ligna namque et lapidoſa corpora, quae ad fluuiorum ſaepius littora inueniuntur, etiam in ſalinis ut plurimum maſſis deprehenduntur; atque hoc ſatis ſuperque probat, ſal illud non ab initio eadem ſub forma in illis locis adfuiſſe; et dum aliquando etiam cochleae, aliaque marina corpora, et, quod

quod eo magis rem illuſtrat, ipſa aqua ſalſa in illis montoſis locis, ubi ſalinae occurrunt, ſaepiſſime adſint, ad ortum horum omnium facile concludi poſſe aſſumitur. Tandemque extra dubium illud ponitur, dum integra ſtrata arenoſa diuerſi generis, inter ipſa ſalina repoſita inueniantur. Haec enim peregrina corpora, cum nec intra ipſum ſal generari, nec in illud quaſi intrudi poſſint, citius quam ſal adfuiſſe, probabile videtur. His miſſis, obiectioni reſpondetur, dum alii cum MARSILIO ſtatuunt, marinam aquam ideo ſalſam eſſe, quia ſalinae venae ad eam tranſeunt et in eam quaſi inſeruntur. Contrarium vero Cl. Auctor oſtendit, aſſumitque ſal gemmae ex ſalſa maris aqua originem ſuam accepiſſe. Nec cum illis etiam ſentit Cl. Auctor, qui, ſalia continuo generari credunt, ſed, ut in aliis corporibus mineralibus euenit, illud modo in fodinis apponitur, quicquid aliunde adducitur; quae omnia experientiis plurimis, quae partim propriae ſunt, partim ex itinerariis mutuatae, multum adhuc dilucidantur corroboranturque. Nunc tandem ad ipſas ſalinas deſcribendas accedit Cl. Auctor, quarum regiones, adiacentes fluuios, montes, ibique reperiunda ſaxa et petrefacta ſtudioſe deſcribit. Fodina, *Wieliczker* dicta, ſub humo ſtatim limum offert, quem excipit tenuis mobiliſque arena cum aqua, quam *Zyc* vocant, ſequitur deinde denſa ſatis atque nigra argilla; quibus remotis tandem illud ſaxum apparet, in quo ſal ipſum incluſum continetur; et in eo, quod admiratione dignum habetur, nunquam hactenus aqua inuenta fuit. In hoc ſaxo primum ſe ſiſtit vena cumulata, *Stockwerk*, quae profundius paulo mutatur in horizontalem, *Floezwerk*, quo usque ſuperior tendit, eo usque ſal in irregularibus glebis deprehenditur, quae etiam magnitudine differunt. Hoc ſal duplex ut plurimum, aliquando triplex eſt, quod ſpecifico nomine ab incolis *Zielona*, *Makowka*, et *Iarka* appellatur. Prio-

res ſpecies ad venam cumulatam, tertia vero proprie ad horizontalem pertinent. Illud ſal, quod *Zielona* dicitur, aceruus eſt ex ſalinis cryſtallis diuerſae magnitudinis coagmentatus; altera ſpecies, *Makowka* nominata, non tam copioſe inuenitur, quam prior, et ferme ſemper profundius reperitur, ibi nempe, ubi ſaxum venam horizontalem habet. Haec nunquam cryſtallos ſiſtit, ſed potius arenario lapidi, ex maioribus nigricantibus granis compoſito, videtur ſimilis. Tertia, rarior ſpecies, conſtat ex irregularibus albidis granulis, quae leuiſſimo nexu iunctae deprehenduntur, et ut plurimum, ut tenuis vena maiores ſalinas maſſas perreptat. Strata, quae ipſum ſal includunt, tria ſunt, quorum duo ſuperiora non firmius cohaerent, et ideo labores facile turbant; ultimum vero maiorem ſuarum partium nexum oſtendit. Primum, quod patrio ſermone *Halda* dicitur, obſcure cinereum eſt, et in primis humidam, ſalis quibusdam ſpiculis et alabaſtro remixtam argillam exhibet; ſubſequens, *Mydlarka*, itidem argilla eſt, firma vero ſatis atque denſa, ſimulque, parum tamen, humida; et haec etiam ſal continet, quod florum ſpecie in ſuperficie exemtae argillae ſtatim ſe manifeſtat; inueniuntur praeter ea et hic conchylia, quae vero non petrefacta videntur, ſed immutata potius apparent. Tertium ſtratum, *Zuber* dictum, eſt ſal quoddam impurum cum lapidoſa terra et alabaſtro remixtum; et hoc illud eſt, in quo ſal gemmae reperitur; in quibusdam enim locis inſignes cryſtalli pellucidae per ſe quidem purae, aliquando tamen aliis variis peregrinis ſaxis remixtae hic conſpiciuntur; quae ab adhaerentibus liberatae atque diffractae aut cubos aut rectangula priſmata formant; ad angulos enim rectos diffringuntur continuo. Illud omnium ſingulare videtur, quod hic fragmenta ſaxi reperiantur, quae poſitu ſuo venam horizontalem referunt. Et cum ab hiſce ad harum ſalis fodinarum

ortum

ortum optime concludi poſſe arbitretur Auctor, ea ſaxa ſtudioſe deſcripſit ſimulque delineare curauit. Poſt haec de ſale illo, quod in venis horizontalibus reperitur, ſermonem facit, qua ratione vero hae excurrant ac inueniantur, delineatio docet. Nunc tandem ad ſalinas Bochnienſes contemplandas accedit Cl. Auctor, quae in plurimis cum prioribus conueniunt, quarum tamen naturalis conſtitutio omnium optime ex addita icone intelligitur.

No. 2. Excerptum legitur *de noua lucis et colorum theoria*, quod ex Cl. EVLERI opuſculis varii argumenti deſumtum eſt. p. 156.

No. 3. Habetur commentarius *de praeſtantia ſingularis medii ſalis*, communicatus a D. IOH. GOTTFR. PIETSCHIO. Sal hoc ex acidi nitroſi partibus ſeptem, et una parte acidi vitriolici conſtat, reliquum ſubtilis eſt alcalina quaedam terra, cuius tantum adhibetur, quantum ad ſaturationem acidorum requiritur. Omnia ſalia media, quae vel alcalinam modo terram, vel verum ſal alcali poſſident, eam virtutem exercent, ut partes ſolidae inde fortius commoueantur, ſpiſſa et glutinoſa reſoluantur, et excretiones vel per aluum, vel per alia loca augeantur; quae omnia etiam de ſale hocce terreſtri medio valere Auctor exiſtimat. Duplici vero in primis modo effectus huius ſalis ſeſe manifeſtarunt. Primo enim excretiones omnium noxiorum, per aluum et ſi vermes quoque adeſſent, ab illo excitantur promouenturque, ad quem effectum obtinendum duae quatuorue ſaepe drachmae ſufficiunt, rariſſime ultra decem drachmae propinari debent. Secundo et porro virtus huius in mouendis quieſcentibus, obſtructisque aperiendis conſiſtit. Generalioribus his praemiſſis, ſpecialius nunc eiusdem vires deſcribit, et quidnam praeſtet, ſi inteſtina expurgandi ſcopo adhibetur, primum declarat. Colicam itaque flatulentam, appetitum proſtratum, intermittentes febres, omnes p. 198.

uno verbo morbos, qui in hac officina cauſam ſuam habent atque ſedem, aufert atque curat; ſi in ſecundis viis effectum exhibere debet, continuatum uſum medicumque prudentem, qui ad ea omnia, quibus morbus ſtipatur, ſingularia attendat, haec medicina requirit; ſicque ut aquae medicatae ſuam virtutem, ſuasque vires exhibebit. In vaſa vero in primis urinaria operatur noxiaeque humorum particulae per renes atque veſicam educuntur; ſalia enim media humores corporis animalis frigidiores reddunt, hinc per cutaneos poros nunquam agunt. Sequitur nunc longa morborum recenſio, in quibus auxiliatrices manus porrigit haec ſalis medicina. E. gr. vertigo, apoplexia a viſcido orta, melancholia, icterus, calculus, menſium perturbatus fluxus etc. Et quo latius adhuc pateat huius ſalis artificialis uſus, diſquiritur adhuc, an non forte illud curationi per aquas medicatas ſubſtitui poſſit, quod et omnino exiſtimatur, in primis cum fontium medicatorum mixtio nos adhuc lateat; in cuius rei demonſtrationem, nec SEIPIVM pyrmontanarum, nec HOFFMANNVM ſelteranarum aquarum mixtionem exacte exhibuiſſe, ſed modo experientia commotos virtutes harum laudaſſe monet, et aliquo modo ex eorundem ſcriptis probat.

p. 213. *No. 4.* Sequitur IOH. CHRIST. HELCKII *Deſcriptio montis Pirnenſis, in quo lapis arenarius inuenitur.* Montis huius altiſſimi et primarii magnitudo varia eſt, pluresque alii, ſatis etiam inſignes, arte quaſi huic impoſiti deprehenduntur. Omnis mons in duas partes diuiditur; quarum ſuperior lapidem ſiſtit ex glarea, luteo colore tincta compoſitum, qui vero firmitate atque duritie deſtituitur, et propter ea rarius ad opificia adhibetur. Singulare itaque naturae donum exiſtimatur, quod Albis fluuius per ipſum montem tranſeat, quo inferiora illa ſtrata compactioris lapidis eo facilius haberi poſſint. Inferior

ergo

ergo pars lapidem continet, cuius partes ſubtiliores albidae, firmiusque cohaerentes deprehenduntur. Hic vero non ubique ſibi ſimilis eſt, ſed a ſtratis hinc inde excurrentibus plurimum mutatur. In locis proxime ad Albim ſitis viliorem modo uſum praeſtat, e. gr. ad lapides molares adhibetur. In eo vero loco, qui *Gottläube* appellari ſolet, omnium perfectiſſimus eſt lapis, et ad imagines ſtatuasque perficiendas adhibetur. Et in hoc loco ex tribus conſtat ſtratis, *Baencke*, quorum quodlibet 8 vel 9. ulnas craſſitie aequat; medium horum in primis aeſtimatur et colorem album, quodammodo coeruleſcentem exhibet, artifices vocant *den zähen Stein*. Superius iamiam vilius habetur, eidem tamen uſui inſeruit, inferius, quod *Sandbank* appellatur, viliſſimum eſt, quia cauernas multa arena repletas oſtendit, quae ſimul cum conchyliis ibidem deprehendendis maximam quandoque partem inutilem reddunt. Hoc inferiori remoto et reliqua parte fulcris ab interitu vindicata, ſuperiora iterum ſtrata, profundius nunc deſcendentia, attinguntur et ita commode maxima lapidum fragmenta eximuntur. Scopuli montium plurimis verticaliter excurrentibus fiſſuris, quas *Loſungen* dicunt, diuiduntur, et aliquando in cauum, quod vlnam ferme aequat, ampliantur. Strata totius montis parallela et horizontali fere via excurrunt, quo usque vero haec lapidum ſtrata penetrent, dici non poteſt, nondum enim hactenus aquam inuenerunt. In ferraria illa fodina, prope *Berggieshübelium*, alba deprehenditur argilla, quae curatius conſiderata oſtendit ipſam eam eſſe, ex qua tota petra indurata fuit; luteum enim illum, qui in lapide arenario ſaepiſſime conſpicitur, colorem etiam in hac adeſſe deprehendimus. Cryſtallina etiam hic repeiuntur ſaxa, quae ab omnibus aliis figura in primis differunt, habent enim eam lenti ſimillimam, quam etiam ut plurimum magnitudine attingunt, aliquando ſupe-

ſuperant. Praeter haec vero alia inueniuntur, quae cryſtallos veras habent, ac triangulari apice finiuntur, et quarumlatera in recta linea, ſine fractione, forma pyramidali usque ad apicem excurrunt. Caua illa, quae lithomargam continent, alio tempore conchylia incluſa habuiſſe, aſſerit Cl. Auctor. Haec, lapidoſo cauo fracto, mollis eſt, nigro colore inſignita, exſiccata vero carbones foſſiles imitatur. Saporem habet auſterum atque nauſeoſum, et igni admota ſcintillas emittit. His omnibus enarratis tandem coniectura additur, qua montium illorum ſeparatim exiſtentium et maximo quaſi impoſitorum ortus ab ipſo Albi fluuio deducitur.

p. 289. *Part. III. No. 2. Meditationes generales de morbis,* Auctore IOH. AVGVSTO VNZERO. Varia Cl. Auctor praemittit, quae ad cognitionem morborum perfectius eruendam pertinere videntur; atque primo fuſiori ſermone explicat quid ſit ſanitas, et quae ad ſanitatem ſint neceſſaria. Inter haec primarium eſt vita, quae diuerſimode conſideratur, dum vel in laxiori vel ſtrictiori ſenſu ſumitur; ad ſanitatem ſecundo continua cujuscunque corporis naturae duratio, ſiue ſtatus naturalis requiritur. Ex hac ſanitatis notione porro nunc eruitur morbi natura, qui generali ſenſu dicitur ſtatus ſanitati oppoſitus, dum ab impedimento naturae dependet. In omni itaque morbo natura aliquo modo perturbata eſt, ita ut dici forte poſſit, ſedem cuiuscunque morbi in natura cuiusdam haerere. Omnes ergo mutationi obnoxiae partes poſſunt, relatione ad ſtatum naturalem facta, ſedem morbi exhibere. Partes vero, quae naturam corporis conſtituunt, ſunt 1) diuerſiſſimae; quarum multiplex traditur diſtinctio, ex quibus omnibus tandem ſequens datur morborum diuiſio, et primario quidem morbi viui corporis in morbos materiae et machinae diuiduntur; priores ſunt vel morbi fluidarum, vel ſoli-

ſolidarum, harum vel molliorum vel firmiorum partium. Morbi vero machinarum ſunt vel ſimplicium vel compoſitarum. Ad naturam corporis humani 2) pertinet modus compoſitionis; in hac enim omnis cauſa motus quaerenda, morbus itaque etiam in hac ſuam habere poteſt ſedem. Compoſitio vero duplex aſſumitur, alia primae materiae, a qua vires motus phyſicae, alia deinde ſtructurae ſiue machinae, a qua mechanici motus dependent. 3) Ad corpus humanum ſpectant vires, quarum triplex datur differentia; ſuntque a) phyſicae, quibus omnes illi motus perficiuntur, qui non a machina ſed a mixtione primae materiae proficiſcuntur; ut eſt fluidorum ille internus motus; b) mechanicae, a quibus motus mechanici, et c) harmonicae, a quibus illi oriuntur motus, qui cum animae repraeſentationibus harmonici ſunt. Praeter nunc indicatas partes nullas alias eſſe, in quibus morbus originem atque ſedem habere poſſit ulterius deinde declaratur, dum variis obiectionibus reſpondetur, v. c. morbos dari motuum, morbos eſſe animae, qui a corpore non dependent, aliosque, qui in proportione partium conſiſtunt. Aliorum etiam medicorum generales morborum diuiſiones expenduntur, oſtenditurque non omnes morbos in prima materia, huius mixtione et phyſicis viribus ſedem habere, nec omnes a machina eiusque ſtructura et functionibus dependere, nec denique omnes ab harmonicis actionibus atque anima oriri. Hac itaque morborum ſtabilita differentia, fuſius nunc eorundem indoles explicatur. Cum morbus ſanitatis non vero vitae ſit oppoſitus ſtatus, diſquiritur an mors ſit pathologiae obiectum, quae quaeſtio ita dirimitur, vt mortem ipſam atque mori diſtinguendum eſſe arbitretur, prius minime, poſterius vero ad morbum pertinere exiſtimatur. Neque minus et illud conſideratione dignum Cel. Auctori videtur, an imperfectus naturae ſtatus ſimulque breuior vita, quatenus in continuatione naturae inter-

interrupta conſiſtat, morbi nomine inſigniri debeat; quod ſane Auctori non videtur. Dum enim corpus humanum morbo praeſente viuit, ſequitur etiam, vt actiones ad vitam neceſſariae ſint illaeſae. Vita vero haec triplex eſt; perſiſtit enim in continuatione naturae vel animalis, vel mechanicae, vel phyſicae. Prima abeſſe poteſt, ſine eo, ut laedantur reliquae; mechanica quoque ſi finitur phyſicam integram rerelinquit, phyſica vero non deſinit, niſi ſimul terminetur et animalis et mechanica. Omnes hae vitae ſpecies in morbis adhuc vigent; quatenus enim corpori humano morbi competunt, eatenus debet animalem vitam habere; cum vero haec ſine mechanica et phyſica cogitari non poſſit, vt etiam hae vigeant neceſſe eſt. Animalis vita in commercio animae et corporis conſiſtit. Omnis itaque morbus debet lethalis eſſe, ſi commercium hocce aufertur, vel cerebrum et nerui plenarie laeſi deprehenduntur, vel tandem earundem partium vires integre deficiunt. Mechanica vita in quolibet morbo durat; nam haec ſi finitur, vt machinae omnes et in ſtructura et in actionibus finiantur, neceſſe eſt; ex quibus ſequentes eruuntur concluſiones: In nullo morbo omnes laeſae ſunt machinae, ſed eius modi potius ſtatus mortem conſtituit; nullusque oritur morbus ex defectu illius ſtatus corporis humani, ſine quo priora eſſe nequeunt. Phyſica mors in omnium primigeniarum machinarum, earundem mixtione et virium phyſicarum deſtructione conſiſtit. Hæc nullo modo in viuo, ſed in mortuo ſolum corpore poſſibilis eſt. Et hoc eſt generaliorum de morbis meditationum compendium. Specialem applicationem, ad ductum Cel. Auctoris inferius exhibebimus.

p. 374. *Part. IV. no. 2.* I. G. KRÜGERI *Relatio de calculo in palato genito.* Inuertamus pace Cel. Auctoris hanc commentationem, et praemittamus hiſtoriam, cui

cui addi deinde poterit rationum ſeries. Ruſticus tumore palati inflammatorio laborauit, qui intra quinque ſeptimanas maturuit, et pure diſtentus deglutitionem impediuit; dum vero ille nunc motu valido corpus exerceret, en ſponte aperiebatur tumor, et cum pure calculus, isque inſignis, ex ore deciduus obſeruabatur, qui colore cinereus, leuis admodum, ſatis tamen compactus, in addita icone delineatus conſpicitur. Caſus hic, vt Cel. Auctor exiſtimat, docet pus et indurationem, qua forte ſcirrhum intelligit, non diuerſos admodum eſſe inflammationis exitus, ſed unum ſaepius ab altero, ut a cauſa, dependere. Calculi vero huius geneſis ſequenti ratione nunc explicatur. In aqua continetur lapidum materia, quae cum continuo aſſumatur ac ingeratur, lapides exinde generari debere facile intelligitur. Cum vero ex aqua in plantis contenta nunquam lapides formentur, aliam adhuc cauſam ſubeſſe clarum eſt; quae in viuido humorum motu conſiſtit. Obſeruamus enim quotidie, piſces, qui in ipſa aqua vitam degunt, nunquam calculo laborare, ſed in terreſtribus animalibus, quae ſub calidiori coelo viuunt et in quibus motus humorum celerrimus eſt, illos omnium frequentiſſime inueniri. Motum vero humorum intenſiorem calculi cauſam eſſe poſſe, exinde pateſcit, quia fibrae corporis animalis ex terreſtri, non firmiter cohaerente materia conflatae, continuo eoque fortiori motu magis adhuc in nexu ſuo turbantur et nunc abruptae ſufficientem calculi materiam praebent. Fluidum vero, in quo haec materia continetur, inque calculum mutatur vel plane non, vel tardiſſime debet moueri; quod in veſica vrinaria adeo ſolenne, in aliis etiam locis, ubi humores ſtagnant et pus generatur, fieri poſſe aſſumit. Pus enim conficitur, dum ſanguinis et fibrarum corporis animalis fit reſolutio; utrumque vero calculi materiam exhibet, ita vt ad generationem calculi ex pure aquoſarum modo particu-

larum

larum ſeceſſus, qui vel perſpiratione vel regreſſu ad ſanguinem perficitur, requiratur. Ex his itaque facile nunc modum, quo calculus in palato, isque ex pure generari potuerit, cognoſcimus.

p. 390. *No. 4.* IOH. ERNEST. STIEFII *Diſquiſitio de morbo boum in Sileſia An. 1747 admodum frequenti.* Haec ex Nouellis Vratislauienſibus, quas ſchedas intelligentiae appellant, deſumta eſt, et ita repetita vice euulgata hic inuenitur.

p. 441. *No. 5.* C. G. SCHOBERI *Obſeruatio de tophi et turfi ſtratis prope Langenſalze in Thuringia.* Tophus qui hic loci frequens eſt, ex inſigni diverſimode poſitorum et inter ſe inuicem concretorum tubulorum copia componitur. Hic in non nullis locis ipſum humum attingit, quandoque vero ſtratum arenae luteolae partim mollioris partim firmioris intercedit. Et ſi hoc eſt, ſub eodem plurima alia et ſat inſignia, arcte vero inter ſe iuncta, firmiſſimi tophi inueniuntur ſtrata, quae vero nunc tubulos illos non amplius oſtendunt. Haec non nunquam excipit nouum mollioris texturae lapidis tubularis ſtratum, quandoque vero arena et in quibusdam etiam locis cauum ſatis magnum modo hic reperitur; ſub quibus denuo firmioris tophi ſtratum deprehenditur. Hoc altero ſtrato remoto, iterum vel tubularis ille lapis vel arena occurrit, ſub quo tandem turfum, denuoque arena, luteo etiam colore tincta, et ultimo omnium cinerea argilla apparet; hanc artifices *Lötherde* appellant, et fullonum operibus inſeruit. Ibi etiam, ubi turfum inuenitur, aqua animaduertitur. Turfum hoc ex arborum corticibus, lignis, arundine et putrefactis foliis conſtat, quibus vulgares illae et fluuiatiles cochleae interſperſae ſunt; aliquando etiam integrae arbores, et radicibus et ramis conſpicuae, hic inueniuntur. Fiſtularem, de quo ſuperius diximus, lapidem alio tempore arundinem, iuncum, equiſetum et eius modi alias, in paludoſis locis creſcentes plantas fuiſſe et ita lapidis natu-

naturam aſſumſiſſe, ut coniecturam Cl. Auctor proponit. Singulare tandem illud habetur, quod in omni hoc tractu marinorum corporum nulla hactenus deprehenſa fuerint veſtigia.

Part. V. no. 1. Continuatio commentarii IOH. ARBVTHNOT *de aeris virtute in corpus humanum.* p. 451.

No. 2. Epiſtola ſequitur *de fructuum origine*, ex Diario Heluetico An. 1738. deſumta. p. 500

No. 3. CHR. HENR. PAPII *ad* HALLERVM *Epiſtola, in qua de ſingulari dorſali hernia agitur*, et quae antea Gottingae typis expreſſa prodiit. p. 524.

No. 4. A. G. KAESTNERI *Reſponſio ad* MOELLERVM *de antherarum puluere.* Cum iam aliquoties * de ſexu plantarum inter hos viros agitata fuerit controuerſia, illa nunc modo, omiſſis variis, indicabimus, quae primaria nobis huius diſſenſus videntur capita. Exiſtimauit MOELLERVS, florem ideo plantis datum eſſe, quo per illum eiusque varias partes inutiles fructuique immaturo noxii humores excerni poſſint atque eliminari. Quae ſane res nec a MOELLERO, nec ab aliis, ab eo nominatis, viris firmis indubitatisque rationibus, ut recte KAESTNERVS monet, probata ſtabilitaque fuit. Quae etiam deinde occaſione experimenti cum tulipa inſtituti, et ex BRADLEY ſcriptis adducti, ad MOELLERI obiectiones reſpondet Cl. Auctor, veritati ſimillima eſſe omnino arbitramur. In primis vero controuerſia de illo experimento, quod cum ſpinachia inſtitutum fuit, noſtram meretur conſiderationem. Oſtendit itaque primo KAESTNERVS, plantae huius florem rela- p. 529.

* Vid. *Hamb. Mag.* II. Band, p. 454 ſqq. atque hic eae continentur meditationes, quae MOELLERVS primum propoſuit, dubia vero contra has a KAESTNERO mota, leguntur in III. Band, p. 11 ſqq. et defenſio MOELLERI ibid. p. 410 ſqq.

relatiuum non ſemper diphytum, ſed et aliquando, licet non naturalis ſit ſtatus, monophytum eſſe; quod etiam in ſalice ſe alio tempore inueniſſe monet; hinc omnino dubium, an non etiam illa ſpinachia, pro femina a MOELLERO habita, et quae ſine maris adiumento ſemina exhibuit, relatiua fuerit monophyta. Verum enim vero in ea planta, quam tentaminis gratia adhibuit MOELLERVS, nullos ſtamineos flores adfuiſſe in priori iamiam commentario affirmauit. Maxime autem dubitat KAESTNERVS, illum proprietates diuerſorum horum florum rite cognouiſſe, cum eius deſcriptio manca ſit et obſeruationibus botanicorum non reſpondeat. Et quo haec res clarius intelligatur ex Anglicanis Tranſactionibus MÜLLERI experimentum adducit, qui eodem modo, ut MOELLERVS, plantas ſpinachiae, floribus maſculinis praeditas a femininis caute ſeparauit, et hae ſemina etiam exhibuerunt, quae quoad magnitudinem matura videbantur, terrae vero immiſſa, nunquam progerminarunt. Nec ea, quae MOELLERVS, de florum ſtamineorum ſeparatione in cucurbita adducit experimenta, aliquid probare oſtendit. Eo enim tempore hortulani hoſce deſtruunt, auferuntque, quando officium iamiam praeſtiterunt; ut denuo MÜLLERI experientia docet; qui aliquando, nondum in ſua arte peritus, hoſce etiam mares ſeparauit, antequam corolla euoluta puluerem exhibere potuerint, nullum vero fructum ad maturitatem perueniſſe, libere fatetur. Cum per mares, ut MOELLERVS exiſtimat, inutiles excernantur plantarum partes, dilemma proponit KAESTNERVS, dicitque, aut excernenda haec ita ſunt comparata, ut per alia etiam loca excerni poſſint, aut non, prius ſi verum eſt, nullum plane uſum habere antheras, certum eſt, ſi vero altera aſſumitur ſententia, haud fieri poteſt, ut iuglans, de qua nunc diſputatur, fructus exhibeat, ſi ſtaminei flores deſtruuntur. Neque porro concedit KAESTNERVS,

MOEL-

MOELLERVM debitam in eo ipſo experimento adhibuiſſe curam; uno enim intuitu omnes grandioris eius modi arboris rami vix poſſunt obſeruari; et ita facile accidere poterit, ut amentum, praeſens licet fuerit, minime tamen animaduerteretur; neque porro etiam conſtat, fructus huius arboris, ſi forte nullus antheraram puluis praeſens fuerit, vere fuiſſe perfectos, cum, quod tamen certiſſimum ſignum, terrae nunquam immiſſi fuerint. Plurima poſt ea de palmarum fructificatione adducit Cl. Auctor teſtimonia, atque in primis ex itinerariis Cl. LABAT experimenta recenſet, quae ſatis ſuperque probant, palmam feminam nunquam maturos fructus exhibuiſſe, niſi puluere marium fuerit foecundata. Prouocat etiam KAESTNERVS ad ea experimenta, quae Cl. GLEDITSCHIVS in horto academico Berolinenſi inſtituit. Cuius rei et nos teſtes ſumus, illi enim fructus et in noſtris hortis progerminarunt feliciter. De muſa eiusque fructu etiam controuerſia agitur. De qua re KAESTNERVS exiſtimat, relationem, ex LABAT itinerario adductam, non recte a MOELLERO fuiſſe intellectam, haud enim LABAT fructus illi denegauit, ſed modo ſemina in illis non contenta fuiſſe, aſſeruit; qua forte in re, cum ipſe botanices gnarus haud eſſet lapſus eſt; in primis cum et PLVMIERIVS ſemina muſae delineauerit, aliique plures deſcriptionem eorundem exhibuerint. Vltimo tandem colchicum obiectum eſt controuerſiae; aſſumit namque MOELLERVS florem fructui minime in hac planta eſſe impoſitum; ſtudioſe vero nunc KAESTNERVS deſcribit, quo modo tres eius ſtyli per longiſſimum floris tubum usque ad triquetrum ouarium penetrent, ibidemque implantentur; qui ſane partes ſiſtunt, quibus foecundatio futuri fructus poſſit celebrari, quod etiam, ſi forte Auctoris fides ſuſpecta ſit, teſtimonio Cl. BVRKHARDI, (Ep. de Plant. Charact.) vlterius ſtabilitur.

p. 557 No. 5. A. G. KAESTNERI *Annotatio de ſingulari caſu viſus imperfecti.* Oculi ſtructura, eiusque in primis partium varius ſitus alios myopes, presbytos alios reddit; an vero ſtatus detur, in quo nec propinqua nec etiam remotiora corpora diſtincte cognoſci poſſint, hic mouetur quaeſtio. In oculo, qui propiora modo corpora videt, viſus organon, retina forte, a lente maxime remotum deprehenditur; hinc etiam imagines propinquiorum modo corporum in eo delineantur, remotiorum vero icones ante illud repraeſentantur. Eſt ne vero ea approximatio lentis ad retinam, quae ſenum vulgo oculis tribuitur, maxima? an vero et hae partes propius aliquando ad ſe inuicem accedere poſſunt?

K. I. O. F. D.

Sane ſi oculus O. ita conſtructus eſt, ut remoti cuiusdam obiecti D. imago I. longius poſt ipſum humorem cryſtallinum cadat, quam remotio retinae poſt ipſam lentem conſtituit, propinquioris etiam obiecti F. imago K. quae magis omnino adhuc poſt lentem inuenitur, multo minus in retina delineari poteſt, quam prioris imago I. oculus itaque et remoti obiecti imaginem D, et propioris F. diſtincte non videt. Dantur itaque, ut Cl. Auctor exiſtimat, obiecta, quae nec, ut hactenus dici conſueuit, remota, nec propinqua ſunt, eius modi nempe, quorum remotio negatiua eſt, et quae poſt ipſum oculum cadunt. Myopes ea corpora diſtincte vident, quae diuergentes emittunt radios, presbytarum oculi deſiderant parallelos, oculi vero, de quibus hic ſermo eſt, conuergentes radios expectant. Et eius modi oculis inſtructos hyperbresbytarum nomine inſigniendos forte eſſe, Cl. KAESTNERVS monet. Vitro conuergenti his ſuccurritur, cuius rei plenior, ex opticis regulis deſumta, demonſtratio exhibetur, quam vero huc transferre non licet.

Part.

Part. VI. no. 1. Excerptum de hiſtoria naturali Georgiae et Carolinae, quod in primis ex VRLSPERGERI, *Halae editis, aliisque relationibus eſt deſumtum.* p. 563

No. 2. Conſiderationis morborum generalis, a I. A. VNZERO ſuperius exhibitae legitur continuatio. Morbus, ut antea oſtenſum fuit, eſt contrarius ſanitatis ſtatus, qui oritur, ſi natura cujusdam rei in actionibus perficiendis impeditur. Quilibet itaque morbus, ut diſtincta actio mutatae nunc a perfectiſſimo ſtatu naturae conſiderari poteſt. Eius modi vero actio, quae regulis certi cuiusdam ordinis non reſpondet, dicitur vulgo extraordinaria, vel ſi ille ordo ut naturalis conſideratur, hic praeternaturalis appellandus erit, quae denominatio, licet non nullis adaequata videatur, tamen Cl. Auctori diſplicet, morbumque corporis praeternaturalem ſtatum dici vix poſſe, variis argumentis oſtendere atque probare annititur. Cum itaque quilibet morbus contra ſanitatis regulas eueniat, difficile haud erit, ſigna adducere, quibus ille a ſanitate diſcernitur; modo id obſeruetur, ne quaelibet actio, quae contra naturam eſt, nec ea, quae extraordinaria dicitur, morbi nomine inſigniatur. Illa enim modo actio, quae ideo extraordinaria eſt, quia natura perturbata inuenitur, illud nomen mereri Cl. Auctor monet. Ex quo aſſerto ulterius ſtabilito, ſequentes concluſiones eruit: 1) Morbi non nulli poſſunt eſſe praeternaturales actiones, non vero quaelibet praeternaturalis actio morbus eſt. 2) Quilibet morbus, in relatione determinatae atque haud interruptae naturae ſubiecti, praeternaturalis eſt, quia per vires integrae naturae non perficitur; verum non omne id, quod contra ordinem naturae accidit, morbus eſt. 3) Omnes morbi extraordinariae ſunt actiones, quatenus legibus ſanitatis non reſpondent, non vero omnes actiones, quae relatione ad naturae leges extraordinariae ſunt, morbos

 con-

conſtituunt. Omnes morbos vel mixtionem, vel ſtructuram, vel motus leges, ut cauſas agnoſcere, ſuperius iamiam declaratum fuit, qua re nunc vlterius et exemplis in primis illuſtrata ſequentia iterum corollaria Cl. Auctor proponit; 1) de morbis ſimplicis machinae eiusque mixtione et phyſicis viribus tam chemice quam phyſice; 2) de quocunque machinae morbo eiusque ſtructura et actione mechanice, et 3) tandem de omnibus morbis harmonice eſſe philoſophandum. Et hic finis eſt harum meditationum; verum nunc mutatur facies, morborumque differentiae ex alio atque nouo fundamento conſiderantur. Sanitas eſt perfectus creaturae ſtatus, morbus itaque erit imperfectus. Sanitas eſt ſummum huius vitae bonum, morbus itaque erit ſummum malum; minime vero Cl. Auctor ſtatuit, morbum aliquod negatiuum malum eſſe, ſed modo illo nomine inſigniendum, quatenus legibus phyſiologiae eſt contrarius. Haec ſtudioſius nunc conſiderata denuo ſequentia nobis offerunt corollaria: 1) Non omnes imperfectiones, negationes et mala viuentium ſunt morbi; 2) nullus morbus ut malum a medico eſt conſiderandus, illaque pars morbi materialis a formali diſtinguenda; ultima enim modo illa eſt, quae a medico mutari debet atque ſanari; 3) medicus nunquam omnes morborum cauſas, quocunque modo conſideratas, pro noxiis debet habere; illud enim, quod morbum facit, poteſt etiam ſalutem corpori afferre. Obſtaculum dicitur contrarium exiſtentiae certarum rei determinationum, vel aliquando ipſae cauſae huius contrarii eodem inſigniuntur nomine. Ratio vero atque modus, ſecundum quem natura viui corporis turbatur et ita obſtacula patitur, dum morbus oritur, in generali modo ſenſu hic adducitur; et exinde uniuerſalis lex omnium morborum poſſibilium deducitur; en illam: ſi in partibus mutationi obnoxiis naturae viui corporis actio euenit, quae aliam, per easdem vires

vires poſſibilem, et praeſtantiorem tollit, ſanitatis obſtaculum, ſiue, quod idem eſt, morbus oritur. Dantur praeter ea et maiores et minores morborum gradus. Si itaque vis atque magnitudo morbi diiudicari debet, ad ſequentia attendendum eſſe Cl. Auctor monet; 1) ſi plures naturae partes laeduntur turbanturque, morbus maior oritur; 2) ſi maiores partes afficiuntur, idem euenit, magnitudo vero partis vel magnitudine compoſitionis, et copia et magnitudine effectuum, qui inde dependent, vel tandem magnitudine cauſae abſoluitur; 3) morbus maior eſt, quo plures inde, in relatione legum ſanitatis, extraordinari producuntur actiones, et 4) quo nobiliores eae ſunt actiones, quae ſanitati opponuntur. Quae meditationes primarium ſemiotices fundamentum conſtituunt, quo maior enim gradus morbi eo propinquior eſt mors.

No. 3. C. G. S. *Meditationes de arboribus autumnali tempore An. 1750 florentibus.* In Sileſia, Cl. Auctoris patria, aliisque regionibus autumnum huius anni veris ſpeciem aemulaſſe, et ſeptembri atque octobri menſe arbores floribus fuiſſe ornatas notiſſima res eſt, huius igitur ſingularis phaenomeni et mutationis cauſas in primis in hoc commentario eruere tentauit Cl. Auctor. Hinc omnibus iis, plura vero ſunt, quae ad ipſam rem non ſpectant, omiſſis ea modo annotabimus, ex quibus, ut praeſuppoſitis, concluſiones deducuntur. Aeris conſtitutio hoc ipſo anno temperata et fere calida hyemali obſeruabatur tempore, et hinc omnia terrae dona citius ſeſe offerebant. Gemmae arborum initio iam aprilis menſis auctae inſigniter circa medium menſis euolutae flores oſtendebant, maio vero menſe plurimae arbores et eae in primis, quae tenera guſtuque grata poſſident folia, omni hocce ornatu fructuumque rudimentis ſpoliatae inueniebantur. Ipſe tandem annus admodum erat fertilis. Haec omnia et vltimum p. 631

in primis ad phaenomeni commemorati explicationem ſufficere Cl. Auctor arbitratur. Prius tamen quam ipſa explicatio exhibeatur, neceſſe etiam eſt, ut arborum aliqua diſtinctio praemittatur. Aliae enim inſectorum morſibus omni ornatu deſtitutae inueniebantur, aliae vero hanc ipſam iacturam minori in gradu oſtendebant; ad priores in primis mala, ad poſteriores vero pyra et aliae arbores pertinent, quae duriora et guſtu amara habent folia. Cauſa enim in prioribus eſt deſtructio ab inſectis facta, in poſterioribus vero in eo quaerenda, quod citius, quam fieri ſolet, folia exhibuerint. De illis primum dicitur. Non equidem vidit Cl. Auctor, an eius modi arbores altera vice flores oſtenderint, ſi vero factum fuerit, ſequenti ratione illud explicandum eſſe aſſerit. Foliis omnibus orbata erat arbor, ſuccus vero in eadem contentus et maxima in copia, nam fertilis erat annus, praeſens nouas neceſſario partes et folia in primis formare, delineatasque futuri anni gemmas protrudere debuit. Floriferae vero gemmae fere ſemper foliiferis intermixtae ſunt, his itaque euolutis, neceſſario etiam illae, cum ſufficiens ſucci nutritii copia adeſſet, prodeunt atque aperiuntur. Tria vero hac de re dubia oriri poſſe Cl. Auctor exiſtimat, nempe: 1), cur non omnes arbores autumnali hoc tempore flores exhibuerint; cuius rei cauſa in defectu floriferarum gemmarum quaeritur; 2) cur non omni anno accidat, ut arbores foliis floribusque ſpoliatae, nouo virore ſuperbiant, et hoc ex fertilitate anni declaratur; 3) tandem cur non citius, quam autumno flores oſtenderint; quia folia, ut Cl. Auctor exiſtimat, flores ſemper praecedant, praeter ea etiam in hoc caſu longior omnino requirebatur mora, quo ſuccorum praeparatio et ſufficiens copia ad augendas euoluendasque floriferas etiam gemmas adeſſet. Alteram autumno florentium arborum claſſem conſtituunt eae, quae ab inſectis quidem iniurias

rias paſſae, aliquam tamen adhuc priſtini ſplendoris partem retinuerunt. Cum hae arbores conſueto tempore citius flores euolutos oſtenderint, fructus quoque, integri adhuc perſiſtentes, citius maturitatem adipiſci, citiusque folia exſucca marcidaque fieri debuiſſe, facile colligitur. Temperies vero aeris ſeptembri menſe calida adhuc atque foecunda vix permittebat, ut vis ſuccorum eorumque motus quieſcere potuerit, hinc humores adſcendentes gemmas futuri anni intrabant, illas extendebant, easdemque protrudebant. Ex his, ridiculis vaticiniis remotis, ſeriam magis veritatique propiorem coniecturam Auctor proponit. Omnes nempe has arbores, quae bis hac aeſtate floruerunt, ſequenti anno nullos exhibituras flores, immo et defectum aliquem in foliis ſecuturum, et id inſimul inde euenturum eſſe, ut arbores illae, ſi non omnes, plurimae tamen intereant. Quod ſane vaticinium, ex ſtructura plantarum deſumtum, experientia quoque confirmatum fuiſſe, nunc ſatis ſuperque cognitum habemus atque perſpectum.

XIII.

Diſſertatio de materia medica in regno animali, Praeſide CAROLO LINNAEO defendit IONAS SIDREN, Vpſal. 1750. 4. pl. 2½.

Neminem latet, quid Cl. LINNAEVS in ordinandis aeque et accuratius definiendis praeſtiterit corporibus naturalibus, et quaenam in materiae medicae hiſtoriam inde redundauerint utilitates. Expoſuit ea, quae ad regnum vegetabile ſpectant, ſingulari libello Cl. Auctor,* breuiter, quae ex regno animali deſumuntur, hacce percurrit diſſertatione. Quae-

* Prodiit materia medica, Lib. I. de plantis, Holmiae, 1749. 8.

Quaedam tamen et hic deſcripta deprehenduntur, quorum uſus certe penes nos nullus eſt, nec non compoſitionum quarundam mentio iniecta, patriis eius regionibus tantum uſitatarum. Quod hanc ipſi ob rationem condonandum eſt, quod Sueciae deſcribere officinalia ei fuerit propoſitum. Immo et illa, quae obſoleta eſſe videbuntur, cognitionis et aliorum ſcriptorum intelligendorum cauſa non praetermittenda ſunt. In vegetabili materia medica ſecundum inuentam a ſe methodum plantas expoſuit, viribus medicis inſtructas, hic pari ratione ad ductum ſyſtematis naturae animale conſiderat regnum. Deſumuntur itaque ex hoc atque ex Fauna Suecica pleraque nomina ſpecifica et recenſentur quadrupedia primo, deinde aues, denique amphibia, piſces, tandemque inſecta. Notato prius nomine ſpecifico, et ſynonymo celebrioris cuiusdam auctoris, locum natalem, partem corporis, quae ad medicinam expetitur, *pharmaceuticum* vocat Auctor, qualitatem, vimque corporis adhibendi et uſum, tandemque compoſitiones, ad quas conſtituendas accedit, adiungit. Occaſione cancrorum, ut abſorbentis remedii, de abſorbentibus in uniuerſum, in adiecta adnotatione ita iudicat, ut ad duas claſſes eadem referri poſſe putet, ad aliam, qua corpora, abſorbendi virtutem ſimplicem habentia, continentur, et ad aliam, quae de corporibus hiſce, gelatinoſo ſimul principio imbutis, diſpicit. Vtrumque genus parum valere credit, niſi acidum vegetabile ipſis iunctum ſit, aut in primis viis eius modi offendat. Negandum quidem in genere non eſt, breuiores tales deſcriptiones varias ſeſe ob rationes commendare, cum tamen fieri ſimul non poſſit, quin conditiones quaedam intactae relinqui debeant, easdem non absque omni exceptione aſſumendas eſſe opinamur. Sic enim de bonitatis notis illarum partium, quae ad medicinam adhibentur, nihil annotatum legimus, et cum varii praeparandi

randi modi in diuerſis medicinis locum habeant, opus eſt, optimum proponere, inconuenientem reiicere, cauſasque breuiter recenſere. Nec uſus, ſimplici morbi denominatione indicatus, medentem iuuat. Quaenam v. c. eſt tauri fellis inſpiſſati contra tinnitum et anorexiam utilitas, cum tot tantaeque horum morborum exiſtant cauſae. Vt nobis hinc videatur ob ſollicitam tantum corporum definitionem eius modi materiae medicae deſcriptio laudem mereri.

XIV.

IOHANN GEORGE MODELS, *Ruſſiſch Kayſerlichen Admiralitaets Apotheckers in St. Petersburg, Abhandlung von Beſtandtheilen des Boracis, bey Gelegenheit der Vnterſuchung eines gewiſſen perſiſchen Saltzes, aus dem Lateiniſchen überſetzt und mit einer Einleitung vermehret von dem Auctore, nebſt einer Vorrede von* D. IOHANN GEORGE GMELIN, *der Chemie und Botanick öffentlichen Lehrer in Tübingen, Stuttgart, bey Ioh. Chriſtoph Ehrhard*, 1751. 8. 7 *Bog.*

Hoc eſt:

IOHANNIS GEORGII MODEL Commentarius de partibus boracem conſtituentibus, occaſione diſquiſiti ab eo ſalis cuiusdam perſici propoſitus, nunc ex latino ſermone translatus, et introductione adauctus, cum praefatione D. IOH. GEORGII GMELIN.

Iam anno 1746 Auctori ſal quoddam ex Perſia allatum offerebatur, ut chemico, cum eo inſtituto, examine, ſuam, de illius natura, ſententiam ferret; praeſtitit hoc in commentario *de Borace natiua Perſis Borech dicta*, Londini 1747. edito, in quo non tantum experimenta de hoc ſale recenſet, ſed comparationem

tionem etiam cum borace et ſoda inſtituit, et illud magis cum ſoda, quam cum borace conuenire oſtendit. Hos ſuos labores, cum praeter ſpem atque opinionem publici iuris factos conſpiceret Auctor, ipſe in uſum chemicorum et pharmaceutarum germanicam libelli verſionem ſuſcepit, et cum inter ea temporis diſquiſitionem alcali mineralis, occaſione ſalis illius perſici inceptam, continuaſſet, quaedam in introductione addidit, alia vero in commentario antea prolata nunc emendauit, cuncta tandem Cl. GMELIN fautori et amico ſuo tradidit, qui auctam hancce editionem praefatione addita exhibuit. Nobis nihil agendum reſtat, quam ut praecipua quaedam harum exercitationum momenta, in ipſa praefatione indicata, hic repetamus. Salia alcalina fixa ſunt vel vegetabilia, ignis vi ex plantis producta, vel mineralia ſine igne nata. Haec cum nitro vel natro veterum conueniunt, et facile in cryſtallos formantur, cum vegetabile alcali, niſi minerale acceſſerit, in cryſtallos non abeat. Minerale hoc alcali raro et vix alibi, quam in prouinciis calidioribus, immo ſub zona torrida qua tale conſpicitur, acido vero ſalis in ſale culinari, acido vitriolico in ſale mirabili GLAVBERI, quale eſt non nullorum fontium medicatorum, immixtum deprehenditur. Acidum vitriolicum utrique alcali, acidum ſalis alcali minerali, acidum vero nitri alcali vegetabili facillime iungitur. Sal neutrum, ex acido ſalis et alcali minerali compoſitum, ſcilicet culinare, ab addito nitri acido non reſoluitur, contra, ſi acido ſalis alcali vegetabile iunctum eſt, acidum nitri admixtum ſalis acidum expellit. Alcali minerale nitrum ſiue natrum veterum et ſal perſicum, Auctori oblatum, maxime inter ſe conuenire videntur. Cruſta alba non nulla ſalia media, dum aeri liberiori exponuntur, obducens ex alcali minerali prouenit. Sal alcali minerale natiuum terram coeruleam ſiſtit, ferri veſtigia continentem, qualia

et

et ſoda non nunquam exhibet. Soda praeter ſal alcali minerale vegetabile quoque admixtum habet; Borax alcali minerale alii ignoto ſuperaddito iunctum continet; hoc ſal adhuc ignotum, ab aqua vix ſoluitur, ita, ut minerale alcali, cui hoc ſal parcius tantum ineſt, duplam aquae partem ad ſui ſolutionem exigat, acidis ſine efferueſcentia iungatur, et alcali minerali parcius quoque admixtum, hoc cum acidis alias efferueſcens impedit, quo minus hunc effectum producat. Haec quidem aſſerta per varia et accurate capta experimenta illuſtrantur, et chemicos labores non ſine fructu ab eximio Auctore ſuſceptos hucuſque fuiſſe oſtendunt.

XV.

Hiſtoire de l'academie royale des ſciences, année MDCCXLVI. avec les memoires de mathematique et de phyſique pour la meme année, tirés des regiſtres de cette Academie, a Paris de l'imprimerie royale 1751. 4 mai. Hiſt. 17 pl. Mem. 4 alph. 6 pl. tab. 47.

Hoc eſt:

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1746. cum commentariis mathematicis et phyſicis ad eundem annum pertinentibus etc.

Indefeſſo ſtudio clariſſimi academiae ſcientiarum pariſinae ſocii in componendis et colligendis variis, ad mathematicas, phyſicas et medicas diſciplinas pertinentibus, commentariis et obſeruationibus pergunt, inde vero haud parum adiumenti ſcientiis ipſis ſuppeditant. Noſtrum nunc eſt, ut ex nouiter edito horum commentariorum volumine, phyſico medica, in iis pertractata, argumenta ſeligamus, et, quae prae reliquis notatu digna occurrunt, cum lectori-

bus noſtris communicemus. Pauca admodum inuenimus in hiſtoria, quae non commentariis ipſis inſertam legantur, hinc ae breuiter tantum a nobis indicanda erunt. Commentarios vero ad nos pertinentes, eo, quo in libro ipſo collocati ſunt, ordine enumerabimus.

p. 23. In obſeruationibus, ad phyſicam generalem pertinentibus, eſt LOHIERII ad REAVMVRIVM ſcripta relatio, de punctulis et ſtriis lucentibus, quas d. 14. Sept. hora 7½ veſpertina in veſte ſua obſeruauit et vermiculos lucentes, pro quibus haberi poſſent, non eſſe comperit. Sed quid fuerint, ex deſcriptione intelligi non poteſt, neque ita circumſtantiis omnibus ſtipata eſt obſeruatio, ut multa exinde ad illuſtrandam phyſicam deduci poſſe videantur. Luculae hae tempore pluuioſo in veſte domeſtica e pectoris regione et in humeris viſae ſunt, nullibi in aliis corporis locis, ex quibus vero nihil ulterius colligere naturae curioſus poteſt. * Altera phyſicae generalis obſeruatio limae excidium narrat.

p. 38. Exhibentur porro obſeruationes anatomicae, in quibus legimus:

1. Dn. FOLKES ad Dn. de BVFFON ſcripſiſſe, fuiſſe a D. MICHEL ex noua Anglia animalia quaedam, quibus opoſſum nomen, allata, ſuis adhuc ſaccis incluſa et in vini ſpiritu adſeruata. Additur breuis eius ſacci hiſtoria, modusque exponitur, quo animal hoc in eo per primos quatuor vel quinque menſes ſoleat enutriri.

2. Dn. VACHER duas obſeruationes, quae ad propoſitam, nuper a DVHAMEL de oſſium callo ſen-

* Memorabilis eſt obſeruatio HENKELII de induſio a ſudore lucente, quae ex latino ſermone in germanicum verſa habetur in HENCKELS *kleinen Schriften*, quas ZIMMERMANNVS 1744. edidit, p. 598. ſed huic cum hoc phaenomeno nil commune eſt.

ſententiam confirmandam aliquid conferre dicuntur. Sunt illae ex duobus craniis petitae, e quibus olim quaedam pars modiolo exciſa fuerat.

3. Foetum humanum ſine capite et cum monſtroſis brachiis, dextro in primis, praematuro partu excluſum, a Dn. VACHER MORANDO miſſum et ab hoc academiae exhibitum fuiſſe.

4. Sphaceli et cariei poſt malignas febres ortae et ſanatae duo exempla, ab HECQVETO WINSLOWIO per literas communicata.

5. Hiſtoriam tumoris, qui in puella recens nata pubi adcretus, porcello haud abſimilis viſus, amputatus vero ac inciſus poſtea quidem, non niſi adipoſa moles durior, repertus eſt, quaedam tamen foetus oſſicula continuit.

6. Ea, quae in foetus et duorum infantum recens natorum diſſectione ſingularia ac monſtroſa a Dn. SVE obſeruata ſunt.

7. Hiſtoriam foetus mortui ac putredine corrupti, per anum matris, excluſi, ipſa hac ſuperſtite ac priſtinae ſanitati feliciter reſtituta. Hanc cum MORANDO GVILLERME Chirurgus communicauit.

8. Pumilonis deſcriptionem, a GEOFFROI academiae propoſitam, qui, cum an. cIↃIↃCCXLI. d. XIII. Nov. naſceretur, octo circiter vel nouem pollicum longitudinem, duodecim unciarum pondus non exceſſit; ab eo tempore ad an. cIↃIↃCCXLVI. d. XXV. Iul. increuerat, ut eius longitudo viginti duorum pollicum, pondus vero nouem librarum ſeptemque unciarum deprehenderetur.

9. Breues trium monſtrorum obſeruationes a Dn. CHABELARD ad GVETTARDVM ſcriptas.

1. In Commentariis primum locum occupat NOLLETI *de nouis quibusdam phaenomenis electricis diſſerta-* p. 1.

ſertatio. * Narrat ille MVSCHENBROECKII experimentum, eo quidem tempore, quo lecta eſt, 1746, ad ſtuporem nouum, et alia quaedam de conatibus paralyſin electricitatis ope ſanandi, et de auiculis ictu Muſchenbroeckiano aut Cuneano potius, CVNEVS enim ex primis Leydae familiis oriundus, ſcientiarum et eruditorum amantiſſimus, verus experimenti inventor traditur, occiſis, quae omnia, cum peruulgata iam ſint, et ab ipſo NOLLETO in peculiari de electricitate ſcripto uberius expoſita, hic nos non morabuntur.

p. 23. 2. *De ſtructura equorum ventriculi, et cauſis vomitum in his impedientibus commentatio*, Auctore BERTIN. ** Cum primo intuitu humanum inter ac equinum ventriculum magnum diſcrimen intercedere vix videatur, Cl. BERTIN in huius fabricam paulo curioſius inquirere ſibi propoſuit, ut forte inde quaedam, quae in ipſo adhuc minus recte perſpecta demonſtrataque ſunt, certius cognoſceret. Atque ingratum hunc moleſtumque laborem ita in ſe poſt ea ſuſcepit ac perfecit, ut et ea, quae utrique communia, aut ſingulo propria eſſent, intelligeret, ſimul autem et potiſſimum ut in vulgus quidem noti, ſed quoad cauſas fere omnibus incogniti, phaenomeni veras et indubias rationes erueret; cur nempe equis vomitus moueri concitarique haud poſſit. Igitur ipſam commentationem in duas partes diuiſit, quarum prior ventriculi equini naturam, fabricam, partiumque eum componentium uſum docet. In hac vero ea, quae ad illius ſitum, ad magnitudinem, quadruplo fere ampliorem, quam in homine reperiri ſolet, eamque in duo caua, prominente quadam interius, exterius contra depreſſiori ſede, diuiſam; ad orificii ſuperioris obliquam ac verſus paruam magis

* D. 20 April. 1746.
** D. 17. Dec. 1746.

gis curuaturam inclinatam directionem, ad tunicarum numerum; ac muſculoſae inprimis, robuſtae admodum, tria diſtincta ſtrata, denique et interioris tunicae indolem, quae dimidia alba, dura et calloſa eſt, dimidia contra villoſa exiſtit, certius definiendam faciunt ac pertinent, diligenter accurateque deſcripta ſunt, ac quinque iconibus additis eleganter illuſtrata.

Altera commentationis pars cauſas exponit cur equi vomere nequeant. Quanquam vero in has inquiſiuerit, easque in* commentariis acad. reg. ſcient. pariſ. an. 1733. iam propoſuerit Dn. LAMORIER, tamen, cum hic inter alia valuulam quandam ad orificium ventriculi ſuperius exiſtere, iſtamque vomitum in equis impedire docuerit, Cl. contra BERTIN hanc plane non, ſed aliam longe ac ſingularem illius orificii fabricam deprehenderit, laudem profecto gratiamque promeretur, quod denuo eius phaenomeni rationes curioſius perſcrutari ac explicare voluerit. Inuenit autem ſphincteris quoddam genus, circa ſuperius ventriculi orificium poſitum, cuius etiam ſeſe contrahendi, iſtudque conſtringendi valida vis, mortuo animali remanet, neque in ventriculo contentis exitum per eam viam concedit; porro deprehendit in equis oeſophagum oblique admodum in ventriculum inſeri, ac aperiri eo ferme modo, uti uretheres in veſicam ſolent; denique et ipſius interioris ventriculi tunicae, fabricam haud abſimilem eſſe adſerit illi, quae in corporis animalis partibus ſenſum exquiſitiorem non habentibus reperitur. Ex his itaque ſatis perſpectis equini ventriculi ſingularibus conditionibus, uti docte ſubtiliterque rationes cogit et conficit Cl. BERTIN, cur iſte ad vomitum faciendum concedendumque aptus haud ſit, ita ſimul eas, quas olim LAMORIER propoſuerat modeſte examinat, ac in qua re uterque conueniat diſcrepetue monet, cauſamque diſſenſus humaniſſime oſtendit.

p. 63. 4. Du HAMEL *obſeruationes botanico meteorologicas ad an. 1745. in regione, cui Pluviers en Gatinois nomen eſt, inſtitutas*, cum academia communicauit. Continent illae generales frigoris, caloris, pluuiae etc. ſingulis menſibus viciſſitudines, plantarum quolibet anni tempore varium vegetationis, florendi, fructificationis ſtatum, inſecta denique alia aliaque anni parte frequentiora. His generalis harum viciſſitudinum idea ſubiungitur, deinde ſpeciatim de plantis agitur, a cerealibus initium faciendo, tranſeundoque per reliquas vegetabilium, praecipue quorum oeconomicus uſus eſt, claſſes, quae feris, apibus, inſectis, animalibus manſuetis, quae ruri nutriuntur, acciderunt, exponitur, denique de morbis cum atmoſphaerae ſtatu et tempeſtatibus conne-
p. 81. xis refertur. His ſubiunguntur ſimiles ARNAVD,
p. 88. medici aurelianenſis obſeruationes, item GAVTIERII, Quebeci in Canada inſtitutae. Haec omnia, eo in loco, in quo animaduertuntur, utiliſſima, fruſtra huc tranſcriberentur. Dabimus tamen quaedam generaliori utilitate vel quod curioſiora ſunt, ſe commendatura. Frumenti ſerendi tempus recte ſeruauerant agricolae; neque enim vel pluuiae ingenti copia ceciderant, vel frigus inſigne durante hieme exſtiterat, unde veris initio egregia ſegetum erat facies. Initio iunii nebulae quaedam folia ſegetum infecerunt; morbum, *rouille* vocat Auctor, quem germani *Brand* appellant; ſed quia ſpicae nondum propullulauerant, tolerabilius malum fuit, quod ſi ſpicas adgredi potuiſſet, multo maiorem illis noxam erat adlaturum. Quia ſegetes aqua erant ſaturae, metuebatur, ne ab aeſtu iulii inſigniore efferueſcens haec aqua grana immatura ureret, technico vocabulo galli *echauder le grain* vocant. Sed breuiores fuerunt medii iulii aeſtus, pluuiaeque abundantes refrigerarunt ſegetes. Sed dum toto auguſto pluebat, effectum eſt, ut meſſis, ne germinarent grana, cum

plu-

plurima adhuc humida exiſterent, fuerit inſtituenda. Haec grana, ubi exſiccantur, volumine minora fiunt, unde ex pluribus manipulis minor farinae quantitas habetur, praeter ea etiam multum furfuris parum vero farinae dant, denique humido iam ſatiatae particulae granorum parum aquae, cum ad panis paſtam conficiendam adhibentur, imbibunt. Neque ex granis, quae germinarunt panis bonus efficitur. Ex his iudicium ferri poteſt, quam egregia ad rem oeconomicam ſpectantia, in obſeruationibus his habeantur.

Ex morborum, qui prae aliis ſaeuiiſſe dicuntur, p. 81. numero annotemus, quod autumni tempore dyſenteria in primis multos homines aggreſſa fuerit, plurimis ab initio exitialis, et ipecacuanhae et ſimaroubae, et reliquis omnibus in uſum vocari ſolitis, obedire neſcia, quae vero *vitri antimonii cerati* * uſu ſemper et feliciter et ſecure domita fuit. Ab octo ad decem usque grana datum illud fuit aegris, raro mouit vomitum, ſaepius autem frequentes alui deiectiones ab initio valde liquidas, poſt octo autem vel decem horas in ſalutem aegrotantium conſiſtentioris indolis factas.

Inſeritur hic loci Cl. ARNAVD diarium obſeruationum, de morbis et aeris ſimul viciſſitudinibus *Aureliae* inſtitutarum, quarum etiam illa fere princeps

 eſt,

* Cum noſtratium medicorum non nullis remedium hoc forſan incognitum ſit, formulam, quo modo praeparari debeat, ex Vol. V. Tentam. medic. Edinburgenſ. ubi prima vice deſcribitur, eiusque vires multis obſeruationibus comprobantur, tranſcribere liceat. Recipe vitri antimonii in puluerem redacti unciam unam, cerae flauae drachmam unam. Cera liqueſcat in cochleari ferreo, cumque ille puluis illico adiiciatur; cochlear autem ſuper lenem ignem ſine flamma teneatur, et, quae illud continet, mediante ſpatula per dimidium horae ſine intermiſſione agitentur, dein vero ſuper albam chartam effundantur, terantur poſt ea, et puluis eo modo factus ad uſum ſeruetur.

eſt, cuius iam iam ex Hameliana praxi mentionem fecimus. Vſus autem illius vitri non in dyſenteria ſolum fuit inſignis, ſed feminas quoque nimio menſium fluxu debilitatas iuuit. Aegris, clyſteribus antea et hauſtu lenitiuo ad eius uſum praeparatis, ſex vel octo eius grana cum roſarum conſerua poſt alterum diem, uno ſemper vacuo relicto, propinauit, veſperi autem anodynum; ter quaterue interdum illud repetere coactus, curationem denique, ſi dolores adhuc remanſerint, leni opiato finiit. Ex omnibus talibus aegris, quorum ſupra quinquaginta curam habuit, ne unum quidem mortuum eſſe teſtatur. Quos corripuerat apoplexia, vena ante datum emeticum ſecta, mortui ſunt, ex iis autem, quibus motus fuerat ventriculus, poſt eaque ſanguis detractus, quidam ſeruati ſunt, cuius rei cauſam in aere humido, ventriculum laxante, ideoque digeſtionem impediente, quaerit Cl. Auctor, ſed non determinat apoplexiae genus et cauſam proximam, num ſeroſa fuerit, an ſanguinea, a ſanguinis redundantia, an a ſeroſa colluuie orta?

p. 88. 5. Ex *Canadenſibus obſeruationibus* adducere liceat,* incolis eius regionis hyemes minus ſeueras videri, quam olim fuerunt, quod inde eſſe exiſtimat, quia, exciſis ſaltibus, plurima olim ſylueſtria loca iam coluntur. Martii die 20 et 21 anni 1746, fulgura et tonitrua Canadenſes non terruerunt tantum, ſed in templum aliquod coeleſtis ignis decidit, militisque emeriti caput combuſſit, unde effectum eſt, ut parietalia duo oſſa nudarentur, exfoliatioque illorum ſequeretur, neque adhibitis etiam remediis, d. 24. aug. ulcus adhuc cicatrice obductum fuerit. Exeunte aprili veris aduentum Canadae hirundines aliaque adnunciabant, plantae vero ſub ipſa niue germinabant, ſub qua tuliparum et narciſſorum folia quatuor

* D. 15. Iun. 1746.

quatuor digitis longiora GAVTIER reperit. Frumenti ſatio ſub finem aprilis in Canada peracta eſt, meſſis ſeptembris initio. Semper enim pluuioſis his menſibus ad maturitatem fruges in Canada perueniunt. Culturae regionis denuo adſcribitur, quod vere nouo citius reuiuiſcat tellus, hyems vero ſerius ingruat, quam olim, ut ſpes ſit, ſolo continuo magis magisque exculto ipſum coelum quoque mitius futurum.

6. *Experientiae, quae docent, radices plurium plantarum, illius claſſis, in qua rubia collocatur, etiam oſſa rubro colore tingere, et quod haec proprietas omnibus iſtius claſſis plantis videatur communis;* Auctore GVETTARDO.* Tradita a multis fuit regula; plantae quae charactere generico conueniunt, eandem etiam exſerunt virtutem. De hac itaque cogitans Cl. Auctor, periculum fecit, an et aliae, rubiae congeneres, plantae eundem effectum praeſtent. Et en in inferiori Poituenſi tractu *gallium flore luteo* inuenit, cuius radices et magnae erant, et ſatis longae, rubicundo colore praeditae; incolae quoque huius regionis retulerunt, illam ad rubrum colorem ouis conciliandum adhiberi. Huius itaque radicis in puluerem redactae et cum farina remixtae certa quantitate aluit pullum gallinaceum, et oſſa roſeum colorem, ac ſi rubia aſſumpta fuiſſet, oſtenderunt; cartilagines vero et membranae immutatae, et faeces rubicundo colore imbutae erant. Felici huius experimenti ſucceſſu incitatus GVETTARDVS, alia inſtituit, et *gallii flore albo*, et *flore luteo*, quod in agris pariſinis creſcit, et *aparines vulgaris* radices adhibuit, illasque deglutiendas pullis dedit. Alius gallii albi radicis, duodecim deuorauit drachmas, alius ſex modo drachmas radicis gallii flore luteo, alius denique in eadem quantitate aparines radices p. 98.

 aſſum-

* Anno 1746. d. 22 menſ. decembr.

aſſumſit, omni die drachma una propinata. Prioris oſſa pallide roſea quodam modo erant, ultimus iam magis rubicundum colorem in oſſibus oſtendit, et ita etiam tincta erant illius, qui gallii lutei radicem deuorauit. Indicatam vero colorum diuerſitatem non a radice comeſta dependere, ſed ab aliis potius cauſis produci exiſtimat Cl. Auctor; ipſe forte animalium habitus multum confert, ut aſſumtae radicis effectus variare poſſint. Illi gallinacei pulli, qui gallii utriusque radice nutriti fuere, macilenti reddebantur, et coacti modo illam deuorabant; Ille vero, qui aparines radicem et cum appetitu quidem degluttiebat, mole corporis auctus conſpiciebatur. Cl. IVSSIEV in ſingulari diſſertatione affirmauit, aparines vulgaris ſemina easdem ac coffeae habere proprietates, an itaque et coffeae radix et aparines virtute inter ſe conueniant, experiri quidem voluit GVETTARDVS, radice vero deſtitutus haud potuit. Pabulum itaque modo ex toſtis coffeae ſeminibus paratum duobus dedit pullis, ita ut quilibet tres deuoraret uncias; oſſa vero immutata et albida deprehenſa fuerunt, dum tabidos illos factos mortuosque examini ſubiecit. Dum vero viſcera perluſtraret Auctor, deprehendit veſiculam felleam capacitate auctam, ita, ut volumine veſiculam indici galli aequaret, praeter ea pedes atque crura inflata erant at-
p. 102. que turgida. Cel. DVHAMEL pullum gallinaceum cum anchuſae radicis puluere aluit, et quoque obſeruauit, macilentum fieri pullum, oſſa ad cutis rupturam intumeſcere, naturalem vero in illis colorem ſuperſtitem manere. Atque ex his experimentis varias profert quaeſtiones GVETTARDVS, an ſcilicet anchuſae radicis partes tam craſſae, ut ad oſſa penetrare nequeant, aut tam ſubtiles ut intra oſſeas partes retineri non poſſint? aut colorem mutent in digeſtione? ad quas vero aliasque plures ſe haud reſpondere poſſe, lubenter fatetur. Cochenillam tandem

dem cum furfure mixtam gallinis exhibuit, ſine omni tamen mutatione oſſium, ſola modo excrementa rubicundo colore erant tincta; inprimis vero urinam mutatam fuiſſe credidit, et cum haec res in volatilibus vix rite intelligi poſſit, quadrupes animal elegit, experimentum repetiit, et idem expertus denuo fuit. Vt plura cum aliis rubiae congeneribus plantis inſtituta experimenta in poſterum exhibere, inſimulque plantas, quas adhibuit, non modo nominare, ſed et, quo omnis confuſio euitetur, rite determinare velit Cl. Auctor, optamus.

8. *Analyſis aquarum ſaponacearum plomberianarum;* Auctore Cl. MALOVIN.* Academia ſcientiarum pariſina inter alias diſquiſitiones examen quoque aquarum mineralium Galliae ſuſceperat, cuius nomine Dn. DVCLOS iam anno 1675. tractatum de aquis mineralibus Galliae ediderat. Cum vero temporibus iſtis Lotharingia prouinciis Galliae nondum eſſet adſcripta, relictam exinde aquarum mineralium plomberianarum hiſtoriam reliquis nunc addit Cl. Auctor. Aquae hae minerales duplices ſunt, calidae nimirum, ſulphureae dictae et frigidae ſaponaceae appellatae; de illis alia occaſione dicturus Auctor nunc tantum frigidas examinandas ſibi ſumit. Limpidae eae ſunt, ut aqua communis, nec odore ingrato, neque guſtu adverſo diſplicent; licet enim ſtringens quidam ſapor percipiatur, ille tamen ingratus bibentibus non eſſe videtur. In vitris collecta haec aqua ſedimentum deponit, ſimile illi, quod poſt euaporationem eiusdem aquae apparet. Peculiarem inſimul eam illud habet proprietatem, ut aqua calida reddita aſcendat, et eadem iterum refrigerata fundum denuo petat. Ipſa aqua in ſcaturigine non niſi hyeme anni 1743. congeluit. Experimenta Auctoris Pariſiis quidem, cum aqua tamen, prope ſcaturigi- p. 109.

* D. 14. dec. 1746.

nem in vitris puris collecta, inſtituta fuerunt. Cum alcali fixo aeque ac volatili tentata acidi praeſentiam non oſtendit, neque lac, ſi cum ea coquatur, coagulat; tincturas violaceas non rubras, ſed potius in viridem colorem vergentes reddidit; quod, licet alcali praeſentiam indicet, acida tamen aquae admixta nihil ex ea praecipitarunt. Ferrum, ſi continet, exiguam admodum eius portionem admixtam eſſe debere ex eo apparet, quod color aquae gallis infuſae non immutetur. Solutio mercurii ſublimati immiſſa limpidam eam reliquit, in ſuperficie tamen cremor oleoſus, quaſi bitumen globulis mercurii unitum, notatus fuit, ipſe etiam cremor cuprum album reddidit, aqua vero euaporata, ſedimentum in fundo dedit, quod prunis admotum flammam concepit, et odorem bituminis, per mercurium ſublimatum quodam modo mutatum, exhibuit. Experimenta cum mercurii in ſpiritu nitri facta ſolutione, et alia, quorum ope vitriolicum aeque ac ſalis communis acidum, nec non ſulphuris regenerati veſtigia his aquis ineſſe deprehendit, cum ea dubia adhuc nobis ap-
p. 117. pareant, hic omittimus. In deſtillatione medicatae huius aquae primo quidem per alembicum aſcendit aqua communis, poſt ea, cum nec guttas neque ſtrias aut vapores ulterius in alembico obſeruaret Auctor, vas recipiens mutauit. Aqua, in cucurbita relicta, antea limpida, nunc turbida et albida apparebat, deſtillatus vero ex ea liquor amari erat ſaporis, aqua vero per deſtillationem deinde educta, cum plus bituminis contineret, tincturas violaceas virides magis reddebat. Reſiduum, in cucurbita relictum, cum ſedimento per euaporationem accepto conueniebat. Inter alia vero experimenta, quae cum ſedimento inſtituit, illud in vaſe fuſorio, aucto ſenſim igne agitauit et incandeſcente iam vaſe flammam ſulphuris coeruleam ex ea aſſurgentem animaduertit, et ex hocce phaenomeno ſulphur, ex acido vitriolico et bi-

tumine

tumine compoſitum, hac ratione eductum fuiſſe colligit, ita tamen, ut dictum hoc ſulphur aquae, qua tale, non inſit, ſed ex principiis componentibus, in aqua praeſentibus, ita generetur. Reſiduo in vaſe fuſorio ſpiritum nitri addidit, et ex percepto abinde hepatis ſulphuris odore ſalis alcalini fixi praeſentiam intellexit. Sedimentum aquarum, per retortam deſtillatum, ſulphur minerale in collo exhibuit, liquor inſimul pinguis, quem ſpiritum volatilem urinoſum appellat, aſcendit. Vt vero modum declararet Auctor, quo ſpiritus eius modi urinoſus in mineralibus aquis oritur, varia inſtituit experimenta. Nimirum ex terra quadam ſmyrnenſi, ſodae ſimili, vel ex ſoda ipſa cum petroleo mixta et deſtillata ſimilem ſpiritum urinoſum eduxit. Creta, licet cum petroleo mixta et deſtillata hunc liquorem non dederit, per plures tamen dies digeſta ſimilem tandem ſpiritum exhibuit. Sedimentum etiam via, ut dicitur, humida diſquiſiuit, primam ſolutionem aquoſam, pinguem, alteram vero minus pinguem deprehendit; haec, acido vitriolico tentata, odorem croceum ſpiritus ſalis, et praecipitatum terrae cuiusdam alcalinae exhibuit, cuius phaenomeni eam eſſe dicit rationem, quod acidum vitriolicum facilius cum bitumine, quam cum terra alcalica coniungatur. Solutio ſedimenti copioſa, euaporata, ſal tandem mirabile GLAVBERI, et aliud, ad naturam ſalis communis accedens, praebuit, de cuius natura non nulla ſubiungit Cl. Auctor, et aquas ſaponaceas ipſas euaporatas, ob copiam bituminis cryſtallos ſalinas vix dediſſe notat. Sedimentum, poſt has ſolutiones relictum, in vaſe fuſorio excandefactum, ferri veſtigia in cultro magnetico demonſtrauit, et in ſpiritu vitrioli ſolutum, addito puluere gallarum, colorem nigrum aſſumſit, quem tamen dictus hic puluis aquis ſaponaceis ipſis ex eo non conciliat, quod acidum vitriolicum bitumini firmiter adhaerens, reſinam gallarum

p. 120. p. 122.

intactam relinquit. Tandem et terram, ab omnibus hiſce experimentis ſuperſtitem, ſtudioſe diſquiſiuit, et alcalinam abſorbentem eam eſſe inuenit, quae etiam facilius funditur et vitreſcit, quam aliae ſimiles terrae. Continent igitur hae aquae ſaponaceae bitumen, cum petroleo conueniens, vitriolum martis, ſal marino ſimile, terram abſorbentem et alcali, quod ad ſodam accedit. Haec dicta principia mixta in ſcaturigine ſunt, quando vero aquae ad alia loca transuehuntur, vitriolum martis et parum alcalini ex iis praecipitatur, quod cum acido vitriolico combinatum, ſal mirabile GLAVBERI efformat, in aquis ad fontem, qua tale, non praeſens. Ex dictis huc usque Cl. Auctorem accuratam ſatis harum aquarum diſquiſitionem, licet in loco ipſo ea non facta ſit, inſtituiſſe lectores perſpicient.

p. 151. 10. *Hiſtoria morborum epidemicorum anno 1746. Pariſiis una cum aeris viciſſitudinibus obſeruatorum;* Auctore Cl. MALOVIN. Aerem, quo modo ſe habuerit quouis die ſingulisque menſibus, eiusque viciſſitudines, una cum morbis, quales tum ſaeuiuerint, et cum aegrotantium numero, dein quaeuis anni tempora, qualia fuerint in genere conſiderata, et quales ſecum duxerint morbos, licet nondum aſſerere velit Cl. Auctor, num omnes quoque hi morbi ab aere prouenerint? tandemque anni qualis in genere fuit ratio, annotauit. Numerum deinde aegrorum, et mortuorum, marium et feminarum, et morborum alterutrum et utrumque ſexum affligentium, per ſingulos menſes animaduertit, illum porro menſem, quo mortuorum in genere, tum vero, quo marium, tum quo feminarum, minor vel maior copia extincta fuit. Miramur autem, cur tabulam mortuorum ſecundum aetatis annos non adiecerit ſolertiſſimus Auctor, quam haud exiguae tamen utilitatis eſſe opinamur. Cum et fecunditatem hominum iuuet aut impediat

pediat diuerſa aeris conſtitutio, hinc recenſuit quoque Cl. Auctor infantum per totum annum in genere, deinde per ſingulos menſes, natorum numerum, tum collectiue tum diſtributiue, filiorum, filiarum, ex matrimonio honeſto, vel ex illegitimo coitu ortorum, tandemque, quotnam ſingulis menſibus inita fuerint matrimonia. Thermometro uſus fuit REAVMVRII, frigoris gradum ab illucente die, caloris autem a tertia poſt meridiem hora determinans. Ex modo dictis patet, quaenam methodus a Cl. Auctore fuerit adhibita, et quam ſolers fuerit, ut obſeruationes ipſius utiles fierent; quas vero ſingulas iam enarrare, et nimis foret longum, nec, uti quidem Pariſinis, nobis utile: quasdam igitur tantum, easque ſingulares nobis viſas, tradere iuuabit. Menſis ianuarii tempeſtas humida atque frigida, et auſter fere continenter per totum menſem flans, ſingularem excitarunt anginam malignam, epidemicam, infantili aetati in primis infenſam, ſaepiusque funeſtam, ab aphtharum morbi natura proximam, illo ſymptomate in primis conſpicuam, quod aegrotantes cum tuſſi reiicerent membranarum ſuppuratione exeſarum particulas, quoad reliqua probe ab Auctore deſcriptam, illi ſimilem, quam deſcripſit M. A. SEVERINVS in tractatu *de paedanchone maligna*, quae 1618 Neapolitanum regnum depopulata fuerat, easdem tum temporis cauſas ſecuta. Cum Cl. Auctor vero morborum epidemicorum, huiusque morbi ſimul prolixiorem hiſtoriam promittat, eiusque etiam a nobis iam facta ſit mentio, * longiores hic loci

* Idem morbus eſt, ni fallimur, quem deſcripſit Cl. GARNIER in quaeſtione medica: *An anginae gangraenoſae emeticum?* vid. horum Commentar. Vol. I. P. I. N. XIV. p. 91. Vid. quoque: *Diſſertation hiſtorique ſur l'eſpece de mal de gorge gangreneux*, par M. CHOMEL, a Paris 1749. 12. *Deſcription du mal de gorge accom-*

loci eſſe nolumus. Menſe februario, qui praecedente minus quidem humidus, ſed frigidior fuit, homines infeſtauit pleuritis, de qua notamus illud ſingulare, quod carpus cum ipſa manu dolenti lateri oppoſitus, poſtquam ſanguis ex ipſius brachii vena miſſus fuerat, turgidus fuerit factus, dolore ex priore loco affecto in hunc transmigrante, manu tamen poſt triginta horas ſponte liberata. Feminae autem hoc morbo decumbentes, inſtante fluxu menſtruo vena in brachio ſecta, in delirium ſuae indolis rapiebantur, interrogatae enim recte et apte reſpondebant, illico, ſi verteretur ad alios ſermo, delirantes. Africi venti per martium flantes largos attulerunt imbres. Quo menſe, praeter febres tertianas duplicatas epidemicas, quodam modo malignas dicendas, alius epidemicus morbus puerperas, in primis quas receperat noſocomium, *l' hotel de Dieu*, infeſtauit, diarrhoeae ſcilicet quoddam genus diu durans; in ipſo autem partu, aqua amnii effuſa, uterus ſiccus, durus factus eſt, dolores eum, deinde etiam inteſtina, corripuerunt, lochiis ſuppreſſis, abdomine tenſo, dolente capite, accedente non nunquam tuſſi, mammis tertio quartoue a partu die flaccidis factis, aegris tandem quinto aut ſeptimo die ex vita diſcendentibus. Cadaueribus inciſis, inteſtina atque uterus apparuerunt inflammata, ouaria non nunquam ſuppuratione exeſa, in abdominis autem atque pectoris cauitatibus ſerum, lacti ſimile, effuſum, uti et in pulmonibus, ſi inciderentur, ſimile liquidum purulentum. Vnius harum feminarum quoque dextri lateris ouarium ſteatomatis genus pilis refertum oſtendit. Menſis quoque modo dictus maximam per totum annum mortuorum, ſimul vero etiam neonatorum copiam; contra vero ſextilis, cuius tem-

accompagné d' ulcéres, traduite de l'anglois de JEAN FOTHERGILL par M. de la CHAPELLE, a Paris, 1749. 12.

tempeſtas non adeo ac praecedentium menſium fuit mutabilis, eorum, qui vitam poſuerunt, minimam ſuppeditauit. Per ultimos tandem huius anni menſes graſſatae ſunt febres tertianae duplicatae, facile in continuas, et ex parte malignas ab Auctore dictas, degenerantes; quorum aegrorum ſanguis emiſſus viſcidus fuit atque albidus, quo ex ſigno Cl. Auctor certe iudicat, quod febres illae complicatae dicendae ſint ad naturam catarrhalium inclinantes, cum in malignis alias ſanguis ruber et ſiccus eſſe ſoleat. Sub finem denique annum in genere eiusque tempeſtates et reliqua fini ſuo conuenientia diiudicat Cl. Auctor, cuius labores omnino utiles eſſe poſſunt, adeo ut merito optemus, velint medicorum plures, illius exemplo adducti, easdem inſtituere et notas facere obſeruationes, quibus ſine dubio arti in primis ſalutari et citius et firmius augmentum conciliari poterit, quam inanibus argutulorum diſceptatiunculis.

12. *Obſeruationes de cauſis morborum lethalium, qui ad oram maritimam prouinciae, quae Occitania inferior, ſeu Languedocia vocatur, graſſari ſolent.* Auctore Cl. PITOT. * Febribus putridis, aliisque morbis mortiferis, qui a longa inde annorum ſerie veris atque autumni tempore infimam huius prouinciae partem depopulantur, commotus Cl. Auctor in cauſam huius contagii inquiſiuit, obſeruationibus prouinciae conſulum et miniſtrorum eccleſiae, eadem de re ſollicite factis, adiutus; eamque ſolam et ſemper in aquis paluſtribus, ſtagnantibus, corruptis, plantarum et piſcium putreſcentium copia inquinatis, inuenit, quarum putridis exhalationibus aer corrumpitur, quibus deinde in pulmones hominum inſpirando ductis, ſanguis eorum inficitur, febres excitantur longae et rebelles, et alui obſtructio, quae, ſi abdomen tumidum ſit atque liuens, mortem inſta- p. 182.

re

* D. 30. Iulii 1746.

re ſignificat. Quod autem aquae in tot locis ſtagnent, ea prae aliis cauſa eſſe cenſetur, quod piſcinarum, lacuumue potius dicendorum, *étangs*, circa has oras frequentium, plurimi non ſatis cum ipſo mari communicent, id quod ex illo praeſertim tempore factum eſt, ex quo commercii cauſa varii, per prouinciam ducti, canales inter ſe iuncti ſunt. Illo quoque tempore, quando mare praealtum eſt, aquae ſuperfuſae deſcendunt in campos, ſuperſtagnant, paludes limoſas efformant, per aeſtatis feruorem valde puridas factas, in quibus piſces pereant, et corrumpantur, neceſſe eſt. Altera cauſa eaque ſat grauis eſt, quod, cum omnes fere campi valde depreſſi, et inundationibus obnoxii ſint, incolae, qui eos poſſident, terras has exſiccant, atque grandibus et altis foſſis circumdant, quae illis ipſis, cum mari per canales, in eius littore inciſos, *graux* in prouincia dictos, communicantibus, piſcinis, ſiue lacubus, *étangs*, profundiores ſunt, quare aquae in iis contentae defluere nequeunt, ſed conſiſtere atque corrumpi debent. Quas ob cauſas, ne corrumpantur aquae, atque ſimul ut aer purus ſeruetur, ſuadet Cl. Auctor, ut primum mari, atque iam dictis lacubus liber aditus fiat ad illa loca, quae per aquarum defluxum penitus ſiccari nequeunt, ideoque haec prorſus immergantur; deinde ut, quae ſicca reddi poſſunt, ex omni parti exſiccentur, idque non per euaporationis modum fiat, ſed ita, ut aqua ex iis deriuetur. Effluuia iſta non adeo nociua forent, ſi terrae fundus eſſet ſabuloſus; cum vero limoſus et paludoſus ſit, muſco, plantis et piſcibus mortuis, refertus, fieri non poteſt, quin metus ſit, ut, aere illo corrupto, uniuerſa tandem regio inficiatur, niſi regis auctoritate atque auxiliis cauſa haec peſtifera tollatur. Quo autem modo illud commode fieri poſſit, variis exemplis probat Cl. Auctor, ubi, magiſtratuum iuſſu, littore in diuerſis locis inciſo, neceſſaria iam

diſpu-

diſpoſita ſunt, quae omnem omnino laudem merentur.

14. *De plantis paraſiticis* commentarium alterum exhibet Cl. GVETTARD. * Primas de paraſiticis plantis diſquiſitiones an. 1744. publicauit Cl. Auctor, atque tunc rationem docuit, qua cuſcuta illis vegetabilibus adhaeret, ex quibus ſuum haurit nutrimentum; atque nunc in eiusdem claſſis plantis examinandis ulterius pergit, aliasque curioſius diſquiſiuit. Plures ſane ſunt plantae, quas varii, et MORISONVS in primis, ad paraſiticarum familiam retulerunt, ut eſt limodorum, orobanche coralloides &c. Experientia vero contrarium docuit. Refert enim GVETTARDVS *Limodorum* vaſi immiſſum, in quo nulla alia erat planta, cuius radicibus potuiſſet adhaerere, nouos tamen, prioribus amiſſis, protrudiſſe caules; hinc et concludit radices huius ita conſtructas eſſe, ut ex terra immediate nutritium ſuccum ſugere poſſint. Quas itaque modo Cl. Auctor contemplandas ſibi ſumſit, ſunt: *Orobanche*, *Hypociſtus*, *Clandeſtina*, et *Orobanchoides*. Sunt hae certe ex earum numero, quae ſe aliarum radicibus adnectunt, quaeque ſub terra, ubi maximam vitae partem agunt, creſcunt ac ſeſe multiplicant. Subſtantia earundem craſſa eſt dura atque fragilis, inferior caulis pars ſquamoſum ſiſtit bulbum, pro ſpecierum diuerſitate plus minusue magnum, habent etiam illae plures pauciorесue radices, ſtructura caudici ſimiles, earum vero magnitudo non ſemper ipſis plantis proportionata deprehenditur. Singulare certe radicibus inſtructam eſſe paraſiticam plantam, ſuſpicatur vero Cl. Auctor hoc forte ſubſidio opus eſſe in eo caſu, quo accidit, ut ſeparetur planta ab illa, a qua nutritur, tunc forte illae elongari, et alibi denuo adhaerere poſſent ſuis papillulis, quae illis ſimiles inueniuntur, quas in clan-

p. 189.

* D. 8. auguſt. 1746.

clandeſtina et orobanche conſpexit GVETTARDVS. Hiſce vero, modo dictis, plantis reuera aliqua intercedit analogia cum cuſcuta; papillulae enim, quibus aliis vegetabilibus adhaerent et nutrimentum ca-
p. 192. piunt, maxime inter ſe conueniunt. Poſſe itaque paraſiticarum ſubterranearum plantarum familiam in duas diſtinctas claſſes diuidi monet Cl. Auctor, una erit illarum, quae inferiori caulis extremitate ſimpliciter plantae nutricis radicibus adhaerent; ad alteram vero eae referendae erunt, quae papillularum
p. 191. beneficio adnectuntur. Papillularum, de quibus nunc diximus, figura proxime ad conicam accedit, et in internis radicum partibus collocatae ſunt, conſtant illae praecipue ex parenchymaticis veſiculis, et in medio modo faſciculum longitudinalium fibrarum continent; fibrae hae inſtrumentum ſugendo aptum ſiſtunt, ut in cuſcuta curioſe deſcripſit Cl. Auctor. Inſertio extremitatis caulis paraſiticae plantae in nutricis radicem ſingularem ſane oſtendit mechaniſmum. Mirum omnino videtur, quo modo mollis ſubſtantia et naſcens quaſi radix ſolidiorem formatamque radicem aperire, penetrare, et ex ea alimentum ſugere poſſit; coniunctio tamen fit ſingularibus ex naturae legibus; paraſiticae plantae parua radix, nutricis radicem urget, preſſione hac motus humorum in certo poſterioris loco coercetur, cuticula magis magisque fit tenuis, refluunt ſucci ad latera, ibique formant tuberculi genus, poſt ea, epidermide aperta, paraſiticae radix cortici ſe inſinuat; minime vero integra radix hanc radicem ingreditur, fibrae modo in centro poſitae hanc ineunt coniunctionem, cortex vero baſeos aliquam ſpeciem circa inſertionem format, id quod ad papillarum cuſcutae ſuctionem
p. 199. proxime accedit. Loco, ubi hae plantae cohaerent, inciſo, cauitates inueniuntur vel transuerſaliter vel longitudinaliter factae, et inter utriusque fibras animaduertitur interſtitium, diſtingui vero minime poſ-

ſunt

ſunt eae, quae ad paraſiticam plantam pertinent, ab illis fibris, quae plantae ſunt, a qua nutritur. Id ſaltem intelligitur, orobanchoidem multo parciores emittere hypociſto, et hypociſtum orobanche, hinc et orobanche reliquis multo firmius adhaeret, facilique negotio auellitur orobanchoides. Exiſtimat etiam Cl. Auctor fibras in nutrientem plantam penetrare pro ratione temporis, per quod paraſitica planta nutrienda eſt; ſi annua, fibras vix per corticem penetrare, ſi vero perennis, illas lignoſam radicis partem attingere, deprehendit.

Paraſiticae plantae inſertio eundem fere effectum p.200.
producit, quem inſectorum non nullorum punctura edit, naſcuntur hic tubercula, gallae, aliaque tumorum genera; omne vero malum, quod hac humorum perturbatione efficitur, in eo conſiſtit, ut haec ipſa nutrientis radicis pars emoriatur, nullo vero damno ad reliquam plantam redundante. Singulare quid in orobanche, ramoſa dicta, euenit, dum per papillulas, quibus inſtructa eſt, cum aliis eiusdem baſeos radicibus, vel eiusdem ſpeciei diuerſis baſibus coniungitur; atque hoc ipſum minus attentum obſeruatorem in errorem poſſet adducere, eique iniicere opinionem, orobanches radices, quae aliquando valde remotae deprehenduntur a planta, a qua nutriuntur, ex terra immediate nutrimentum haurire. Verum, curioſius ſi examinantur, apparet, quasdam primi rami radices radicibus quibusdam ſecundae ramificationis, et ſecundam tertiae, hancque aliquando quartae eſſe unitas, quae ipſa demum plantae nutrici adhaeret. Maxime quoque notari mere- p. 204.
tur, caules harum plantarum perfecte iamiam formatos, ſubter terra manere, usque dum flos prorumpere debet. Sic *clandeſtinae* caules perfecti, explicatis foliis cincti, a menſe ſeptembri in terra latitant, licet ante martium et aprilem vix e terra exeant floreantque. Hae itaque plantae, inter illas, quae ſem-

per ſuper terra inueniuntur, et inter illas, quae continuo ſub terra reconditae ſunt, medium tenent locum. Et haec ſunt, quae ad phyſicam harum plantarum conſiderationem ſpectant, erit vero haec longe perfectior, ſi icones ſimul intueri licet. Plura adhuc Cl. Auctor profert, quae damnum, quod plantae adferunt, et medicinas adhibendas concernunt. Multi, inter quos in primis MICHELLI, de damno agris cannabinis ab orobanche illato conqueruntur; et ſane fieri omnino debet, ut vires plantae, a quibus nutrimentum hauriunt, infringantur, hinc et opus erit, auxilia quaerere, quibus huic morbo mederi poſſit. Orobanche ramoſa facillime ſe propagat, in primis ubi cannabis creſcit; optimum itaque eſſet, ſi caules omnes, quantum ſuper terra eminent, frangerentur, idque iunio, et iulio menſe, hac certe ratione eius propagatio cohiberetur. Verum dolendum, eo anni tempore cannabim nimis iam adoleuiſſe, ita ut eiusmodi agros ingredi vix liceat. Facilius itaque auxilium proponit GVETTARDVS. Non cannabi modo, ſed et aliis plantis ſe applicat, ſuumque nutrimentum haurit orobanche, poſſit ergo eodem tempore, quo cannabis ſeritur, et alius plantae ſemen ſeri, quae, ſine eo, ut noceat, paraſiticis ibidem reperiundis plantis nutritium ſuccum ſimul exhibere poſſit. Experientia itaque docebit, quaenam eligenda ſit.

p. 201.

p. 223. 16. *Diſquiſitiones de arſenico.* Commentarius prior; Auctore Dn. MACQVER. * De arſenico dicturus, mox in principio monet, hoc naturae productum, interdum ut ſal corroſiuum, interdum ut metallicum corpus, interdum ut maſſam ex utrisque compoſitam conſiderari, variisque nominibus inſigniri, in quibus definiendis non ſollicite verſatur Cl. Auctor, cum de arſenico tantum albo cryſtallino, quod ex

* D. 29 nov. 1746.

ex cobalto eruitur, ſe agere velle declaret. Hoc quidem ſaepius iam cum metallicis corporibus tentatum fuit, partim quod mineris, ex quibus alia metalla educuntur, admixtum deprehenditur, partim, quod per illud nobiliora metalla reddere conati ſunt docimaſtae, noſter vero illud, cum ſalibus variis tentatum, quo modo ſeſe habuerit, diſquiſiuit. Arſenicum eodem modo, ut acidum vitriolicum, in nitrum agit, expellendo nimirum acidum nitri ſpiritum, qui, dum in recipiente vaſe et aqua eidem immiſſa cogitur, colore coeruleſcente praeditus conſpicitur. Imitatus eſt Auctor STAHLII et KVNCKELII experimenta, ſed ulterius quoque progrediens arſenicum, cum baſi nitri alcalina coniunctum, quod in retorta remanſerat, ſoluendo et euaporando in cryſtallos priſmaticas quadrangulares rectangulas, in apicem pyramidalem ſimilem deſinentes, coegit. Eſt hoc verum ſal neutrum, a nitro fixo arſenicali ſiue arſenico fixo, plerumque ſic appellato, in eo tantum diuerſum, quod hoc ultimum ſemper alcaleſcat. Hoc ſal medium, arſenicale, in retorta, vehementiſſimo licet igne agitatum, nec funditur, neque arſenicum ſublimatum praebet, immo tunc adhuc perſiſtit, quando acida tria mineralia ipſi adduntur, in igne tamen libero et arſenicum diſſipatur, et id, quod remanet, humiditatem facile attrahit. Licet vero arſenicum, hoc modo fixum redditum, ſal neutrum conſtituat, metallica tamen, in acidis liquoribus ſoluta, corpora, dum iis admiſcetur, praecipitat. Metalla nimirum, in acido nitri ſoluta, ita inde praecipitantur, ut mercurius flauum, ferrum ex albo flaueſcens, plumbum album, argentum purpureum praecipitatum exhibeant, cuprum vix praecipitatur, ſed liquorem tandem opacum, ex albo coeruleum, zincum vero coagulum album, transparens, bismuthum denique praecipitatum album dedit. Solutio vitrioli coerulei praecipitatum viride, ſaloris colore p. 227.

 prae-

praeditum, (*celadon*) vitrioli vero viridis, quae ab initio vix turbabatur, coagulum poſt ea ex nigro virideſcens exhibuit. Stannum et regulus antimonii, in aqua regis ſoluta, praecipitatum album, quorum prius in ruffum inclinabat colorem, ſiſtunt, auri vero et mercurii ſublimati corroſiui ſolutiones non turbabantur. Quo haec eo melius perſpici queant, cum arſenico fixo vulgari ſimilia quoque Cl. Auctor inſtituit experimenta, ſolutiones, cum acido nitri factae, ſequentia praebuere phaenomena; mercurius flauum, ferrum ruffum, plumbum album, argentum purpureum, cuprum vero ex albo coeruleum dederunt praecipitatum, zincum non coagulum, ſed praecipitatum album exhibuit; bismuthum, vitriolum coeruleum aeque ac viride, ſuperius deſcriptis experimentis et hoc in caſu ſimilia fuerunt; aurum, ſtannum, et regulus antimonii eodem modo praecipitabantur, quo ab alcali fixo alias fieri ſolet, mercurius ſublimatus praecipitatum citri coloris dedit.

p. 228. Factis hiſce experimentis animaduerſiones ſubiungit Cl. Auctor, ex quibus, cum omnes repetere nimis longum foret, variae praeter ea ex eo iam ſatis commode omitti in praeſenti poſſint, quod eas in aliis ſubſequentibus commentariis, per experimenta noua illuſtrare ſe velle promittat, pauca tantum indicare nunc liceat. Arſenicum, hac methodo fixum redditum, ſal neutrum eſſe, et alcali eius mixtionem ingreſſum nullo modo liberum fieri poſſe, ex eo oſtendit, quod illud ſolutionem auri et mercurii ſublimati non mutauerit, hinc antea dictas praecipitationes a duplici affinitate produci colligit, acidum ſcilicet, quod metallum ſolutum tenet, cum baſi alcalina noui huius ſalis, arſenicum vero cum metallo combinari, exinde etiam cauſam petendam eſſe, cur ferrum praecipitatum arſenicum ſimul rapiat, illud enim, quod ruffum eſſe debebat, colorem in album nunc vergere facit. Eadem porro haec experimenta poſſi-

poſſibilem mercurii cum arſenico, ex indicata affinitate deducendam, coniunctionem comprobare videntur. Cum autem alcali varia ratione arſenico iungi poſſit, coniunctionem hanc via etiam humida tentauit Cl. Auctor; in lixiuio nimirum ſaturatiore nitri fixi inſignem arſenici copiam diſſoluit, maſſa, quae conſiſtentiam glutinis et colorem obſcure brunum habebat, nouo ſemper arſenico ita ſaturari potuit, ut tandem ſolida fere euaſerit. Maſſam hanc, odore ingrato praeditam, hepar arſenici ad imitationem hepatis ſulphuris appellauit, quae, quamuis refrigerata dura et fragilis euadat, aeri tamen expoſita humiditatem tandem attrahit; ea in aqua diſſoluitur, remanent tamen flocculi bruni, qui diu etiam cum aqua cocti ſolui tamen abinde non poſſunt. Iidem hi flocculi libero vehementiſſimo igne agitati, odorem arſenici non ſpargunt, neque fluunt, brunum tamen illum colorem in album mutant. De iis tandem alibi fuſius dicturum ſe eſſe promittit Cl. Auctor. Hepar arſenici ipſum funditur, arſenicales vapores emittit, ſpiſſum redditur et in opacum denique vitrum mutatur. Solutum in aqua, ſi acida adduntur, praecipitatum albi coloris exhibet, id quod de ſupra deſcripto ſale arſenicali non animaduertit Auctor. Cum etiam in hepate arſenicali alcalinum ſal fixum arſenico non intime admixtum ſit, in acidis ſoluta metalla ab eo admixto praecipitari poſſe dubium non eſt. Qui igitur in hoc commentario diuerſam arſenici cum alcali fixo coniunctionem explicare tentauit Cl. Auctor, praeter ea, quae adhuc ſupplenda erunt, experimenta etiam cum ſale marino, ſale ſodae, nitro quadrangulari, ſale ammoniaco, alcali volatili et diuerſis acidis inſtituta, in nouis commentariis proxime ſe editurum eſſe promittit.

p. 233.

p. 284. 18. *Tentamen de formatione ſilicis artificialis et obſeruationes de proprietatibus quibusdam calcis viuae*, Auctore Dn. GEOFFROY. Calcareus lapis duplicem, in calcem utramque mutandam, ſubſtantiam habet, unam, quae veram calcem viuam praebet, alteram ſabuloſam et in ſuperficie tantum mutatam, interius ſemper granula minora ſiſtentem, quae tamen, cum acidis vegetabilibus cedant, ſabuli naturam exuunt, et nouum aliquod productum ſunt, quod ad ſilicis artificialis formationem declarandam adhiberi poteſt. Ne vero de omni lapide calcareo hoc ab Auctore aſſumi quis credat, ipſe experimenta cum lapide, circa *Melun* et *Senlis* effoſſo, inſtituta tantum fuiſſe monet. Libram calcis viuae duabus libris aceti deſtillati additis extraxit, et leui efferueſcentia oborta et euaporatione facta, cruſtam ſalis amari, acris, in ſuperficie natam conſpexit, ſub cruſta vero materiam, acido et oleo aceti impraegnatam, compactam quidem, ſed in partes fiſſam deprehendit. Dictae hae partes diffractis ſilicis culinaris ſiue pyromachi partibus ſimiles videbantur, ita, ut ſuperficies politae ſiue ſplendeſcentes apparerent, colore cinereo praeditae, margines etiam acuti, tenues et transparentes inuenirentur, et in comparatione nihil ſimilitudini deeſſet, quam pondus et durities, quam vero temporis ſucceſſu acceſſuram eſſe exinde colligit, quod particulae minores unguibus olim abradi potuerint, quae nunc ab aſſeruata per tempus materie ferrea vix ſequuntur inſtrumenta. Simile experimentum cum creta inſtitutum non ſucceſſit, lapis vero calcareus ipſe, per acetum deſtillatum tentatus, compactam eius modi materiam non exhibuit, ſed grana ſabuli, quae ſoliditatis cauſa ſunt, ſeparata reliquit, quae tamen in calce viua, ut paululum calcinata, acidi tandem aceti virtutem experti ſunt. Expectandum itaque erit, num maſſa, ſuperius deſcripta, temporis ſucceſſu magis adhuc indureſcat, et ita veri ſi-

licis

licis naturam acquirat, quippe quae ad inſignem, per octodecim annos aſſeruata, duritiei gradum iam peruenit, ita ut eam, duriorem magis adhuc redditam, cum chalybe colliſam, ſcintillas forte excitaturam eſſe ſpes ſuperſit. Ex ſilice hoc artificiali deſtillando liquorem alcalinum volatilem et oleum rubrum empyreumaticum, petroleo ſimile, eduxit Cl. Auctor, p. 287.
et ex eo inſimul probare annititur, per calcem viuam ſeparationem olei ab aceto deſtillato, nec non olei ex partibus animalium perfici poſſe. Sed miſſis hiſce experimentis modum tantum nunc indicabi- p. 289.
mus, quo Auctor HOFFMANNI aſſertum, quod viua calx ſalia volatilia deſtruat, explicandum aſſumendumque eſſe cenſet. Sal alcali ſcilicet, cum ammoniaco ſale remixtum, acido ſalis ſe iungit et ſal volatile liberatum inde relinquit, ſi vero loco alcali calx viua ſumitur, vapor urinoſus adeo volatilis oritur, qui nunquam colligi atque in ſal denſari poteſt. Non itaque vere calx viua deſtruit volatile ſal, ſed eius tantum adunationem cum particulis ſalinis impedit. Efficit id ob igneas particulas, quae calcinatione in ea excitantur, aeri namque expoſita hanc vim amittit, et cretae vel terrae calcareae ſimilis fit.

20. *Diſquiſitio de vulnerum in arboribus coaleſcentia, de modo, quo ſurculus arbori unitur, cui inſeritur, de plagarum animalium coaleſcentia, atque exempla de partibus animalibus inſitis.* Auctore DV HAMEL. * Pergit Cl. Auctor in perſcrutandis naturae mirabilibus, ac inſignem experimentorum vim nunc nobis offert, dum vegetabilium et animalium inſitionem et vulnerum inde natorum conglutinationem docere, eamque non coniecturis ſed factis explicare ſtudet. Omnia, quae ingenioſe excogitauit et ſingulari ſtudio inſtituit, tentamina hic recenſere non licet, in primis cum non niſi iconibus adhibitis p. 319.

 rite

* D. 12. nov. 1746.

rite poſſint intelligi, id itaque modo efficiamus, ut primaria, quae ex illis fluunt, corollaria adducturi, breuem totius commentarii exhibeamus ſciagraphiam.
p. 354. Vnionem ſurculorum cum agreſti arbore non ſimilem eſſe viſci aliarumque plantarum paraſiticarum accretioni ad eas arbores, ſuper quibus rependo aſſurgunt, primum ex anatomica diſquiſitione demonſtrat. Paraſiticae enim plantae radices agunt in corticem arboris, a qua nutrimentum capiunt, in ſurculis vero, inſitione propagatis, veram fieri fibrarum coaleſcentiam experimentis cognouit, et in primis diſſectione plurium inſitarum arborum, quarum ſurculorum lignum diuerſi erat coloris ab ipſo arborum ligno didicit, partem arborum lignoſam, ſi induruerit, non cum fibris lignoſis ſeparatis vel ruptis coaleſcere, ſed ruptarum arborum coaleſcentiam fieri ſolo cortice, vel materia ex interiori arboris propullulante, haud ſecus ac oſſium in animalibus vulnera ſolo mediante perioſtio coeunt. Curioſius dein examinauit regenerationem corticis in arboribus, ubi ille eſſet ſeparatus, atque deprehendit, ſi vulnera tantum ſint ſuperficiaria, nec ad ipſum lignum pertingant, facile ea ſanari, ſine eo, quod cicatrix remaneat, quod etiam de animalibus valet. Ad lignum vero usque detracto cortice libri vel alburni contextus ſeſe dilatans protuberantiam circa vulnus efficit, quae indureſcit nouoque cortice, gemmis erumpentibus ſimili cooperta conſpicitur, qui laminas lignoſas ſuppeditat, quae vulnus pro ratione incrementi, quod capit arbor, tandem claudunt; recens vero lignum, plagam obtegens, non unitur ligno, quod operitur, ſed in interiori ſolutio manet continui. Si caeſtro pertunditur et excauatur illa ligni pars, quae cortice ſpoliata fuit, tunc ligno per accidens putreſcente vulnera multo longius tempus inſumunt in cicatrice contrahenda, quia noua ſtrata lignoſa ſeſe extendunt, quo vulneris fundum attingant. Arbitrabatur Cl. Auctor alburni

alburni contextum cellularem poſſe cum libri contextu ad vulnera claudenda concurrere, modo impediretur, quo minus exareſceret; loca itaque cortice denudata tubis vitreis obtexit, et non ſine iucundo ſpectaculo vidit, nouellum corticem gemmas agere in omni vulneris tractu, ita ut alburnum non minus quam liber ad cicatricum formationem contribueret, multoque citius nunc coaluere vulnera. Et cum videret accelerari poſſe in arboribus vulnerum ſanationem, adhibitis iisdem remediis, quae in chirurgia ad vulnerum recentium, animalibus inflictorum, medelam uſurpantur, tentare conſtituit, quid illae medicinae in vegetabilibus eſſent producturae. Ex multis vero, quae inſtituit, experimentis, tandem concludit ſtirpium plagas promtius coaleſcere, ſi congruae adhibentur medicinae, quam ſi ſibi ſunt relictae. Cera, terebinthina, aliique balſami, quibus aeris contactus arcetur, et tranſpiratio temperatur, ſunt egregia, ſpirituoſa vero, ſalina, abſorbentia et adipoſa perniciem inferunt. His indicatis tentaminibus inſtructus corticem magnis arboribus e. gr. quercui, ceraſo, per omnem trunci longitudinem p. 356. absque arborum detrimento ſeparauit, cortex vero vel cuticula denuo generata non amplius ſpeciem corticis naturalis harum arborum prae ſe ferebat. In vulneribus non nullarum arborum vitro coopertis promanantem ſubter corticem et inter alburni fibras longitudinales ſubſtantiam vidit gelatinoſam, quae primo erat tranſparens, deinde albicans, tum griſea, poſt quodam modo viridis et tandem in interiora ligni, quod in ſuperiori parte cortice tectum eſt, ſeſe inſinuabat; plura etiam experimenta fecit, quo cognoſceret, num haec materia, quae primo mucilago videtur, modo ſuccus ſit inſpiſſatus, an ſit corpus organicum, et cognouit tandem eſſe celluloſum contextum valde dilatatum; atque porro deprehendit corticis et carnium in animalibus regenerationem ſimili

 mili

mili modo fieri. Illam enim materiam ſpiſſam et albicantem, qua carnes granulatae citiſſime obteguntur, et quae ab anatomicis *cambium* dicitur, contextum veſicularem admodum dilatatum eſſe docet.

p. 357. His ita cognitis porro Cl. Auctor tentauit, an inde explicare poſſit coaleſcentiam ſurculi cum agreſti arbore. Verum hanc inter utriusque lignum factam fuiſſe nunquam vidit, ſed omnem coaleſcentiam modo corticis ope fieri cognouit. Surculos enim duabus aut tribus ſeptimanis, ex quo applicati fuerunt, ubi diſſecuit, illos ſubſtantia herbacea et granulata cinctos deprehendit, qua mediante tandem perfecta fit unio. Hinc itaque concludit, contextum celluloſum ſurculi et arboris inſitae ſe dilatare, ac gelatinoſam ſubſtantiam formare, quae ſenſim ſenſimque herbacea et lignoſa facta perfectam coniunctionem efficit. Hoc aſſertum vero non coniectura eſt, licet enim in ſurculis gelatinoſum illud propter corticem contemplari non potuerit, certus tamen fuit, herbaceam ibi inueniri, quemadmodum obſeruauit, vulnerum ſubſtantiam gelatinoſam fieri herbaceam et poſt ea lignoſam. Extra dubium poſitum eſſe exiſtimat Cl. Auctor, dari in ſurculis vaſorum anaſtomoſin, cuius ope nutritius humor ab arbore inſita ad ſurculum mouetur, et maxima illa, quam inter vulnerum medelam, arborumque ac ſurculorum coaleſcentiam deprehendit, ſimilitudo docet etiam dari in cicatricibus animalium eius modi anaſtomoſin, licet multi anatomicorum eam ſententiam negent; et quo hac de re certior fieret, inſitionem in animalibus tentauit.

Prima, quam fecit, fuit, ut plane praeſcinderet calcar, *le pilon*, pulli, idque rurſus adunare conſtituit. Coeptum audax erat, ſed ex voto ceſſit, ex quo euincit, dari vaſorum anaſtomoſin in animalium cicatricibus. Alias quoque animalium inſitiones inſtituit, quae oſtenderunt, quo modo natura noua or-

gana

gana explicet, quae aliquando medeantur incommodis ex conformationibus non naturalibus reſultaturis. Quo vero ea, quae de inſitione animali profert Cl. Auctor, rite intelligi queant, neceſſe eſſe exiſtimamus, breuiter criſtae, qua galli caput ornatur, anatomen repetere. Haec larga baſi cranio inſiſtit, et a parte ſuperiori oſſis occipitis ad roſtri usque originem ſeſe extendit. Haec, ſi transuerſi digiti ſpatio ab oſſibus cranii abſcinditur, craſſa ſatis oritur protuberantia, et poſtquam ita facta eſt anſa, relicto in medio vacuo, latera ſolo contextu celluloſo iuncta ad ſe inuicem accedunt. Cute vero, quae orbitas tegit, remota, et capitis verſus verticem diſſecta, criſta cutis modo prolongatio eſſe videtur hic denſior facta atque craſſior; haec etiam utriusque lateris formata duplicatura ſub parte criſtae denticulatae coaleſcit, nihilo minus tamen criſta cranio valde adhaeret et ſubſtantia eius a cute diuerſa eſt, magis enim cartilaginea quam membranacea deprehenditur. Criſtam itaque plurimis iunioribus gallis amputauit, inque cauitatem, quae in parte interiori ac poſteriori baſeos criſtae inuenitur, imponendum curauit fruſtulum ſuorum calcarium; plurima horum propter capitis agitationem decidebant, quae vero duas tresue hebdomadas in eodem loco reſtiterant, perfecte coaluerunt. Haec, dum iunio menſe imponerentur, vix cannabis grano erant maiora, ſub finem vero decembris unum et dimidium pollicem longitudine aequabant, et fuerunt, quae, per tres quatuorue annos perſiſtentia, quatuor pollices longa erant. Ex huius ita formati cornu anatome, accurate ſuſcepta, ſequentes obſeruationes profert Cl. Auctor. Extus apparet calloſa protuberantia, quae baſin cornu comprehendit, quae diſſecta cute huic videtur eſſe contigua, remota vero cute et aliqua protuberantiae parte ſeparata, ligamenti capſularis ſpecies detegitur, quod impedit, quo minus cornu cum cranio articulatio poſſit

p. 349.

p. 350.

poſſit videri. Caute vero dum remouetur illud, plures ligamentoſae deteguntur faſciae, quae a cornu incipiunt, et partim in foſſis naſalibus, partim in ſuperiori orbitarum parte vel diuerſis oſſis occipitis locis terminantur. Inſertio vero horum non ſemper eadem eſt, neque pari numero in omnibus gallis adſunt, conſtanter tamen vidit in iis, quibus magna ſunt cornua, ligamentoſam eamque robuſtam faſciam, cuius altera extremitas corneae roſtri parti inſerebatur, altera centro baſeos cornu reſpondebat. Omnibus et ligamentis quoque ſeparatis, ſolo eo relicto, quod ad roſtrum tendit, cornu a cranio facile ſecedit, et in baſi cornu cauitates apparent articulares, et in cranio eminentiae hiſce reſpondentes, omnisque cornea ſubſtantia a nucleo oſſeo pyramidali diſcedit, qui ligamentoſae faſciae, quae roſtro eſt contigua, firmiter adhaerens manet. Nucleus hicce oſſeus, qui non adeo compactus eſt, membrana, perioſtio ſimili, hinc inde ſanguinolenta eſt coopertus. Cornea vero pars tenuis et caua in inferiori parte, in ſuperiori extremitate magis quam in media ſolida conſpicitur, maximamque habet cum bubulo cornu analogiam. Omnia nunc adducta organa in naturali ſtatu non adeſſe, neque ſub criſta gallorum, neque circa eorum calcaria obſeruari poſſe affirmat Cl. Auctor; ergo, pergit, explicatione nouorum organorum ſibi ſuccurrit natura. Quod ſingulare quidem videtur, confirmatur tamen probabiliter multis de monſtris obſeruationibus.

p. 363. 21. Inſignis momenti eſt GVETTARDI* ſcriptum, *quo foſſilium genera, ex quibus Galliae Angliaeque ſolum componitur*, recenſet, tabulamque horum regnorum geographicam exhibet, a DE BVACHE, geographiae phyſicae ſtudioſiſſimo concinnatam, in qua foſſilia ubiuis locorum reperiunda ſuis quodque chara-

* D. 19. febr. 1746.

characteribus indicantur. Magnam Galliae partem peragrauit ipſe, reliqua lectione et ex aliorum relationibus ſuppleuit. Ita autem tres veluti zonas triplicis ſoli Angliam Galliamque pertranſire animaduertit, quas *ſchiſtoſae* vel *metallicae*, *margaceae* et *arenoſae* nominibus diſtinguit, *bande ſchiteuſe ou metallique, bande marneuſe* et *bande ſablonneuſe*. Quae regiones in metallica continentur, metallis omnis generis foetae ſunt, lapidum ibi reperiundorum genera ſunt ſchiſtus, lapis ſciſſilis, granites, talcus, marmor, nigri lapides, gemmae, ſilices pellucidi. Ex gallicis regionibus huc pertinent Normandiae pars et regiones ab ea verſus Hiſpaniam vergentes Oceano vicinae, Borbonia, Aluernia, *Auvergne*, et quae ultra has verſus Italiam ſitae ſunt, atque progrediendo circulariter, Lotharingia, Alſatia, nam ad Germaniam noſtram ſubterraneis diuitiis, ut omnibus aliis, ſua ſi bona norit, beatiſſimam, zonam hanc terminari quilibet vel nobis non monentibus ſuſpicabitur. Margoſa zona per Normandiae partem orientem verſus magis vergentem, Andegauiam, *Aniou*, *Tourraine*, *Berry*, Burgundiam, Campaniam, Picardiam tranſit, in Anglia orientalem prouinciam, *Eſtſex*, complectitur; in hoc margoſae zonae ſinu usque ad fretum gallico anglicum, *la Manche*, arenoſa zona exiſtit, et ad oppoſitam Angliae prouinciam meridionalem, *Suſſex*, extenditur. Margoſae zonae lapides nil aliud fere ſunt, quam marga indurata, marga ipſa ibi communiſſima eſt, ex metallis ferrum ſolum ibi habetur. Arenoſa denique zona, arenariis lapidibus, *grès, gravier*, calcario lapide proprie ſic dicto, ſilice, pyromacho abundat, neque alias fodinas habet, quam ferri. Hoc metallum ubique terrarum diſſeminatum eſt, cum arena et ſabuloſa terrarum et lapidum genera, quae zonae uni praecipue tribuuntur, in alia etiam reperiri poſſunt, ſed non tanta copia, ut praedominentur. Zonae hae praeter propter lineis

in

in ea idem veluti punctum, ut ei concauitatem obuertant, incuruatis terminantur, neque adeo directio illarum uni hypotheſi ex diuerſis de origine ſuperficiei terreſtris, quam habitamus, magis fauet, quam alii; cum iuga montium hac uel illa directione progredi Auctor quiuis, prouti optime conuenit opinioni ſuae, ſtatuat. Tabulae geographicae duae ſunt, quibus ſcriptum illuſtratur; ſpecialiora vero adducere, nec inſtituti ratio permittit, nec intelligerent ea, niſi tabulis ante oculos poſitis, lecturi.

p. 393. 22. *De uſu tendinearum interſectionum, quae in rectis abdominis muſculis exiſtunt, commentatio*, Auctore Dn. BERTIN. * Praemiſſa breuiori repetitione eorum, quae in uniuerſum de abdominis conformatione, huiusque praecipue muſculis notari ſolent, Cl. BERTIN vel in ſolis tendineis rectorum interſectionibus examinandis, harumque vero uſu definiendo operam ſuam collocat, cum vero et hae vaginae illi, quae maximam rectorum muſculorum partem includit, firmiter adhaereant, eius ſimul breuem ac veriorem hiſtoriam addit atque exhibet. Enarratis deinde refutatisque praecipuis, quae de illis interſectionibus in medium prolatae ſunt, opinionibus, ex ipſa tandem earum fabrica genuinam, quam noſtro corpori praeſtant, utilitatem eruere ac definire allaborat. Sunt autem interſectiones illae tendinearum fibrarum collectio, quae, quamuis potiſſimum ad rectos abdominis muſculos pertineant, iſti vaginae tamen ita firmiter adnaſcuntur, ut nexus hic ſine fibrarum aponeuroticarum laeſione ac diſſectione tolli commode haud poſſit. Leuata etiam, cauta manu, anteriori quadam eius vaginae parte, ex huius interna facie multas ſane fibras procedere, et ad tendinearum illarum interſectionum ſedes deſcendere, ac his miſceri et necti bene ſatis diſtincteque con-

* D. 27. iul. 1746.

conſpicimus; igitur ipſae illae interſectiones ex totidem ferme tendineis obliquorum internorum ac rectorum muſculorum fibris natae compoſitaeque videntur. Vti autem inde facile patet, cur recti muſculi vaginae ſuae non ubique, ubi ab ea includuntur, ſed ad interſectionum modo ſedes arctiſſime cohaereant, ita et ipſe earundem uſus ex nexu iſto commode ſatis intelligi poteſt atque declarari. Arbitratur autem Cl. Auctor rectos muſculos eſſe aut fieri quaſi obliquorum tendines, eosdemque horum actionem certius dirigere multumque augere; atque obliquos iterum rectorum actionem iuuare, horumque robur egregie ſuſtinere ac intendere, atque ita eas interſectiones a natura propter ea factas eſſe, ut ad unam actionem perficiendam plures vires facilius ſecuriusque concurrere poſſint ac conſpirare.

24. MONIERIVS, Medicus, *de electricitatis communicatione* diſſeruit; quid ad reddendum electricum corpus aliquod requiratur, quo modo materia electrica in corpus, cum quo communicatur, ſe expandat, et qua lege materiae huius quantitas ſe diſtribuat. GRAY et DV FAY exiſtimarunt, electricum corpus reddi non poſſe communicatione, niſi alii corpori, per ſe facile electrificabili, eſſet impoſitum, id experimentum leidenſe refellit, de quo plura habet Auctor; electricitatem ſpatium 950 hexapedarum tempore omnino inſenſibili percurrere experimento didicit. BOSII experimentum electricitatis augendae, cum magnae maſſae ſimul communicetur, ei non ſucceſſit; ſed id comperit, electricitatem nec pro maſſae, nec pro ſuperficiei, ſed pro *longitudinis* ratione propagari. Laminas duas plumbeas aequales, digitos 8. quamlibet longam, 5. latam electricitate imbuit, debilesque ſcintillas exire ex illis obſeruauit, deinde unam ſecundum longitudinem in quinque partes aequales ſecuit, quarum extremi- p.447.

tates

tates ita iunxit, ut rectangulum 40. digitos longum efficerent, et ex filo ſericeo ſuſpendit, exiit inde ſcintilla fortiſſima, fortior adhuc ex iisdem laminis rurſus biſectis, ut longitudinem duplo maiorem efficerent, fortiſſima, cum denuo ſegmenta haec biſecarentur, ut quadruplo maior fieret longitudo, quam erat laminae integrae iam in particulas 20, quartam digiti partem latas, ſectae. Ex his 20. partibus ſibi ſuperimpoſitis natum parallelepipedum 8. digitos longum, lineas decem craſſum, tres latum, electricitatem monſtrauit debiliſſimam, ipſa lamina plumbea, quae integra manſerat, minorem.

p. 483. 26. *Methodus impediendi euaporationem liquorum ſpirituoſorum, in quibus varia naturae producta conſeruanda ſunt.* Auctore Dn. DE REAVMVR. Theſauri corporum naturalium collecti, et apto ordine diſpoſiti hiſtoriae naturalis ſtudium quam maxime iuuant. Licet enim corpora naturalia omnia, in natalibus locis diſquiſita, melius cognoſcantur et diiudicentur, multum tamen utilitatis et illud adfert, ſi ex variis orbis terrarum regionibus conquiſita ea et in ordinem naturae conuenientem diſpoſita, uno veluti intuitu perluſtrare poſſumus. Immenſi vero hunc in finem impendendi ſumtus exinde etiam multum augentur, quod ſpontanea corporum corruptio auxilia exigat, quibus ea, quantum fieri poteſt, ab iis arceatur. Et ex his quidem adminiculis optima quaeque per inſtituta experimenta indagare tentauit Cl. Auctor, quae eum in continuanda editione operis de inſectis impediuerunt, in peculiari forte tractatu ab eo commemoranda. In hoc vero commentario, reliquis relictis, de conſeruatione corporum naturalium in liquoribus ſpirituoſis tantum diſſerit.
p. 486. Animalium enim in primis conſeruatio eius modi ſaepius vitrea vaſa exigit, quorum orificium eiusdem diametri eſt, quam cauitas media, quo quidem in

caſu luta, vel alii orificia obturandi modi fruſtra ſaepius tentati fuerunt; ſubtiliſſimus enim ſpiritus vini vapor facillime euaporat, ita, ut non tantum copia fluidi multum inde imminuatur, ſed indoles quoque ſpirituoſa in aquoſam mutetur. De ligaturis atque operculis, tanquam auxiliis hactenus uſitatis, non niſi paſſim in ſequentibus differit, monet vero optimum euaporationem impediendi auxilium illud fu- p. 488.
turum, ſi vaſa hermetice ſigillari poſſent, quod tamen ob inſignem calorem, et inflammabilem ſpiritus vini naturam vix locum habet. Si eius modi vaſa luto et membrana coriacea, vel veſica bubula, circa orificium munita, inuertuntur, tunc ſuperior vitri accurate clauſi pars nullam euaporationem permittit, eo itaque reſpiciendum eſt, ne liquor per inferiora transſudet. At vix inueniuntur talia opercula, quae actionem ſpiritus vini incumbentis non experiantur; olea igitur, ut ſpiritu vini ponderoſiora, in quae p. 490.
etiam ſpiritus vini non agit, inter operculum et ſpiritum vini introducenda ſunt, et de operculo cogitandum, quod oleum eidem impoſitum non ſugit. Et hoc quidem oleum, dum vaſi, ſpiritu vini repleto, immittitur, fundum petit, deinde vero naturae producto, in vitrum immiſſo, riteque diſpoſito et orificio membrana coriacea obturato, ſi vas inuertatur, iterum deſcendit et locum inter membranam et ſpiritum vini occupat. Membranae vero applicandae gluten illiniendum eſt, quod oleum quidem pro parte ſugit, reliquam vero, ſiccum magis factum, retinet. Gluten in primis, cum ceruſſa tritum et membranae non tantum ſed et ligaturae applicatum, hos edit effectus. Licet vero membrana, vitri orificio debito modo adaptata, ponderi fluidi, in illo p. 492.
contenti, ſatis reſiſtere videatur, non incongruum tamen erit, illud conuenienti inſimul ex ſubere facto operculo, cui gluten quoque illiniri poteſt, munire. Oleum nucis, quod et citius prae reliquis ſicceſcit,

X et

et a frigore non facile congelaſcit, reliquis praeferri meretur, et licet Auctor illud ea, qua venditur, conſiſtentia ſaepius adhibuerit, cum oleo tamen, paululum inſpiſſato, melius ipſi ſucceſſit experimentum. De oleorum itaque inſpiſſatione fuſius hac occaſione agit, et eam in vaſculis latis plumbeis omnium optime perfici poſſe, leni nimirum igne, breuique temporis ſpatio abſolui, album quoque colorem conſer-
p. 495. uare, monet, inſimul quoque olea, in plumbeis vaſis conſeruata et inde dulciora reddita, interne uſurpata, pernicioſa eſſe, ad vernices tamen adhiberi poſſe, et quo modo in noſtro caſu applicari queant,
p. 497. oſtendit. Sed et fluidiſſimum oleum pro hoc ſcopo ſufficere declarat, ſi modo aquae certa portio affundatur, quae operculo proxima oleum intermedium habet et inde a contactu ſpiritus vini arcet. Haec fluida, aqua nimirum, oleum et ſpiritus vini vitro erecto, naturae producto rite prius in eo collocato, ſucceſſiue infunduntur, operculo tandem bene firmato vas lente inuertitur, ita, ut ſtrata aquae, olei et ſpiritus vini non confundantur, ſed in inuerſo quoque vaſe oleum inter aquam et ſpiritum vini per-
p. 498. ſiſtat. Si etiam olei tantum ſtratum et ſpiritus vini immittantur et orificium ſubere obturetur, vitrum inuerſum in vaſculum aliud, plano fundo praeditum, quod aquam continet, collocari poteſt, cauendum tamen, ne aqua prorſus euaporet, ſed noua,
p. 499. ſi opus eſt, affundatur. Cum vero oleum ſpiritus vini indolem tandem mutare queat, aliud liquidum, ſcilicet mercurium oleo ſubſtituit Cl. Auctor; licet enim mercurius ipſo oleo pretioſior ſit, ille tamen ex eo, quod ſpiritus vini inde non alteretur et diu immutatus perſiſtat, praeferri meretur. Nec opus eſt lata mercurii ſtrata adiicere, ſi enim opercula conica vitrea orificio vaſis adaptantur, annulus tantum mercurii fluidi intra conum et marginem internum
p. 501. orificii vitrei, ut haereat, neceſſe eſt. Digreſſionem,

nem, quam facit Cl. Auctor, de apparente ſpiritus vini augmento in illis vaſis, ubi oleum inter operculum et ſpiritum vini haeſit, a membrana nimirum obturante verſus interiora conuexa reddita, orto, ulterius hic non tractare licet. Cum vero eo in caſu, p. 504. ubi orificium per oleum adiectum occluditur, optimo vini ſpiritu opus ſit, ne oleum per debilem et ponderoſiorem inde ſpiritum aſcendat, mercurius illi omnium optime ſubſtitui poteſt, idque eo magis, cum producta ex regno animali non optimum ſpiritum vini, ſed liquorem, qui duas ſpiritus vini partes, unam aquae continet, et admixtum praeter ea ſacharum habet, ad ſui conſeruationem exigant. Quae de vaſorum vitreorum, ad hos uſus pertinentium, figura tum ratione baſeos, tum ratione orificii et operculi, in ſequentibus tradit Cl. Auctor, p. 505. cum ad ipſum conſeruationis artificium non pertineant et abſque adiectis figuris intelligi ſatis non poſſint, hic omittenda eſſe putamus. Diſplicet vero p. 507. ille ſpiritus vini euaporationem, per oleum ipſi infuſum, impediendi modus, exinde, quod aquoſus eius modi ſpiritus oleum ipſum aggreditur, et illud in flocculis niuis inſtar ad fundum deſcendere facit, id, quod in inſtitutis permultis experimentis obſeruauit Cl. Auctor. Adducit tandem Cl. LE CAT inuentum, p. 513. qui vitra orificiis, interius ſulco excauatis praedita, cum operculis vitreis margine eminente et ſulco reſpondente inſtructa formare iuſſit, ita tamen, ut margo ſulcum non omnem repleat, ſed adhuc mercurii vel olei immiſſi portioni locum relinquat, et ea inde fluida euaporationem ſpiritus vini per rimas forte relictas impediant, multa tamen Cl. Auctor in medium affert momenta, quae rei tentatae ſucceſſum dubium reddunt.

Sed relinquenda haec ſunt, cum ampliſſimum huic commentario additum ſupplementum paucis ad-

 huc

huc a nobis commemorandum ſit. Cum enim commentarius nouus, hac de re ab Auctore elaboratus, poſt annum 1746 in conuentibus academiae proponeretur, qui inter alia ſupra propoſitorum experimentorum per quadriennium obſeruatum ſucceſſum continebat, pleraque ex eo libro, cui titulus: *Hiſtoire naturelle generale et particulaire avec une deſcription du cabinet du roi*, inſcio Auctore inſeruit Cl. DAVBENTON, haec res eo adduxit Cl. REAVMVR, ut non nulla hic loci ex altero ſuo commentario contracta exponeret. In commentario nimirum 1746. propoſito Auctor noſter mercurium oleo praeferre videbatur, ſed intra illorum quatuor circiter annorum tempus, ea vaſa, in quibus inuerſis oleum euaporationis impediendae cauſa primum occupabat locum, nullam prorſus ſpiritus vini imminutionem oſtendiſſe notauit, cum contra in vaſis mercurio munitis plurimum eius ſeceſſerit, ex quo phaenomeno mercurium non tam arcte vitro adhaerere, quam oleum, ſpiritus vini particulas eum potius transmittere cognouit. Illud praeter ea, in primo commentario annotatum, incommodum, quod oleum nimirum in ſpiritu vini debiliore aſcendat, indeque aquoſus eius modi et conſeruationi corporum animalium aptus ſpiritus aſſumi non poſſit, ita nunc per ſollicite inſtituta experimenta remouere didicit, ut oleum inſpiſſatum non aſcendere, ideoque ad ſpiritum vini etiam debiliorem coercendum adhiberi poſſe affirmet. Normam praeter ea tradit, ſecundum quam ſpiſſum oleum operculo, ex ſubere et membrana facto, commode ſatis illiniri poteſt, operculum deinde ex ſubere applicari debet, ne introrſum cedat, et hoc etiam relicto ſola membrana coriacea, oleo munita, firmum ſatis ſiſtit operculum, vaſa denique inuerſa machinis, quibus inſiſtunt, adaptanda ſunt. Illius autem, in vitris recta collocatis, ad continendum animal in ſitu, huc usque adhibiti fili ſeri-

p. 519. (margin, beside "tius transmittere cognouit")

p. 530. (margin, beside "ſunt. Illius autem")

cei

cei loco, ubi vas inuertendum eſt, filum rigidius, ex ferro vel alio metallo fabrefactum, commendat, quippe quod, dum animal affixum tenet, deſcenſum eius limitat. Adducit tandem Cl. DAVBENTON ſententiam, qui loco olei et mercurii amalgama mercurii cum plumbo vel ſtanno factum uſurpare ſuadet. p. 531. Num amalgama illud fluidi ſpirituoſi euaporationem impedire queat, in annos demum continuatae obſeruationes edocebunt, quaedam etiam iam monet Cl. Auctor, quae minus felicem experimenti euentum praeſagiunt. Quem in aliis iam ſcriptis induſtrium et ſollicitum in experimentis inſtituendis obſeruatorem deprehendimus Cl. REAVMVR, hunc etiam ii inuenient, qui praeſentem commentarium debita cum cura perluſtrabunt.

33. *Commentarius, continens obſeruationes lithologicas, hiſtoriam naturalem Languedociae et theoriam de terra illuſtrantes*, Auctore DE SAVVAGES, Abb. * p. 713. Naturalia diſquiſiturus corpora Cel. Auctor, quae circa Alais in Languedocia obueniunt terrae ac rupium ſtrata, inter ſe cohaerentia, in certas diſtribuit ſtationes, quas *chaines* vocat, quarum quaeque quartam milliarii gallici partem latitudine, duo milliaria longitudine aequat. Varia ſunt, quae de hiſce ſtationibus fuſe monentur, nos ea, quae ſcitu videntur eſſe maxime neceſſaria, adducemus. In *prima ſtatione*, quae duo ab Alais diſtat milliaria, orientem verſus inuenitur rupis tener, in quo effoditur lapis, quem ſuo nomine *Nauacelle* dicunt, ſingulare id habens, ut aeri expoſitus ſemper euadat durior. p. 716. Inhaerent ei noduli, ex ſucco, ut autumat, lapideſcente conflati, quos putat concharum petrefactarum eſſe veſtigia, quarum exterior cortex in cryſtallum fuerit conuerſus. *Secundae ſtationis* rupes ex albicantis et vilioris marmoris diuerſis ſtratis componuntur, qui

* D. 9. et 20. auguſt. 1749.

ex minimis, inter ſe iunctis, conchyliis conſtant, inter quae tellinae copioſiores deprehenduntur, quarum tamen valuae in naturali coniunctionis loco ſibi adhuc unitae conſpiciuntur. Dum vero magna horum conchyliorum copia in unum quaſi locum coacta obſeruetur, hanc collectionem vel terrae concuſſionibus, vel aliis ſimilibus cauſis, mare ex itinere ſuo deducentibus, adſcribendam eſſe monet, quae vero diuerſis temporibus nec uno acciderint impetu. Hic quoque in ſingulari vena conchylium quoddam inuenitur, cuius deſcriptio, cum a nullo hiſtoriae naturalis ſcriptore data ſit, cum icone exhibetur. Siſtit illud cornu, verſus apicem paulum incuruatum, vel potius ex pluribus, quorum unum in altero continetur, compoſitum, quorum unum quodque in exteriori ambitu eminentibus crenatum eſt marginibus, licet plerique horum marginum iam ſint detriti. Dentale ſingularis ſpeciei eſſe credidiſſet Cel. Auctor,
p. 720. niſi intus detectae concamerationes obſtetiſſent. In *tertia ſtatione* bituminoſa ſubſtantia copioſius occurrit, ut etiam marmor ibi eruendum inquinet, immo aeſtate picis inſtar deſtillet, et aquas ipſis innatando inficiat. Sub hocce aſphalte in non nullis locis ſabulum et carbones foſſiles collocantur, quibus turbinitae et cochleae terreſtres inhaerent. Forte a bituminis admiſtione virtutes aquarum mineralium vicinarum *d'Iouzet et ſaint Hypolite*, in pectoris mor-
p. 721. bis deriuandae ſunt. *Quarta et quinta ſtatio* lapides diuerſi exhibet generis, prior teneros, albos, calcinatione facile deſtruendos, poſterior ſolidos, partim marmoreos, partim vitreſcentibus ex ſilicibus conflatos. Omnes autem hi lapides nec rimas, nec lineas interſperſas habent, id, quod ab aequali ſucci lapideſcentis in ſabulo, cui inhaerent, diſtributione prouenire ſibi perſuadet Auctor. Praeter ea et bene animaduertendum eſt, lapidum horum ſtrata nunquam inter ſe confundi, ſed diſtincta procedere.

Sexta

Sexta ſtatio non ſtrata, ſed accumulatos continet lapides calcareos, rotundatos, firmos, percuſſos ſonum edentes, qui vulgo lapides *d' amenla* vocantur. Varii ſunt coloris, intercedente rubicunda terra iuncti, baſin conſtituit terra flaueſcens, rarioris contextus. Inſunt his conchylia ſingularia, nautili, oſtreae, et numeroſiſſimi echinites, quorum quidam cordis formam habent et iconibus adiectis exprimuntur. Sed ſuis in ſtratis diſpoſita cum compareant haec conchylia, in eam deuenit opinionem Cl. Auctor, ut dislocationi vel plenariae euerſioni terrae cauſam adiudicet, indeque coniiciat, petrefactionem corporum illorum rotundorum et conchyliorum anteceſſiſſe illam terrae, quae ea iungit; hinc omnem rupem in eo, quem occupat, loco eſſe peregrinum quaſi, lapides tamen *d' amenla* ſub ipſa conuolutione rotundam acquiſiuiſſe formam. Id, quod diuerſis, a terrae intermixtae craſſioris natura, a lineis, per petrefacta procedentibus, earumque in terra defectu, a conchyliorum et lapidum confuſione, aliisque conditionibus deſumtis argumentis probatur, denuoque rotationem vel frictionem quandam acceſſiſſe, ob angulorum, in conchyliis alias obſeruandorum, detritum urgetur. In eodem deinde ſtrato cryſtallus eruitur islandica, cuius natura eſt, ut obiecta duplicata repraeſentet, in quo phaenomeno declarando multum cum laborauerint phyſici, a planorum, ſibi impoſitorum, tenuique fiſſura diſtantium indole, prouenire ſtatuit Cel. SAVVAGES. Ad *ſeptimam ſtationem* deinde accedens, de ſucci lapideſcentis indole et petrificationibus in genere quaedam praefatur. Succus autem lapideſcens ex minimis compoſitus eſt moleculis, materiei tenuis, transparentis, quae in aqua, ut vehiculo, diſſoluta natat. Ex diuerſis huius ſucci generibus, quarzum, ſpathum, ſelenites etc. formantur, qui lapides magnam cum ſalibus habent conuenientiam, in igne crepitant, al-

p. 723. p. 725. p. 732. p. 733.

 beſcunt,

beſcunt, pelluciditatem perdunt, et calcinati ſalia exhibent: immo, prout ſalia animales vegetabilesque partes a corruptione tuentur, et eas duriores reddunt, ſic etiam ſuccos lapideſcentes, in alia corpora naturalia immiſſos, bolus et creta exempli loco adducuntur, ea ſolida magis reddere ſtatuitur.
p. 735. Hinc lapidibus etiam duritiem conciliando, diuerſas eorum claſſes conſtituunt; alii nempe ſunt ſimplices, ex mero puroque ſucco lapideſcente exorti, plerumque albi coloris; alii compoſiti, ex argilla, limo, aliisque terris, ſucco lapideſcente imbutis. In his autem ad naturam et ad doſin admixtam ſucci lapideſcentis reſpiciendum eſt, ſi diuerſitatem intelligere velis. Huius ſtationis lapidibus ſucci lapidei, qui ſpathum ſelenitidemque conficiunt, immixti eſſe obſeruantur, quod Auctori ex venis albis, corpora haec tranſeuntibus[1], clarum eſſe videtur, quippe quae ſuccum lapideſcentem, in fiſſuras immiſſum et in cryſtallos mutatum ſiſtant, fiſſurarum formam et directionem accurate exprimentes. Haudquaquam tamen haec ſola duritiei lapidum cauſa eſt, accedit alia a pyrite, ex ſucco ſulphureo compacto enato, cuius cum ſucco lapideſcente conuenientiam deſcribit Cel. Auctor. Vtrumque autem hunc ſuccum coniunctum in hiſce lapidibus efficere autumat, ut calx exinde exſtruendorum aedificiorum optimum euadat caementum. In ipſis, qui ad hanc ſtationem pertinent, rupibus praeter ea caua deteguntur, diuerſis concretionibus repleta, quarum tamen ſitus luculenter docet, in his locis olim iam contigiſſe mutationem, id, quod ſatis euidenti, ut nobis videtur, exemplo confirmatur, ex venae nimirum albicantis, cui a latere minor aſſociebatur, in duabus lapidis partibus aequali modo decurrentis, nunc ex ſitu remotae, directione, cuius etiam venae figura in ſingulari delineata tabula conſpicitur. Cauorum itaque horum originem declaraturus, effectus eſſe ſcribit

bit agitationis partium, ab intumeſcentia maſſae vel limi enatae, cui aer ſeſe inſinuauerat, qui a tenaciori materia retentus, non potuerit egredi, ſed expanſus cauum efformauerit. Aſt haec caua ſaepe cum aere atmoſphaerico communicant, ut videatur inde coniectura vacillare, ex qua ita ſe expedit dubitatione Cel. Auctor, ut ſuperiorem terram, caua tegentem, a variis cauſis auferri potuiſſe euincat. Progreditur poſt ea ad conſiderationem concretorum lapideorum, quorum tres ſpecies eſſe notat, deque p.746. iis in uniuerſum monet, ea ex ſucco lapideo puro efformari, illa ſenſim et vix notando progreſſu augeri, loca autem, per quae tranſit ſuccus lapideus, tam ſubtilis eſſe texturae, ut praeter hunc nihil plane transmittant. Prima concretorum ſpecies *ſtalactites* eſt, de quo varia, eaque iam nota, proponit, alteram *tuberculorum lapideorum* nomine inſignit, quae ex ſtriis, a latiori ambitu ad centrum coeuntibus, formantur, cauumque intercipiunt; in quibus ſtriis id ſingulare eſt, explicationem non admittens, ut pars ſtriarum ad centrum, licet ultimo, ut videtur, tempore nata, durior ſit illa, quae ex ambitu proficiſcitur. Tertia ſpecies ſiſtit concretum, quod p.750. plantarum incrementum imitatur; pendet enim a pediculo lapideo, in varios deinde ramos dirimitur, creſcit etiam ſaepe plantarum more, ab inferiori parte fundoque cryptarum adſcendens, non nunquam horizontalem habet ſitum. Putat Cl. Auctor tubos huius concreti capillares eſſe, et per eos ſenſim attolli ſuccum, eiusdem incremento inſeruientem. Vt igitur has ob rationes inter plantas marinas, ad lapideam naturam accedentes et terreſtres medium ſibi vindicare poſſint locum. *Octauae* tandem *ſtationi* pauca inſunt conchylia, ex quibus cornua ammonis facile ſunt praecipua, habet tamen plures interruptiones, quae intercedente diſtinguuntur fluuio, ſignaque luculenta factae olim cuiusdam mutationis exhi- p.755. bent.

bent. Vtraque nimirum rupis pars, et trans et citra fluuium ſita, eiusdem eſt altitudinis, naturae, coloris, diſpoſitionis ſtratorum, eadem continet conchylia plantasue, ut certiſſimum exinde Cl. Auctori eſſe videatur, aliquando coniunctas has partes fuiſſe, cuius ſententiae varia praeter ea argumenta adducit et poſſibilitatem euincit. Reſtat huius tractationis, quae non poteſt non phyſices ſtudioſis accepta eſſe, cum varia lapidum γενέσεως momenta explicet, altera adhuc pars, quam proximum huius academiae commentariorum volumen exhibebit. Negandum tamen non eſt, ſucci, qui petrificationem dicitur producere, naturam et indolem accuratius adhuc diſquirendam forte determinandamue eſſe.

XVI.

MATTHIAE GEORGE PFANNS, M. D. Prof. Publ. Erlang. *Sammlung verſchiedener merckwürdiger Fälle, welche theils in die gerichtliche, theils in die practiſche Medicin einſchlagen, nebſt einigen Zugaben und einer Vorrede, Nürnberg, bey Io. Adam Stein und Gabriel Nicol. Raſpe, 1750. 8. 1 alph. 17 bog. 2 kupf. taf.*

Hoc eſt:

Collectio quorundam notatu dignorum caſuum medico forenſium et practicorum, cum appendice et praefatione.

Cum eius modi collectiones et utiles ſint, et non raro quaedam contineant, quae in iis vix quisquam ſe reperire poſſe credidiſſet, non ingratum lectoribus fore arbitramur, ſi et huius libri capita indicemus. In praefatione Cl. PFANNIVS ea, quae a medicis et chirurgis in vulnerum exploratione cadauerumque ſectione et ſuper hac facienda relatione, morborum denique hiſtoriis conſignandis neceſſario obſer-

obſeruanda ſunt breuiter quidem, ſed ſatis diligenter exponit. Haec communia praecepta ſingularibus deinde exemplis in ipſo libro illuſtrat, quem tres ſectiones conficiunt. Harum prior caſus et deciſiones forenſes, altera practicos caſus et ſuper his data medica conſilia, tertia vero, quae appendicis loco eſt, breues quasdam medici et phyſici argumenti commentationes continet; omnium Auctor eſt ipſe PFANNIVS, duoque modo in iis leguntur conſilia, quorum unum ab anonymo, alterum a IVNCKERO, Halenſ. Prof. conſcriptum eſt. Primam ſectionem componunt octo caſus medico forenſes, quorum 1) de iudiciis arſenici dati, 2) de vulnere capitis cum fractura cranii per accidens lethali, 3) de vulnere inteſtini ieiuni abſolute lethali, 4) de fractura oſſis femoris dextri circa collum ex negligentia chirurgi male curata, 5) de crimine ſodomitico cum animalibus commiſſo, 6) de falſo iudicata lethalitate ex percuſſione grauiori corporis, 7) de inculpato infanticidio, 8) de ſuſpicione perpetrati veneficii agit, his denique coronidis loco hiſtoria ſectionis nobilis iuuenis, febre catarrhali maligna extincti, additur. Altera libri ſectio quinque caſus medico practicos comprehendit, quorum duo chirurgici argumenti ſunt: Ex iis vero 1) ſcabiem contumaciorem ac inueteratam ad ferinam accedentem, 2) aſthma hypochondriacum rarius, ſimulque pertinaciſſimum, 3) ſtatum plethoricum inſignem, grauibus ac multis ſymptomatis, in primis enormi narium haemorrhagia ſtipatum, 4) enteroepiplocelen, 5) enterooſcheocelen antiquam, reſtitutione ſacci hernioſi feliciter peracta, absque bracherio et ſectione curatam exponit. Eſt hoc ultimum caput ipſa, ea de curatione prius a PFANNIO habita, diſputatio, ex latino modo ſermone in patrium conuerſa. Quas autem tertia ſectio exhibet commentationes, earum prima de ſocietatibus litterariis, praeſertim dantiſcanae, origine

ac

ac inſtituto agit, altera, quo modo venenorum, quae frequentius in uſu eſſe ſolent, diuerſa genera cognoſcere, eorundemque vi reſiſtere poſſimus, oſtendit, tertia lapidum pretioſorum virtutes vulgo laudatas examinat, quarta denique in vires et effectus ſpecifici cephalici MICHAELIS inquirit, ita quidem, ut cum iam an. 1745. peculiari diſſertatione demonſtrauerit Cl. Auctor, quae nam ſit huius pulueris in ſingulari quandoque morbi exemplo efficacia, nunc illas, quae eum conficiunt, res ſeorſim examinet, et quem iſtae tum per ſe conſideratae ſingulae, tum et ea ratione ac proportione, qua famoſam illam MICHAELIS compoſitionem ingrediuntur, atque ita inter ſe miſtae, habeant, ac in humano corpore edere poſſint medicatam virtutem, breuiter demonſtret. Quamuis vero illa huius collectionis exempla et capita omnia ita comparata elaborataque vix videantur, uti rerum praeſtantia ac dignitas poſtulaſſet, vel, ut illa tironibus ſine omni limitatione et correctione commendari, aut ad imitandum proponi poſſint, quaedam tamen in iis reperiuntur, quae et his, et in arte prouectioribus grata utiliaque eſſe queunt.

XVII.

LAVRENTII HEISTERI, Conſ. Aul. et P. P. Helmſt. Inſtitutiones chirurgicae etc. Pars I. II. Amſtelod. apud Ianſſonio Waesbergios, 1750. 4 mai. c. tab. aen. 40. 6 alph. 17 pl. Praefat. et Bibl. chir. 10½ pl.

Cognitae ſatis et, vel ipſis noſtrae artis tironibus, perſpectae cum ſint, vel minimum eſſe debeant Cl. HEISTERI chirurgicae inſtitutiones, ſuperuacaneum certe eſſe arbitramur harum rationem nunc paulo plenius exponere; quare nouae modo huius libri editionis pretium breuiſſimis indicemus. In

hac

hac quidem ab ipſo Ill. Auctore, in praefationis fine, ea quae in priori latina editione propoſita prius fuerant, nunc aucta magis emendataque multum in innumeris locis, dicuntur; nos vero, pace Cl. Viri, illud addimus atque monemus, hanc, cum priori diligenter collatam, non adeo multis in locis ac capitibus nouis acceſſionibus amplificatam, exornatam, emendatamque deprehendiſſe, uti quidem facili negotio fieri potuiſſet, immo et interdum neceſſario debuiſſet. Nolumus autem nunc in indicandis illis nouis acceſſionibus, breuibus ſaepe ac leuioribus, lectoribus noſtris, forte et ipſi Auctori, moleſti eſſe aut videri, cum ex multis fere pauciores reperiantur, eaedemque potiſſimum ad lithotomiam et obſtetriciam artem pertinentes, quibus nouae huius editionis dignitas ac praeſtantia quodam modo poſſet comprobari. Illi itaque, qui priorem illam latinam harum inſtitutionum editionem poſſident, vix habent cur eam, uti minus completum perfectumque opus negligant, et in noua hac coemenda nouas ac ſuperfluas impenſas faciant.

XVIII.

HERMANNI BOERHAAVE Methodus ſtudii medici emaculata et acceſſionibus locupletata ab ALBERTO AB HALLER. Tomi II. Amſt. 1751. ſumptibus Iacobi a Wetſtein. 4 mai. 6 alph. 2½ pl. tab. aen. 3.

Qui variis huc usque Boerhaauianis libris, inſtitutionibus in primis, indefeſſam eamque felicem operam dicauerat Illuſtris AB HALLER, nunc eo maiores eorum, quorum intereſt, promeretur grates, quo utilior methodus ſtudii medici, a BOERHAAVIO olim tradita, et quo magis operoſa res eſt, imperfectum eius modi librum, poſt fata Auctoris

con-

continuare atque perficere. Ante nouem iam annos conſilium ceperat Illuſtris HALLERVS, emaculatam huius, corrupti ab aliis, libri editionem cum harum rerum cupidis communicandi, praeter alios vero, inter ea temporis ab eo, felici, ut omnes ſciunt, cum ſucceſſu peractos labores, id etiam moram operi iniiciebat, quod non emendandus tantum, ſed adaugendus inſimul eſſet libellus, duodecimo iam huius ſeculi anno, a BOERHAAVIO, auditorum cauſa, tantum conſcriptus. Eam igitur diligentiam indefeſſus HALLERVS perpoliendae huic methodo adhibuit, ut integritatem non tantum Boerhaauianis theſibus reſtituat, ſed multa inſimul, et ea praeclara ſupplementa prioribus iungat. Ad primum quod attinet, comparauimus textum cum iis, quae in libello, Londini, anno huius ſeculi vigeſimo ſexto, aeque ac alio, ad eius, ut videtur, normam, anno quadrageſimo quarto ibidem, in forma octaua publicato, inueniuntur, et magnum exinde iam fuiſſe Ill. HALLERI laborem, perſpeximus. Praeter id enim, quod rectius ordinatum, et in ſuas, pro materiei diſcrepantia, partes diſtributum hoc opus inueniatur, ita mutilatas et Boerhaauiano nomine adeo indignas deprehendimus illas priores editiones, ut efficaciori, licet prudenti, opus omnino eſſet medicina. Reſecuit ideo Ill. Editor ea, quae fuſiora, ab Auctoris dicendi genere aliena, vel ex ſermonibus eius, peruerſe ſaepius, vel ex arbitrio illius, qui libellum ediderat, lucelli forte augendi cauſa, immixta erant. Reliqua vero, ſuis haud raro locis reſtituit, et emendata, conuenienti methodo propoſuit. Cum praeter additas antea indicatas diuiſionis notas, in ipſo dicendorum ordine, nulla ſuſcepta fuerit mutatio, ubique vero occurrentes optimae emendationes enumerari non poſſint, pertractatam denique in hocce libello materiem, ex antea iam publicatis eiusdem editionibus, lectoribus noſtris cognitam ſatis atque perſpectam

ctam eſſe putemus, de eo tantum ſollicitos nos eſſe iubet officii ratio, ut modum, quo in illuſtrandis et adaugendis his Boerhaauianis inſtitutionibus uſus eſt Illuſtris HALLERVS, breuiter nunc indicemus. Ab initio vero doctiſſimus Auctor eam ſibi propoſuit regulam, ſecundum quam optimos tantum, qui de unaquaque medicinae parte bene meruerant, Auctores laudare, et a BOERHAAVIO iam indicatis ſubiungere, ſelectam vero hac ratione medicorum ſcriptorum enumerationem exhibere erat conſtitutum. Elaboratae hac methodo inueniuntur quinque priores operis partes, quae phyſicam generalem, geometriam, mechanicam, phyſicam ſpecialem atque chemiam comprehendunt. Sicuti enim totius operis ea eſt ratio, ut Boerhaauianis theſibus ſubiectae ſint notae, quae emendanda atque ſupplenda continent, ita etiam his indicatis iam partibus, utilia multa eaque ſcitu neceſſaria addita leguntur, ex quibus, BACONIS DE VERVLAMIO hiſtoriam, ſcriptorum p. 55. ROBERTI BOYLEI catalogum, ſocietatum eruditarum et commentariorum ab iis editorum enumera- p. 58. tionem, et CONRADI GESNERI hiſtoriam, exempli loco nominamus. p. 62. Quartae potiſſimum, quae p. 81. phyſicam ſpecialem tractat, parti, notabile ſcriptorum phyſicorum ſupplementum acceſſit, quod ordinatum et in ſua capita redactum, eo magis requirebatur, quo acriori cum ſtudio phyſica noſtris demum temporibus pertractata fuerit. Occurrunt inter ea Auctorum, qui aquas minerales declararunt, p. 92. ampla, ſecundum loca diſpoſita, recenſio, et eorum, p. 120. qui itinera deſcripſerunt, catalogus et topographiae. p. 133. Licet vero in chemiae hiſtoria breuior ſit Ill. Auctor, non tamen incultam prorſus eandem reliquit, additamenta potius praeter alia ad chemica experimenta p. 144. et pharmaceuticam ſuppeditauit utilia. Fuſior iam eſt, et a lege, quam ſibi praeſcripſerat, quodam modo p. 156. recedit Doctiſſ. HALLERVS in enumeratione aucto-

rum,

rum, qui botanicam, in ſexta huius operis parte,
breuiter a BOERHAAVIO pertractatam, auxerunt et
illuſtrarunt, inde vero ipſam huius utilis aeque ac
iucundae ſcientiae hiſtoriam ampliorem et medico
magis neceſſariam reddiderunt, quae quamuis ple-
nior paulo ſit, potiora tamen ſcripta tantum com-
p. 244. plectitur. Ab his cum ad anatomen deueniret Ill.
HALLERVS, in ea aeque ac reliquis, quae ſequuntur,
methodi partibus deſcribendis aliam ſibi viam ingre-
diendam eſſe cognoſcebat, ampliorem namque illae,
pro rerum, quas tractabant, dignitate, anatome in pri-
mis, poſtulare videbantur commentarium, qui, ſi
non omnes, plerosque tamen contineret Auctores,
et ita, quantum fieri poterat, completum exhiberet
librorum, in unaquaque medicinae parte huc usque
editorum, catalogum. Hoc, quod ſe probabat inde-
feſſo Auctori, conſilium, id etiam exigebat, ut qui
antea ad ductum Boerhaauiani textus recenſiti inue-
niuntur, poſt anatomiam, in qua Auctorem ple-
rumque ſecutus eſt, chronologico magis ordine diſ-
poſiti ſint Auctores, ne ſaepius iam iam nominati,
repeti iterum debeant, quod tamen, cum varii, in
anatome potiſſimum occupati, diuerſi argumenti li-
bros compoſuerint, prorſus euitari non potuit. Eo
utilior itaque haec de anatomia tractatio cenſenda eſt,
quo perfectiorem eam reddere ſtuduit Ill. Vir, dum
praeter copioſum eorum, qui de anatomia in uni-
uerſum ſcripſerunt, ad finem huius partis indicato-
p. 493. rum auctorum numerum, et partium uſum de theo-
ria medica auulſum, ſimul cum earum deſcriptione
coniunxit, et varios, qui in corpore noſtro elabo-
rantur, humores, tanquam in ſuis organis ſecreto-
p. 564. riis inſimul conſiderauit. Inde et eſt, quod ſubſe-
quens pars octaua, quae uſum partium tradit, abs-
p. 573 que commentario compareat. Nona vero pars, quae
primum in tomo ſecundo huius operis obtinet lo-
p. 669. cum, pathologiam, decima deinde ſemioticam, un-
decima

decima porro ὑγιεινὴν ſeu diaeteticam, duodecima tandem, quae therapeuticen tradit aeque ac chirurgia in decima tertia parte pertractata, omnes ſecundum temporum rationem magis diſpoſitae diſciplinae, ſimile ſtudium et accuratam Illuſtris Editoris in emendando et adaugendo Boerhaauiano textu euincunt diligentiam, in quo, cum medicinae legali locum certum adſignatum non inueniret, ipſe poſt ampliſſimam chirurgicorum ſcriptorum enumerationem, de medicina forenſi, et iis, qui eam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, commodo ſatis et debito vere loco diſſerit. Sequitur hanc, decimae quartae parti dicatum, praxeos ſtudium, in quo cum ſyſtematici non tantum veteres aeque ac recentiores medici, ſed ii etiam, qui ſingulares quosdam morbos inueſtigarunt, aut obſeruationes ſcripſerunt, indicati a BOERHAAVIO inueniantur, his quoque loculis optimam ingeſſit materiem Ill. Auctor. Breuiſſimus tandem cum ſit BOERHAAVIVS in ipſa medicinae hiſtoria, quam tanquam appendicem reliquis omnibus poſtpoſuit, Vir Illuſtris ſuccinctas illas et imperfectas in decima quinta parte conſtitutas theſes amplificandas atque perficiendas ſibi ſumit, ita tamen, ut non integram artis hiſtoriam componat, alienum enim illud erat ab inſtituto, ſed bibliothecam ſelectam ſcriptorum, ex quibus medicinae hiſtoria depromi poteſt, eamque ſat numeroſam exhibeat. Breuis haec eſt ſingularum, quae librum huncce conſtituunt, partium deſcriptio, quibus perpoliendis et adaugendis multum laboris adhibuit indefeſſus HALLERVS. Pro ſingulari eodem in operis perfectionem directo amore ad finem illius inſigne poſuit ſupplementum, in quo, dum opus iam typis exſcribebatur, quae obſeruata adhuc atque detecta nouiter, aut melius perſpecta ab eo fuerunt, ad plerasque fere eius partes pertinentia momenta, continentur, eo quidem cum reliquis utiliora futura inuentuque faciliora, ſi in-

p. 686. p. 709. p. 714. p. 803. p. 813. p. 958. p. 1004 - 1118.

dicem operi adiicere placuiſſet Illuſtri Viro. Eo enim tyronum ſaltim cauſa opus fuiſſe iudicamus, quippe qui in ſcientiis ipſis parum adhuc verſati, ampliſſimo huius generis libro difficulter admodum absque directore utuntur.

Reſtat ut de iis adhuc dicamus auxiliis, quibus Illuſtrem Virum in conficiendo hoc opere uſum fuiſſe ex praemiſſa illi praefatione intelligimus. Ab anno iam huius ſeculi vigeſimo quinto optimam illam, quam imitandam aliis commendamus, ſeruauerat conſuetudinem induſtrius HALLERVS, ut medicos, quos legerat, libros in commentarios diſponeret, et peculiares illas atque nouas, quas in ſingulis eorum inuenerat, ſententias notaret, exſcriptis etiam eorum titulis iudicium ſuum adiiceret; hac ratione quatuor millia librorum ab eo intra viginti et trium annorum ſpatium pertractati fuerunt. Accedunt his iudicia, in omnis generis diariis, de medicorum nunc publicatis ſcriptis lata. Inſtructiſſima porro eſt Doctiſſimi Viri bibliotheca, quippe quae ſex millia voluminum numero excedit. Praeter haec vero optima, ut apparet, adminicula, a IOHANNE SAMVEL DE BERGER et GEORGIO GOTTLOB RICHTER, libros, eorumque titulos mutuo ſe accepiſſe, Göttingenſem etiam bibliothecam uſui ſibi fuiſſe, teſtatur ingenuus HALLERVS: in conſilium tandem vocauit varios, de medicis eorumque libris referentes, auctores, aeque ac fidos et ampliores librorum catalogos. Sapienti vero horum omnium uſu copioſam collegit materiem, et eam ſollicite ordinatam atque digeſtam ſuis locis appoſuit. Libros a ſe non viſos aſterisco notauit, ut inde, ſi in quibusdam erratum fuerit, quod omni etiam abhibita cura euitari non potuiſſe, ipſe iam profitetur Illuſtris HALLERVS, lectores, ad manus Auctori librum non fuiſſe, ſtatim intelligant; ſunt tamen et alii, qui, praeter hoc ſigno notatos, fideliter

liter minus indefeſſo Auctori traditi fuerunt librorum tituli. Neque demum meram tantum rerum hiſtoricarum enumerationem in hoc eximio opere inuenire, ſibi quisquam perſuadeat. Praeter conciſa enim eaque concinna de libris lata iudicia, praeclarae etiam et eae haud paucae inueniuntur notae, in quibus ipſae auctorum ſententiae examinantur et diiudicantur, rerum quoque in theſibus Boerhaauianis propoſitarum uberior atque conueniens ſuppeditatur explicatio, ut itaque multifariam inde utilitatem reportare poſſint ii, qui magno indefeſſi HALLERI exemplo excitati, artis non tantum fata ſcire, ſed ipſas etiam medicas doctrinas ſollicite pertractare, et cognitas magis ſibi reddere cupiunt.

XIX.

Animaduerſiones de ſuffuſionis natura et curatione. Diſſ. inaugur. Praeſ. IVST. GODOFR. GÜNZ. Ph. et M. D. P. P. etc. Reſp. IO. PHIL. SCHNITZLEIN. Lipſiae 1750. 4. pl. 8. c. tab. aen.

Cum ab Ill. diſſertationis Auctore non famae ſolum, ſed meritorum quoque celebritate conſpicuo, non niſi limata merito expectari poſſint, nos certe habere non videmur, cur velimus eam commendare; de qua tamen, accurate diligenterque et eleganter exarata, quaedam delibare liceat. Ex veteribus medicis ante RVFFVM fuiſſe nullum, Cl. p. 8.
Auctor aſſerit, qui ſuffuſionem diſtinxerit a glaucomate, ſuamque binis his morbis ſedem aſſignauerit, nec GALENVM fuiſſe primum, uti ex medicis plurimi opinantur, ſed GVILIELMVM DE SALICETO, p. 9.
qui ſuffuſionem pannum aut telam aut membranam eſſe dixerit. Ad ipſam autem ſuffuſionem refert Ill. Auctor *omnia opaca corpora, quae corneam inter vi-*

treumque humorem nata, viſum ſiue ex parte impediant, ſiue tollant omnem. Ad quam facilius compro-
p. 10. bandam deſcriptionem ipſius oculi naturam inueſtigat. Quod anatomicorum non nulli appellant *ligamentum ciliare*, Doctiſſimus GÜNZIVS nominare mauult *circulare*, illum ſcilicet anguſtiſſimum, nigrum, et poſt hunc dein alium albicantem circulum, per quem choroidea tunica anterius, ubi finitur, ſcleroticae adhaeret, eique laxe agglutinatur. Cir-
p. 11. culum autem, qui ab interiore parte reſpondet illi, *coronam ciliarem* appellat, plicas vero inde aſſurgentes proceſſus ciliares, a quibus tamen alienam eſſe iudicat ſtructuram muſcularem; ipſi corneae manifeſto adhaerere tunicam retinam, quae ad hanc usque pertineat, vaſcula etiam illa male dici vorticoſa, quae ſtellularum in modum in exteriore potiſſimum choroideae lamina ex eo loco prodeunt, ubi inter choroideae laminas interioris oculi vaſcula minora in circulo ſic dicto arterioſo atque venoſo concurrunt:
p. 13. tertiae porro circiter eique anteriori oculi ſphaerae parti laxe adhaerere coniunctiuam, et per membranoſam ab hac profectam ſubſtantiam inter ſe iunctos muſculorum aponeuroticos fines ad minimum tres, ſaepe quatuor lineas ab omni corneae margine abeſſe. Suffuſionum tria ſumma genera conſtituit Cel. Auctor, unum, quod *aqueas* vel *ſpurias* in aqueo humore conſiſtentes, alterum, quod *cryſtallinas* vel *veras* in cryſtallino, atque ultimum, quod *mixtas* vel potius *compoſitas* in utroque haerentes comprehendit.
p. 14. *Aquearum* alias eſſe, inquit, *membraneas*, alias vero *viſcoſas* vel *mucoſas*; ex his, ſi inueteratae ſint, oriri
p. 16. forte illas poſſe; uti autem ſede, ſic et natura differre; alias enim *veras* eſſe *membraneas*, alias vero *ſpurias* vel *carneas* dicendas uueae quasdam excreſ-
p. 22. centias, earumque has ſemper eſſe mobiles, illarum forte quam plurimas immobiles: membraneas, in primis veras, omnes, quamuis non uno modo, ex

inflam-

inflammatione naſci, uueae quadam, et proceſſuum ciliarium, lentisque velamenti laeſione praegreſſa, ex quibus ſcilicet tumidis factis, praecipue autem ex uuea, gelatinoſum ſuccum exſudantem, ſicciorem dein factum, membraniformes concretiones producere: aliam quoque concretionum rationem eſſe eam, p. 23. ubi ex aqueo humore, craſſiore facto, in telae cuiusdam modum cum uueae arteriolarum orificiis concreſcunt. *Cryſtallinarum* alias eſſe docet in lente ipſa reperiundas, *veras cryſtallinas* dicendas, alias in eius velamento, *membraneas cryſtallinas*, alias in utraque parte conſiſtentes, *mixtas cryſtallinas* nominandas. Liquorem, qui lentem ac eius velamentum intercedit, ſolum ſine alterutrius laeſione, corrumpi poſſe, negat Cl. Auctor. Cataractas *cryſtallinas veras*, quarum multae ſpecies eſſe poſſunt, ad *ſolidas liquidas*que reducit, lente nimirum vel ſoluta, vel p. 24. ſolida magis facta, vel tali permanente, eaque vel tota, vel eius nucleo, modo induratis, modo opacis ſaltim redditis, modo gelatinoſa ſubſtantia nucleo circumfuſa. Ex iis, quas *cyſticas*, alii purulentas et p. 27. caſeoſas, et multo magis quas lacteas nominant auctores, easque omnes a ſuppuratione prouenire exiſtimant, non nullas forſan eſſe Cl. Auctor iudicat, quae tantum in *turbido facto lenti circumfuſo liquore conſiſtant.* Alteram *cryſtallinarum*, quas *membraneas* vocat, ſpeciem per ſe quidem raram, vel aduerſam velamenti lentis partem eamque frequentius, vel auerſam occupare ait, quae adhuc longe rarius accidere videatur, quod non vitrei humoris opacitas ſimul coniuncta ſit, hinc etiam vel *aduerſas*, vel *auerſas* dicendas. Tertii *cryſtallinarum*, quas *mixtarum* p 31. nomine inſigniuit, generis exemplum Pariſiis vidit Cl. Auctor in viuae feminae oculo, cui, lente olim per curationem depreſſa, relicta in ambitu velamenti, quod in ipſa curatione laceratum fuerat, pars ſupererat opaca facta, aliqua tamen pelluciditate ſuper-

 ſtite.

p. 33. ſtite. Nullum praeter illud, quod MORGAGNVS habet, apud auctores inuenit exemplum, quod ad illud ſuffuſionum genus referri poſſet, quae ex *aqueis cryſtallinisque compoſitae* ſunt. Tum quoque maxime hanc ſpeciem oriri poſſe autumat, ubi ab externa vi, oculo illata, inflammatio ſuppurationem excipiens in uuea excitatur. Qua omnium, quae naſci poſſunt, ſuffuſionum natura accurate explorata, et in altero diſſertationis capite vulgari eas acu curandi ratione, quam incerta ſit, ſaepiusque eſſe queat periculoſa, diligenter examinata, in ultimo tandem capite optimam per acum curandi rationem Cl. Auctor docet, illamque a PETITO repertam in primis com-
p. 44. probat. Suffuſionis aliquam maturitatem ad felicius ſuſcipiendam curationem expectari debere negat Cl. Auctor, dum modo lens adeo opaca ſit, ut a vicinis
p. 46. partibus diſtingui queat: praeparationem, quam vocant medentes, ſaepius parum eſſe utilem, et non nunquam periculoſam, iudicat, ſufficere ut plurimum, ſi modo corpus ſanum ſit, breui ante curatio-
p. 48. nem lotionem in aluum inieciſſe. Superiorem palpebram contra ſupercilia commode firmari, illumque ſuperciliorum locum, quo nerui ad frontem abeunt atque ſupercilia, ſcuto quaſi adſtringi, ſpecillum quoque ſine metu, ne humor aqueus effluat, utiliter adhiberi poſſe, praeſertim ſi medenti manus non perfecte ſtabilis ſit; atque utrumque hoc eſſe, de quo
p. 50. TAYLOR laudari poſſet. Acus, quam deſcribit et ceteris praefert, illa circiter eſt, cuius iconem dedit
p. 51. BRISSEAV. Cum PETITO duas ſemper vel potius duas cum dimidia lineas a cornea, et cum DVDDEL-
p. 52. LO ad unam lineam circiter infra medium oculum punctionis locum eſſe debere probat. Minimus eique proximus digitus non temporibus, ſed exſtantiori malae loco, ſub angulo oculi externo, imponatur, quod praeſertim, ſpecillo non adhibito, neceſ-
p. 55. ſarium eſt. Mucronis acus obtuſo margine lentis

infe-

inferiori laterali parti admoto, *imprimenda eius cuſpis paullulum lenti eſt, et manu a temporibus tantillum reuocata, tum verſus oppoſitum lentis latus, tum retro etiam oblique promouenda, quo velamentum partim cuſpide acus, partim margine mucronis acuto, incidatur. Lens* autem *in partem vitrei lateralem infe-* p. 56. *rioremque deduci ſic debet, ut, quae facies lentis anteriora atque poſteriora ſpectabant, iam verſus ſuperiorem inferioremque oculi partem conuerſae ſint.* Ex vitrei humoris cellulis acu diuiſis, parumque deſtructis, ea prouenire poteſt utilitas, ut lentis ille ſacculum implere, eumque in ſphaerae ſegmentum attollere, ideoque, ne velamenti lamina anterior cum poſteriore, uti vano quidam metu fieri poſſe autumarunt, concreſcat, impedire queat. In *cyſtica* dicta p. 59. cataracta, in qua lens opaca cuiuscunque indolis liquori innatat, velamenti pars anterior, ipſa prius lente in vitreum depreſſa, acu inferius perforetur, ut in aqueum liquor ille transfluere poſſit, in eoque p. 60. ſubſidere, quod vere fieri poſſe Pariſiis obſeruauit Cel. Auctor; ſin vero minus ita fiat, per corneam inciſam euocari debet. Tabula, quae diſſertationi adiecta eſt, icones partium dat, per quas, et quo modo, acus ad cataractae ſedem debeat demitti, ad faciliorem ipſius curationis intellectum apprime utiles.

XX.

De oleo palmae, materia iniectionibus anatomicis aptiſſima. Progr. Auctore SAMVELE THEODORO QVELMALZ. Ph. M. D. P. P. etc. Lipſ. 1750. 4. pl. 2.

Iniectionum, quas vocant artis anatomicae periti, utilitate laudata, ceram illis ſolam adhiberi non poſſe demonſtrat Cl. Auctor. Vt eam igitur mollio-

rem et magis ſequacem redderet, tum temporis, cum res anatomicas frequentius tractaret, olei palmae ex nucleis fructus *Aouara* dicti, palmae arboris ſpeciei, expreſſi, quartam illi, aut pro maioribus vaſis explendis tertiam partem cum felici ſucceſſu adiecit. Balſamica in primis virtute, quae putredini reſiſtat, illud ſe commendare, ex eo iudicat Cl. Auctor, quod ultra viginti annos aſſeruatum ne rancorem quidem contraxerit. Examini quoque chemico ſubiecit, et cum cerae quidem indole conuenire, ſed longe tenuius eſſe atque ſubtilius, aſſerit.

XXI.

Specim. acad. de principiis vegetationis, cuius primam partem Praeſid. D. IO. GOTTSCH. WALLERIO, Chem. Metall. et Pharmac. Prof. proponit IACOB STENIVS, Holmiae 1751. 4. pl. 3.

§. 4. Per vegetationis principia non tantum ea intelligit corpora Cl. Auctor, quae mixtionem, vel compoſitionem potius vegetabilium ut conſtitutiua ingrediuntur, ſed ea etiam, quae vegetationem quaſi *inſtrumentaliter* adiuuant, atque hinc diuidit illa principia in *paſſiua* ſiue *materialia*, et *actiua* ſiue *forma-*
§. 5. *lia*. Priora enim ſe ipſa mouere non poſſunt, neceſſario itaque aderit aliud actiuum, quo materialia iſta fluida in motum excitari queant. Praeter ea materialia non aequali vi nutritiua vegetabilium augmentum promouent, ſed alia ex illis potius ut inſtrumenta conſiderari debent, quibus reliqua materialia vel *fluidificantur*, vel *ſubtiliſantur*, vel *combinantur*, denuo itaque diſpeſcuntur in *nutritiua*, unde ipſum incrementum dependet, in *inſtrumentalia*, quibus priora ſubtiliſantur, et ita combinantur, ut naturae vegetabili aſſimilari queant, tandem in *actiua*

quae

quae motum excitant et augent. Materialia ea Cl. Auctor aſſumit, quae diu ab aliis propoſita ſtabilitaque fuerunt, ſal ſcilicet, aqua, terra et oleum. Quid vero ſingula haecce ad vegetationem conferant, ſpeciatim oſtendit, atque primo de terra diſſerit. §. 6. 7.

§. 9. Nihil vero de terra, qua tali minerali, in ſubſtantiam vegetabilium abire, ſed omnem ferme nutritionem ab aqua dependere ex HELMONTII, BOYLEI atque ELLERI experimentis ſatis euictum eſſe exiſtimat. Quod aſſertum variis praeter ea propriisque obſeruationibus corroborare ſtudet.

§. 10. Ager maxime pinguis, nulla accedente pluuia, minus exiſtit frugifer, atque hinc bonitas agri aeſtimanda a natura ſtrati ſuperioris aeque ac inferioris argillacei pinguis, quod diu humiditatem retinet; eadem etiam cauſa ſubeſt, cur agri ſicca et calida aeſtate, verſus boream et orientem declinantes, minus tardiusque aquam exhalatione emittant, et reliquis magis ſint fructiferi, ut et illi, qui ſyluarum umbra teguntur. Ne vero quis exiſtimet, eo maiorem eſſe agri fertilitatem, quo plus aquae ille contineat, obſeruari debet, alia vegetabilia aquam fluidam, alia vero eam in vapores reſolutam deſiderare, porro conſtat, fluente aqua debitum caloris gradum arceri, maior enim caloris gradus, quam aquae fluentis eſt, ad germinationem requiritur, aqua vero non tam diu calorem ſeruat ac terra; et tandem ſemina diu in aqua emollita putreſcunt facile et exſiccata euanida euadunt.

§. 11. Aqua vero in vegetatione vel *materialiter* vel *inſtrumentaliter* ſuam praeſtat utilitatem. Prius fit, dum 1) ipſam terram ad vegetabilium alimentum neceſſariam ſeu ipſam baſin ſolidam ſuppeditat, et hanc aquae ſingularem metamorphoſin denuo et aliorum et propriis obſeruationibus declarat Auctor. 2) Dum ſubſtantia ſua fluida non elaſtica partium terreſtrium combinationem ſi non abſoluit, tamen adiuuat. Inſtrumentaliter vero aqua vegetationem promouet,

tanquam vehiculum et menſtruum, in quo mediante ſale reliquae nutritiuae materiae ſolui poſſunt, ac ita praeparari, ut in materiam fluidam, ad nutritionem aptam redigantur; deinde aqua vi ſua ſolutiua et mobili ramenta et feces ab alimento ſuperſtites ſecum vehit, ut perſpiratione poſſint ex planta eliminari.

§. 12. Ab aqua ad ſalini principii nutritiam vim declarandam pergit Cl. Auctor, atque primum aliis contradicit, qui nitroſum principium vegetationem promouere perhibent; eius modi enim principium in aere adeſſe minime concedit, ut alio loco fuſius explicauit. * Verum, licet ita res Auctori videatur, tamen veriſſimum eſſe ſtatuit, nullam vegetationem ſine ſale poſſe fieri. Hoc autem non ut principium nutriens, ſed ut inſtrumentum coadiuuans conſiderandum eſſe aſſerit. Si enim ſalia plantis alimentum praeberent, ibi, ubi magna eorum copia adeſſet, neceſſario etiam herbae laete creſcerent, contrarium vero et ſalini fontes et experientia quotidie docent.

§. 13. Ea itaque de cauſa ſalia ad vegetationem requiruntur, quo aqua et oleum combinetur ipſumque oleum attenuetur, ut minimos vegetabilium tubulos permeare et ita nutritionem perficere queat. Videtur etiam tenuem iſtam vegetabilium terram mediante ſale facilius redigi cum oleo et aqua in unam maſſam, ſiue ſuccum nutritium. Concludit itaque Cl. Auctor diuerſam a ſalibus oriri vegetabilium mixtionem, ab iisque peculiarem illorum ſaporem maxime dependere, an vero etiam ad colores diuerſos aliquid conferant, nondum ſatis exploratum eſſe libere fatetur.

§. 14. Oleoſae partes duplici in primis modo ad foecundationem conſpirant, dum vel ſubſtantia ſua pingui ipſam mixtionem ingrediuntur, vel humidi-

tatem

* Conf. Auctoris Diſſ. de natura et origine nitri, Vpſal. 1749. 4. edita §. 12. et 19.

tatem et aquoſum retinent. Ab hoc materiali principio aſſimilato odor vegetabilium ſpecificus, forte etiam color dependet. Experientia dudum docuit, §. 15. ſine liberiori aere nullas creſcere poſſe plantas, quid itaque ille ad vegetationem contribuat, nunc diſquiritur. Conſideratur vero ille vel *abſtracte*, ab aliis heterogeneis ſeparatus, vel *compoſite*, cum aliis aeris partibus combinatus. Aer abſtracte conſideratus §. 16. vel elaſticus eſt, vel ea virtute priuatus. Priori reſpectu motu undiquaque premente et quaſſante nutritium ſuccum in plantis propellit, et ita principium formale conſtituit. Quid vero aer non elaſticus et ita in corpus ſolidum mutatus praeſtare poſſit, ſe ignorare ingenue fatetur Cl. Auctor. Aeris vero §. 17. cum aliis particulis remixti longe euidentior eſt ad nutritionem plantarum neceſſitas, atque hoc reſpectu et materialiter et formaliter vegetationem promouet; primum efficitur, dum particulas aqueas et oleoſas ſuppeditat, et ſalinas de acido uniuerſali aereo, non nitroſo, refocilante particulas plantis communicat, poſteriori vero modo iuuat, dum materiam *calorificam* ſubminiſtrat. Haec triplici modo agit 1) circulationem humorum mediante aere promouet, 2) aquam in terram transmutat, et 3) oleoſum atque pingue generat. Aqua itaque, pingue et §. 18. certo reſpectu caloris materia principia vegetabilium conſtituunt materialia, inſtrumentalia ſunt ſal, ex quo, cum aliis combinato, oritur ſaponaceum aquae miſcibile, et praeter ea etiam aqua, formale tandem aer eſt cum materia caloris combinatus.

Quae ex his deduci poſſunt corollaria et quo modo haec in praxi applicari queant, in poſteriori parte diſſertationis docebit, quam, ut proxime exhibeat, induſtrium naturae ſcrutatorem exhortamur.

XXII.

XXII.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia, Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa pinxit GEORG. DIONYS. EHRET, Germanus, collegit, nominibus notisque illuſtrauit CHRISTOPH IACOB TREW, M. D. Norib. in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IO. IAC. HAID. Auguſtanus, Decuria I. 1750. fol. reg. Dec. II. 1751. tab. aen. 20. praef. 1. pl. text. 1. pl.

In viua plantarum facie, quae exſiccatione facile euaneſcit, picturis idoneis ſupplenda, diu multumque ſemper laborauit TREWIVS; atque hinc a variis, et pictoriam artem optime calentibus viris indigenarum aeque ac hortenſium et exoticarum viuas ſibi comparauit imagines. De praeſtantia vero EHRETI tandem certior factus, etiam ab eo impetrauit, ut rariores plantas ſibi obuiam factas ad ipſa naturae exemplaria in charta maiore pingeret; et huic deſiderio cum ſatisfeciſſet, atque praeter ea itinere per Heluetiam Galliamque inſtituto et nunc tandem Londini pedem figens, eius modi mittere continuaret et adhuc continuat, numerus iconum 300. iamiam excedit. Quilibet autem facile praeuidet, recentiſſime exhibitas EHRETI delineationes, tum ob plantarum, quas repraeſentant, raritatem, tum ob artificis, qui indefeſſa induſtria per plures annos huic exercitio ſoli ſe conſecrauit, perfectionem, reliquis merito eſſe praeferendas. Haud exiguum quoque ad iconum praeſtantiam contulit, quod LINNAEO familiaris factus, ab eodem characteres plantarum genericos delineare didicit; id quod in primis plantae in horto Cliffortiano nitidiſſime ſculptae abunde teſtatum fecerunt.

Cum vero omnem iconum collectionem, quam TREWIVS poſſidet, attentus perluſtraret celebris ille Auguſtanorum pictor et chalcographus IOH. IAC. HAID, conſilium cepit, ex eadem illas, quae EHRETI manu artificioſe pictae ſunt, et ſimul raritate et formoſa ſpecie prae reliquis ſeſe commendant, omni ſtudio in aes incidendi, viuis coloribus ſupra charta maiore repraeſentandi, et ſingulis ſemeſtribus interuallis decuriam in publicum edendi.

Ne autem ſuſpicio oriatur, hoc opus cum illo, quod EHRETVS ipſe Londini euulgare coepit, unum eſſe idemque, ipſe TREWIVS monet, ſe eas plantas, quas ille iam edidit, non exhibere velle, et ſi forte quaedam in utroque comparriturae ſint, non una tamen eademque ratione id futurum eſſe ſpondet.

Haec praefari lubuit, antequam ipſam operis rationem reddamus. In hoc itaque 1) forma et magnitudine naturali ſeruata, plantarum habitus perfectior redditur. 2) Nullo ſeruato ordine, quippe qui in eius modi collectionibus nec poſſibilis, nec commodus, icones prodeunt. 3) Characteres partium fructificationis genericos plurimis quidem opponi velle, omnibus vero iungi non poſſe, libere fatetur, nihilo minus tamen eius modi characteres ſaepius reperientur, quorum delineatio ab aliis nondum facta eſt atque tradita. 4) Hiſtoriam ſingulis plantis, commentarii inſtar, addendam quidem, non vero abſolute neceſſariam eſſe, exiſtimat; et cum aliis grauioribus negotiis nimis diſtractus eſſet TREWIVS, debitas ipſi curas impendere vix potuit. De non nullis tamen plantis ſingularia relata ac obſeruata in adiectis notis indicabit. Omne igitur, quod ſingulis imaginibus additurum ſe eſſe promittit, eſt nominis adſcriptio. Cum vero hic exhibendae plantae plurimae a claſſicis auctoribus non recenſeantur, ulteriori ſcrutinio vel approbanda vel corrigenda ea

eſſe

eſſe monet. Illud ex receptis nominibus ſemper primo loco ponitur, quod aptiſſimum Auctori videtur. Et ut huius delectus rationem reddat, ſuam de nominibus plantarum ſententiam fuſius in praefatione declarat.

Plantae, quae prima hac atque ſecunda decuria continentur, ſunt ſequentes. Tab. I. *Cedrus foliis rigidis acuminatis non deciduis, conis ſubrotundis erectis.* Et haec *Larix foliis faſciculatis acuminatis* a LINNAEO appellatur. II. *Ananas aculeatus fructu ouato, carne albida. Tourn.* III. *Ananas folio non ſerrato Boerh.* IV. *Bocconia racemoſa ſphondylii folio tomentoſo Plum.* Huius fructificationis partes omnes nitide repraeſentantur, ſimulque annotat TREWIVS petala nulla et ſtamina modo ſex animaduerti; licet illorum quatuor, horum vero plura LINNAEVS numerauerit. V. *Anona fructu luteſcente laeui, ſcrotum arietis referente.* Haec quidem a CATESBYO eodem nomine delineata proſtat, noſtram vero perfectiorem eſſe, utramque intuenti facile patebit. VI. *Araliaſtrum foliis ternis quinquepartitis*, quod *Ginſeng* ſiue *Ninzin* officinarum et porro *Araliaſtrum foliis ternis tripartitis et quadripartitis.* VII. *Papaya fructu oblongo melonis effigie Tourn*; huius quoque partes ſeorſim delineantur, et inter eas, praeter foemininum perfectum quoque florem animaduertimus, quod hactenus nunquam obſeruatum fuit. VIII. *Corallodendron triphyllum americanum non ſpinoſum, foliis magis acuminatis, flore pallide rubente.* An a ſpinoſa diu cognita ſpecie vere diuerſa? IX. *Magnolia lauri folio ſubtus albicante. Catesb.* X. *Liriodendron foliis angulatis truncatis* ſiue *Tulipifera.* XI. *Lilium foliis ſparſis multiflorum, floribus reflexis fundo aureo, limbo aurantio, punctis nigricantibus, pedunculis ſingulis unico folio inſtructis.* XII. *Meadia foliis oblongis ſerratis floribus reflexis purpureis.* CATESBY primo eam delineauit, hic vero pulcherrimae

mae plantae partes accurate et ſeorſim exhibentur. XIII. *Lilio narciſſus africanus ſcillae foliis, flore niveo linea purpurea ſtriato.* Ipſe EHRETVS in ſuo libro Tab. V. hanc plantam delineauit, quae vero figura foliis caret, huic appictis. Cum *Lilio narciſſo* non conuenit, ſed ex ouario, ſpathae fundo adhaerente, prouenit tubus longiſſimus, ſtylum ſolum continens et in amplam corollam ſeſe explicans, cuius ſegmentis, non vero ouarii receptaculo implantantur ſtamina. Cum Crino itaque magis conuenire exiſtimat Cl. Auctor. XIV. *Cereus altiſſimus gracilior, fructu extus luteo intus niueo, ſeminibus nigris pleno Rai.* XV. *Pauia Boerh.* XVI. *Verbaſcum caule ramoſo, ſpica laxa, foliis inferioribus petiolatis oblongo acutis denticulatis glabris, flore obſolete fuſco,* quae eſt *Blattaria flore ferrugineo Tourn.* et *Verbaſcum caule ramoſo, ſpica laxa foliis inferioribus petiolatis oblongo acutis dentatis glabris, flore obſolete flauo venis purpureis variegato*, et haec alias *Blattaria flore obſolete flaueſcente colore* dicitur. Vtramque iconem unius modo plantae varietatem eſſe ipſe Auctor monet. XVII. *Meſpilus caroliniana apii folio vulgari ſimilis maior fructu luteo, Milleri.* XVIII-XX. *Muſa caudice viridi, fructu longiore falcato anguloſo Sloan*, planta integra Tab. XVIII minuta magnitudine, racemi vero fructiferi T. XIX. et flores fructusque in naturali magnitudine T. XX. delineantur. Splendidiſſimo huic operi, feliciter inchoato, eruditorum applauſum promittimus, auctorum indefeſſum optamus ſtudium.

XXIII.
Noua Medica.

Licet nouiter inuenta aut obſeruata quaeuis, diſquiſitione et elaboratione ulteriori utilia euadere poſſint, in morborum tamen curatione detecta

eius

eius modi ſanitatis praeſidia multum prae reliquis lucis atque utilitatis afferre et ſaepius iam attuliſſe, videmus. Dignum hinc illud etiam eſt nouum aduerſus cancrum ſpecificum, quod annotetur et per capta rite experimenta comprobetur. Contra dirum hunc et deteſtabilem glandularum morbum, Phytolaccam Tourn, Amaranthum bacciferum ab hortulanis noſtris cognominatum, in Eboracenſi noua Americae prouincia adhibitam fuiſſe legimus. * In America, tanquam in patria ſponte creſcens haec planta, dum propullulat, edulis eſt, adulta vero acrem rodentemque ſuccum alit, et hic quidem, expreſſus et unguenti in modum ſolis calore inſpiſſatus, cancroſae parti applicatur, et non obſtantibus grauioribus, quos primis poſt uſum horis excitat, doloribus repetitis vicibus uſurpatus iuuat. Eo enim ſolo faciei cancroſum ulcus, octo hebdomadum ſpatio, mammarum vero cancrum ſex menſium interuallo percuratum fuiſſe, quidam ex medicis illius prouinciae per additas morborum hiſtorias confirmauit. Eo utiliorem hanc obſeruationem eſſe putamus, quo grauior et nullo fere huc usque detecto auxilio compeſcendus eſt morbus, cui ſpecificum dictum hoc medicamentum opponitur, et quo facilior eius eſt comparatio. In hortis enim, leui tantum opera adiuta facile creſcit phytolacca, in Hetruriae autem ac Mediolanenſi ducatu ſponte nunc prouenit.

Doctores et Profeſſores publice et priuatim artem ſalutarem docentes:

I) In Academia Argentoratenſi.

IO. IAC. SACHS, M. D. Pathol. Prof. Publ. Ord. Capituli Thomani Senior, Sereniſſ. Landgrauii Haſſo Darmſtatini eiusque Principis Haereditarii Conſil. Aulicus et Archiater.

GEORG.

* Vid. noua literaria Gœttingenſia an. 1752. no. 26. p. 254.

GEORG. HENRICVS EISENMANN. M. D. Anat. et Chirurg. Prof. Publ. Ord. Capituli Thomani Canonicus.

IO. BOECLER. M. D. Chem. Botanic. reliquaeque Mater. Med. Prof. Publ. Ord. Capituli Thomani Canonicus.

PHILIPP. HENRIC. BOECLER. M. D. eiusdemque Prof. Publ. Extraordin.

IAC. REINBOLDVS SPIELMANN. M. D. eiusdemque Prof. Publ. Extraordin.

IO. PHILIPPVS GRAVEL. Phil. et M. D. Phyſices Prof. Publ. Ord. Capituli Thomani Canonicus, qui ex philoſophorum ordine huc refertur.

IO. IAC. FRIED. M. D. Ciuitat. Argentorat. Obſtetricans iuratus.

GEORG. HENRIC. BEHR. M. D. Principis Hohenloici Conſil. Aulic. et Archiater. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

2) In Academia Vltraiectina.

IOHANNES OOSTERDYCK SCHACHT. Phil. et M. D. Inſtitt. Med. et Prax. Prof. Ord.

IACOBVS GISBERTVS WOERTMAN. M. D. Anat. et Chir. Prof. Ord.

EVERARDVS IACOBVS VAN WACHENDORFF. M. D. Med. Botan. et Chem. Prof. Ord.

3) In Academia Goettingenſi.

GEORG. GOTTLOB RICHTER. M. D. Magn. Britanniae Reg. Conſil. Aulic. et Archiater, Medicinae Prof. Primar. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

ALBERTVS AB HALLER. Phil. et M. D. Conſil. Aul. et Archiater. Reg. et Elect. Med. Anat. Chirurg. Botan. Prof. Publ. Ord. Praeſes Colleg. Chirurg. Societ. Reg. Scientiar. Praeſes, Acad. Nat. Curioſ. et Regg. Brit. Boruſſ. Suec. et Vpſal. Sodal. in ſupremo Senatu Reipublicae Bernenſis Ducentumuir.

IO. ANDR. SEGNER. Phil. et M. D. Med. Phyſ. et Math. Prof. Publ. Ord. Societ. Regg. Londin. et Berolin. Sodalis.

IO. GOTHOFR. BRENDEL. Phil. et M. D. huiusque Prof. Publ. Ord.

IO. GEORG. ROEDERER. M. D. eiusdemque Prof. Publ. Extraordinar. Rei Obſtetriciae Prof.

GEORG. MATTHIAE. M. D. Bibliothecae Cuſtos.

Quae ſub auſpiciis Principis Hiſpanienſis regii Cardinalis *Madriti* floret Medicorum ſocietas, praemia triginta, et quod excurrit, thalerorum pretio, ad annum proxime elapſum pertinentia, menſe nouembris diſtribuit, primum eorum IO. MATTHIAS DE BERCKMANN, M. D. ſecundum vero RAIMVNDVS BRVNET DE LA SYLVA, ſacerdos, medicam inſimul artem exercens, reportauit. Diſſertationes hunc in finem confectae, illam disquirebant materiem, cur praegnantes ſaepius abhorreant edulia, quae ipſis antea accepta fuere, alia contra valdopere appetant, et cur non nullae earum gypſo praecipue, calce, prunis aliisque ſimilibus rebus geſtationis tempore adeo delectentur. Aeque difficilis illa eſt quaeſtio, quae huic, quo viuimus anno, dicata, naturam et cauſas paralyſeos, remedia etiam percurando huic morbo, huc usque cognitis magis apta et efficaciora concernit. Commentarii de hoc argumento elaborati, ante finem menſis ſeptembris, ad PETRVM BEDOYA DE PAREDES, Conſiliarium aulicum et Archiatrum, Academiae itidem Secretarium, transmittendi ſunt.

Rudelſtadii ad finem praeteriti anni ſcholae anatomicae nouae apertae fuere, in chirurgorum et obſtetricum illius regionis utilitatem, a Principe Schwarzburgi nunc regnante IO. FRIDERICO inſtitutae. Inſtructum hunc in finem in huius urbis orphanotrophio theatrum anatomicum, a. d. I. menſis

octobris

octobris inaugurauit Vir Clar. IO. CHRISTOPH. REINMANN, M. D. urbis aeque ac totius prouinciae Phyſicus ordinarius, anatomicis his lectionibus a Principe praefectus. Praemiſit ille primis ſuis, in feminino cadauere ſuſceptis, demonſtrationibus programma, in quo de chirurgiae neceſſitate et eius, ex anatomia capto incremento, breuiter diſſerit. Secundae vero, a. d. 20. octobris eiusdem anni, feminini iterum corporis habitae anatomiae, in ſchediasmate, germanico idiomate conſcripto, praefatur, et corporis humani conſiderationem ut nobiliſſimam et utiliſſimam commendat. Ita vero in duplici hac diſſectione verſatus eſt Cl. REINMANN, ut conuocatis, per Principis mandatum illius regionis chirurgis et obſtetricibus, partium fabricam et uſum declararet, prioribus in primis oſteologiam recentem proponeret, quam omni etiam anni quadrante praeter alias, quae quotannis ex inſtituto ab eo ſuſcipiendae ſunt, corporum quorundam diſſectiones, in exſiccatis oſſibus repetere ipſi animus eſt. Obſtetrices vero, quo rectius non tantum partes, quas tractant, cognoſcant, ſed optimam etiam parturientibus feminis praeſtare ſciant operam, Princeps chirurgo, cuius curae ipſum ſe tradidit, VALENTIN nominato, id dedit officii, ut qui Argentorati olim obſtetriciam artem didicerat, eam nunc feminas, ad quas illa deferri ſolet, ſingula quauis hebdomade, per duas horas edoceat. Vtiliſſima ſane eius modi ſunt inſtituta, ſi modo chirurgicis iſtis operibus illae ſemper atque ubique admouerentur perſonae, quae, tradita ſibi a magiſtris, optima quaeque praecepta et retinere et ad normam eorum, ſi caſus tulerit, muneribus ſuis, quae vitam humanam attinent, fungi atque praeeſſe valerent.

Anatomico chirurgico *Brunſuigae* inſtituto Collegio adſcriptus nuperrime fuit Vir Cl. VRBANVS

FRIDERICVS BENEDICTVS BRVCKMANNVS, M. D. qui Proſectoris primi, ſibi ex principis voluntate demandato, munere fungens, duabus per ſingulam ſeptimanam horis phyſiologiam publice in theatro anatomico edocebit. Programma harum lectionum auſpiciis praemiſſum, cauſas continuae agitationis maxillae inferioris in ſenibus obſeruandae disquirit. Quae naturalis eſt decrepitis perpetua fere maſticatio, a maxilla inferiori, altius nunc, ob dentium defectum verſus ſuperiorem adducta, iterumque, a rigidioribus factis et praeter conſuetum antea modum extenſis digaſtrici fibris, depreſſa, Cl. Auctori prouenire videtur.

Ex numero eorum, quos *Berolinenſis* regia ſcientiarum academia in conuentu, a. d. 16. martii huius anni habito, ſocios ſibi iunxit, ad nos etiam pertinet, quem nominemus, Cl. IALLABERTVS, phyſicam, quae per experimenta confirmatur, et matheſin Geneuae publice docens, ex variis, quae edidit, ſcriptis, experimentis in primis electricis, quae medicis uſibus accommodata haud ita pridem publicauit, lectoribus noſtris iam cognitus.

Londinenſis, regia auctoritate conſtituta, ſcientiarum ſocietas, Secretarii ſui, CROMWELL MORTIMER, Phyſici ac Medici clariſſimi atque induſtrii iacturam paſſa eſt, quippe qui hydropico morbo laborans ad d. 8. ianuarii huius anni, vitam cum morte commutauit. In eius locum, qui Secretarii muneri praeeſſet, Virum Clariſſ. THOMAM BIRCH, a. d. 5. menſis februarii a ſocietate nominatum, ſocium vero Clar. BRADLEY Aſtronomum electum fuiſſe accepimus.

Elogium

Elogium ABRAHAMI VATERI, Med. Doct. et Profeſſoris in academia Vitebergenſi primarii.

Qui patriae magis atque parentibus laudem atque exiſtimationem conciliare, quam partam eorum gloriam, dum viueret, ſibi unice arrogare ſtudebat ABRAHAMVS VATERVS, anno praeteriti ſeculi octogeſimo quarto a. d. VII. Id. decembr. Vitebergae natus, patrem habuit CHRISTIANVM, artis ſalutaris Doctorem et Profeſſorem, temporibus iſtis celeberrimum, matrem vero IO. DEVTSCHMANNI, Theologi eximii filiam. Eum, optimae ſpei iuuenem, parentes non domi tantum, fideliter iis imbuere curarunt praeceptis, quae fundamenta diſciplinarum et vitae felicis appellari debent, ſed Martisburgum etiam in gymnaſium inſtitutionis cauſa miſerunt, optimo certe conſilio, quo iuuenes, aliorum curae commiſſi, virtutem ſequi et vitia euitare, eorum, cum quibus verſantur, exemplo addiſcunt. Ab inde poſt aliquot annos redux factus academiae patriae nomen dedit, et iis, quae ex philoſophia, matheſi, hiſtoria et rerum naturalium ſcientia, medicinam et attinent et ornant praemiſſis, praeclaro parentis exemplo excitatus, ſalutari arti ſeſe addixit. Magiſtris uſus eſt in reliquis doctrinis ROESCHELIO, SCHOENINGIO, DASCHIZCCIO atque SCHVRZFLEISCHIO, medicam vero diſciplinam optimus parens atque IOH. GOTTFR. BERGERVS eum edocuerunt. Praeter eximia deinde diligentiae documenta, duplici vice diſputauit, et primo, moderatore DASCHIZCCIO, mechaniſmum corporum naturalium, deinde ſub ROESCHELII praeſidio, τὸ θεῖον in phyſicis expoſuit. Acceptis poſtea ſummis in philoſophia honoribus, anno huius ſeculi nono, primum in medicina examen ſuſtinuit, et praeceptoribus inde

commendatus, Lipſiam noſtram eo quidem animo adiit, ut ex BOHNII, RIVINI, PAVLI, SCHACHERI et ETTMVLLERI, celebrium virorum, inſtitutionibus proficeret. Domum abinde reuerſus, in ſequente anno ſub BERGERI praeſidio, de peſtilentia vera, e cathedra differens, Doctoris medicinae titulum atque honores promeruit. Cum vero nil magis ſcientiae medicae ab omni fere tempore adiumento fuiſſe intelligeret, quam ſi eam colentes alias regiones atque prouincias ingreſſi, ex vario hominum viuendi genere, diuerſoque morborum genio, ſuorum ſalutem viuendique methodum diiudicarent atque conſtruerent, ipſe, qui, quantum poſſibile, artis ſuae perfectiorem acquirere cognitionem et ciuibus omni modo prodeſſe cupiebat, ad alios populos proficiſcendi capiebat conſilium. Sub ipſis huius itineris auſpiciis, Lipſiam noſtram, quae eum antea inſtruxerat, iterum ſalutabat, et inde ad principes Germaniae academias celebresque urbes progrediebatur, praeclaros ubique et in ſcientiis, naturali potiſſimum et medicina, multum verſatos viros adibat, non ab exteris tantum omnem ſolidiorem eruditionem petendam eſſe, ſed in ipſis adhuc Germaniae finibus eam inueniri, probe perſpiciens. Sic praeparatus quaſi et magnorum virorum conuerſationi aſſuefactus Belgium ingrediebatur, et cum magnis illius aeui medicis, ALBINO, BOERHAAVIO atque RVYSCHIO colloquendi et ex eorum doctrina locupletatus redeundi opportunitatem nanciſcebatur. Ab his in Britanniam diſcedens per aliquot menſes Londini ſubſiſtebat, et anglicani ſermonis poteſtatem breui tempore ſibi conciliabat, largiſſimum ex hoc labore reportans fructum. Licet enim tunc temporis magnos ubique et in exiſtimatione conſtitutos inueniret viros, quorum familiaritate uti laudi aeque ac emolumento ipſi erat, in Anglia tamen optima praecipue capiebat in arte ſua incrementa. Nam praeter theatrum

trum Scheldonianum, bibliothecam Bodleianam, et alia, quae Oxonii viſitabat, collegia, et praeter muſea IO. SLOANE et WOODWARDI, quae luſtrabat inſtructiſſima, Londini etiam ABRAHAMVM DV MOITRE in arithmetica uniuerſali, HAVCXBECVM in phyſica experimentali magiſtros habebat, et morborum chirurgicorum tractationem in noſocomiis a claris in hac arte viris addiſcebat. Cel. deinde RVYSCHII cauſa in Belgium iterum reuertebatur, et miram eius, in exhibenda partium corporis humani fabrica, induſtriam non tantum ſpectator admirabatur, ſed ipſum etiam demonſtratorem habebat. SIRMESIO praeter ea anatomiam docenti, RAVIO atque RVYSCHIO iterum chirurgiam in noſocomiis exercenti ſedulus aderat. Haec, quae noſtro, ob egregias animi dotes et diſcendi feruorem, bonis ubique viris commendato, ſeſe offerebat exoptata proficiendi occaſio, aeque ac dulciſſimum cum AVGVSTINO FRIDERICO WALTHERO, qui tunc perpetuus itineris comes, Lipſiae poſt ea noſtrae ornamento fuit, ipſi intercedens amicitiae vinculum, ita enim a ſuis remotum tenebant, ut inuitus fere per inferioris Germaniae principes urbes reuertens, patriae tandem atque parentibus iterum ſe traderet, optima rerum naturalium et medicarum ſcientia exornatus. Hanc deinde, quam ſibi comparauerat, eruditionem aliis iterum tribuendi commodam nactus eſt occaſionem, cum anno huius ſeculi decimo octauo medicinam extra ordinem docendi munus in academia patria ipſi demanderetur, cui tamen ultra biennium non praefuit; tunc enim nomine HEVCHERI, celebris poſt fata adhuc viri, cum ille Dresdam auocaretur, botanicam atque anatomiam profiteri cepit, in cuius etiam locum trigeſimo tertio anno conſtituebatur. Is eum capiebat harum diſciplinarum amor, ut, cum deinde, BERGERO mortuo, ſecundum in ordine medicorum locum occuparet, pathologia,

 quae

quae ipſi ex muneris ratione edocenda erat, ad STENZELIVM delata, eaedem illae diſciplinae ipſi flagitanti ex Regis clementia relinquerentur, a quibus etiam, quadrageſimo demum ſexto huius ſeculi anno, quo Profeſſor primarius et ordinis medici Senior deueniebat, diſceſſit, in therapia potiſſimum auditores nunc inſtruens. Academicis hiſce muneribus eam adhibuit diligentiam atque fidelitatem, quam exteri iam in eo, ſuae cognitionis amplificandae cauſa itinera faciente, erant mirati. Praeter id enim, quod anno iam duodecimo huius ſeculi, ab academia imperiali naturae curioſorum in ſociorum numerum, ſub ANTIPATRI nomine, relatus fuerit, Londinenſis etiam ſcientiarum ſocietas anno vigeſimo primo, regia tandem Pruſſica academia anno vigeſimo nono ob ea, quae in eo conſpiciebantur, merita ſuis eum annumerauit. Indefeſſum potiſſimum anatomiae ſtudium in eo fuit. Ipſe enim anatomicum Vitebergenſis academiae theatrum non tantum exſtruendum curauit, et anno trigeſimo ſexto, cum Rectoris munere functus eſſet, publice dedicauit, ſed eximiam quoque rerum anatomicarum collectionem, quam ex Regis clementia obtinuerat academia, ordinauit et catalogum de iis confecit. Ipſe praeter ea partes diſſectas replendi et conſeruandi artem, quam a RVYSCHIO didicerat, felici cum ſucceſſu ita tentauit, ſeduloque exercuit, ut ſplendidum inde, de quo haud ita pridem retulimus, muſeum inſtructum et ornamento ipſi ſit, et optimum praebeat documentum, quantum a moribus eorum receſſerit, qui eruditorum nomen prae ſe ferentes, exterorum ſolertiam atque inuenta conſpicientes, ea vix admirandi ſaepius inueniunt materiem, ne dum ut ipſi imitandi aliorum induſtriam, capiant conſilium, vel, ſi quae adhuc eorum animis ineſt naturae exiſtimatio, corraſis ſaltim atque coemtis, quos nominare vix ſciunt, rerum naturalium theſauris ſuperbiunt. Ex ſcriptis etiam, quorum catalogum

talogum inferius trademus, multa eius in indaganda corporis humani ſtructura poſitam induſtriam ipſa eloquuntur, ſic nouum, circa coecum ſic dictum linguae foramen, ſaliualem ductum in duplici diſſertatione deſcriptum propoſuit, naturalis deinde, quae in foramine ouali, poſt natum infantem contingit coalitionis cauſam, et nouum bilis in duodeno notatum diuerticulum indicare et confirmare allaborauit. Botanicam etiam ut alteram muneris, cui per plures annos praeerat, partem, optime coluit et hortum huic inſtituto dicatum academicum amplificatum plus ſimplici vice deſcripſit. Fideliter itaque artis ſalutaris alumnos inſtruens noſter, quam diu vires corporis id permittebant, diſcentibus utilitati, academiae vero ornamento, aegrotis auxilio, ſuis atque amicis oblectamento fuit, et poſt fata adhuc partam meritorum gloriam retinebit. Finiuit vitam laudabiliter peractam, a. d. XIV. Calendarum decembris, poſt ea quam pridie Iduum menſis nouembris regius morbus, eum ſenem ſexageſimum ſeptimum annum agentem, inuaſerat. Sequentia ſunt, quae reliquit noſter eruditionis monumenta.

Diſſ. de mechaniſmo actionum vitalium prior, de principio vitali, Reſp. A. Wöldicke, 1707.

Ad FR. RVYSCHIVM, de viis abſconditis pulmonum, quibus aer reſpirando receptus in ſanguinem penetrat, nec non de vaſorum ſecretoriorum ſtructura mechanica, et de fibrillarum neruearum in cerebro principiis epiſtola, cum reſponſione RVYSCHII, Amſtel. 1714 recuſa, quae in ordine Epp. Anat. Probl. eſt XVI. 1708.

De actionibus vitalibus, diſſ. 2da, Reſp. C. I. Scheffler, 1709.

De ſucci neruei ſecretione mechanica diſſ. Reſp. T. W. Marburg. 1711.

Pr. de incrementis theoriae medicae Londini idiomate anglico editum, latinitati donatum.

CHRIST. VATERI Phyſiologia experimentalis, editio ſecunda, opera ABR. VATERI, 4.

Diſſ. de theoria chymiae mechanica, Reſp. G. Fr. Vatero, 1713.

Diſſ. de oeconomia ſenſuum ex ſpeciali organorum ſenſoriorum, et ſigillatim ex papillarum nerueарum textura demonſtrata, Reſp. I. G. Klepperbein. 1717.

Pr. de incrementis artis medicae, ex remediis exoticis nouiter detectis expectandis. 1718.

Pr. de mechaniſmo, quo natura utitur in obturando foramine ouali et ductu arterioſo. 1719.

Diſſ. de nouo bilis diuerticulo, circa orificium ductus cholidochi, ut et valuuloſa colli felleae veſicae conſtructione, Reſp. P. G. Berger. 1720.

Diſſ. de methodo noua transplantandi variolas per inſitionem, Reſp. Io. H. Vlrici et C. H. Stolle.

Pr. de balſami de Mecca natura et uſu.

Pr. de hepate in hydrope ſaepius inſonte.

Diſſ. de vulnerum in inteſtinis lethalitate, Reſp. I. R. Tieffenbach. c. f.

Pr. de nouo ductu ſaliuali, eoque praecipue in lingua excretorio, nunc demum iniectione detecto, cum fig. 1720.

Eine Abhandlung vom Blatter Beltzen. 1721.

Catalogus plantarum, in primis exoticarum horti academici Vitebergenſis, c. f.

Diſſ. de calculi in veſica fellea generatione, Reſp. I. F. Schimmer. 1722.

Diſſ. de vulnere cerebri ſclopetario, ſeptima demum hebdomade abſolute lethali, Reſp. I. A. Seyfferth.

Diſſ. de grauiditate apparente, ex tumore ouarii dextri enormi, tandem in aſcitem terminata, Reſp. P. G. Berger, c. f.

Pr. Vaſa

Pr. vaſa lactea cum ciſterna chyli duodecimo poſt mortem die chylo adhuc turgida demonſtrata.

IO. CVRVI SEMMEDI Pugillus rerum indicarum, ſeu hiſtoria variorum ſimplicium ex India, America, aliisque terrarum partibus allatorum, ante hac lingua Luſitanica exaratus, nunc latinitati donatus cura A. V. 4.

Diſſ. de vitiis viſus duobus rariſſimis, Reſp. I. C. Heinecke. 1723.

Diſſ. de ſcirrhis viſcerum, Reſp. C. S. Ezler.

Diſſ. de ſyncope eiusque cauſis et cura, Reſp. B. Schicht.

Nachricht von der Beſchaffenheit und Succeſs des Blatterbeltzens in Neu Engelland, aus dem Engliſchen überſetzt.

Pr. de praeſtantia et certitudine ſemeioticae medicae.

Diſſertatio Regiae magnae Britanniae ſocietati dicata, qua ductus ſalivalis in lingua elucidatur, confirmatur, nouisque experimentis adſtruitur, c. f.

Pr. de liene celluloſo.

Diſſ. de podagra armis chymicis expugnabili, Reſp. I. F. C. Gerken. 1724.

Diſſ. de igne incendii febrilis cauſa, Reſp. Io. C. Otto et C. S. Otto.

Diſſ. de ſenectutis praeſidiis, Reſp. M. A. G. Richter.

Diſſ. de ingrauidatione diſſimulata, ac diſſimulandi mediis, Reſp. L. M. Chalybaeus.

Pr. de palaeſtra anatomica regio mandato aperta.

Supplementum catalogi plantarum, ſiſtens acceſſiones nouas horti academici Viteberg. 4. c. f.

Diſſ. de ſpecificorum antepilepticorum, ſigillatim olei animalis virtutibus, Reſp. H. I. Burchardi. 1725.

Diſſ. de utero grauido phyſiologice et pathologice conſiderato, Reſp. Beni. Muller. c. f.

Pr. de umbilici dignitate.

Pr. de hippomane.

Diſſ. obſeruationes rariſſimae calculorum in c. h. generationem illuſtrantes, Reſp. C. A. Ziegenhorn. 1726.

Catalogus variorum exoticorum rariſſimorum, maximam partem incognitorum et nullibi deſcriptorum, partim medicinae, partim curioſitati inſeruientium, quae in muſeo ſuo poſſidet. 4.

Pr. de oſſificatione praeternaturali partium membranacearum corporis, in primis trunci aortae.

Diſſ de analepſi rationali, Reſp. I. Thielen, 1727.

Pr. de hymene.

Pr. de animae et corporis commercio.

Pr. de miſerere mei.

Ad FR. RVYSCHIVM de muſculo orbiculari in fundo uteri et lacunis uteri grauidi epiſtola c. reſponſione RVYSCHII, Amſtelod. 4.

Diſſ. de caſu raro, ſarcomatis e pudendo muliebri ſectione ſublati, Reſp. I. D. Behrens, c. f. 1728.

Pr. de chirurgiae antiquitate ac dignitate.

Pr. de oſſium in c. h. generatione et generatorum diminutione et abſumtione, in primis alueolis dentium in maxilla ſenum in totum obliteratis.

Pr. de utilitate obſeruationum, tum in uniuerſa medicina, tum in anatome, et varia in cadauere viri nonagenarii obſeruata.

Diſſ. de mola praegnante abortus cauſa, Reſp. I. G. Vater, c. f. 1729.

Diſſ. de prudentia et circumſpectione in uroſcopiae adminiſtratione, Reſp. I. G. Fiſcher.

Diſſ. de aſthmate a depreſſione ſterni ex febre purpurata cum orthopnoea affligente reportato, ſola thoracis artificiali conſtrictione curato. Reſp. I. O. Arnoldt, 1730.

Diſſ. de febre tertiana ob empyema e vomica rupta lethifera, Reſp. I. G. Mutilet, 1731.

Pr. de iniectionis cerae coloratae utilitate ad viſcerum ſtructuram genuinam detegendam.

Diſſ.

Diſſ. de tincturae antimonii varia praeparatione, indole et efficacia, Reſp. S. G. Wenzel. 1732.

Diſſ. de morbo ſpasmodico a variolis male curatis, Reſp. C. F. Hundertmarck.

Diſſ. de haemoptyſi, Reſp. D. F. Michaelis.

Diſſ. de potus in febribus neceſſitate, Reſp. I. F. Thaer.

Diſſ. de ipecacuanhae virtute febrifuga atque antidyſenterica, Reſp. I. G. Fritſch.

Diſſ. de cholera humida, Reſp. I. G. Nicolai. 1733.

Diſſ. de inflammationis ſanguineae theoria mechanica, Reſp. P. H. G. Moehring.

Diſſ. de ictero ex contuſione dextri hypochondrii, per diarrhoeam criticam ſoluto, Reſp. G. C. Schubart.

Diſſ. de oſteogenia naturali et praeternaturali, Reſp. Dau. Vlmann.

Pr. de laboribus ſuis anatomicis et botanicis per 13. annos ſuſceptis.

Diſſ. de efficacia admiranda chin-chinae ad gangraenam ſiſtendam in Anglia obſeruata, Reſp. I. T. Niederſtadt. 1734.

Diſſ. de valore et ſufficientia ſignorum, infantem recens natum aut viuum aut mortuum editum arguentium, Reſp. I. A. Suſſemilch. 1735.

Diſſ. de ruta eiusdemque virtutibus, Reſp. I. A. Kettner.

Pr. de cuticula pueri 15 annorum, cutis rhinocerotis aut corticis arboris inſtar incraſſata, quotannis decidua.

Diſſ. de antidoto nouo aduerſus viperarum morſum praeſentiſſimo, in Anglia detecto, Reſp. F. Gensler. 1736.

Regii in academia ad Albim muſei anatomici Auguſtei catalogus uniuerſalis cum orat. de muſeis, qua conclaue nouum ad condendum theſaurum regium exſtructum inaugurauit. c. f.

Pr. de olei oliuarum efficacia, contra morſum canis rabioſi, experimento Dresdae facto adſtructa.

Diſſ.

Diſſ. de lauroceraſi indole venenata, Reſp. I. A. S. Böttiger. 1737.

Syllabus plantarum potiſſimum exoticarum, quae in horto medico academiae Vitebergenſis aluntur.

Pr. de ſitu ſingulari et praeternaturali inteſtini coli.

Diſſ. de chordapſo Celſi, Reſp. I. L. Weidner. 1738.

Diſſ. de polypo poſt febrem epidemicam ex utero egreſſo, Reſp. C. Schunckius. 1739.

Pr. de olei animalis efficacia contra hydrophobiam et venenum lauroceraſi. 1740.

Diſſ. de calculis in locis inuſitatis generatis et per vias inſolitas excluſis, Reſp. I. A. Schulze. 1741.

Diſſ. de conſenſu partium corp. hum. occaſione ſpaſmi ſingularis in manu eiusque digitis ex hernia obſeruati, expoſito ſimul neruorum brachialium et cruralium coalitu peculiari atque papillarum neruearum in digitis diſpoſitione, Reſp. I. G. Lehmann.

Pr. de lithontriptico nouo anglicano.

Pr. de anatome trunci ulmi cui cornu ceruinum monſtroſum inolitum erat.

Diſſ. de veſicatoriorum ad domandas febres malignas virtute et efficacia, Reſp. I. C. Hoffmann. 1742.

Diſſ. de polypo naſi ex faucibus feliciter extracto eiusque generatione, varietate et cura, Reſp. I. G. Süſſe. 1743.

Diſſ. de morbis magnis ex paruis initiis et leuioribus cauſis oriundis, Reſp. I. C. F. Rupp. 1744.

Pr. de cornu cerui monſtroſo a trunco arboris fagi reſecto.

Pr. de prouerbio: medice viuere, miſere viuere. 1745.

Diſſ. de curatione per expectationem, ubi ſimul natura criſium cauſa et morborum medica examinatur, Reſp. I. G. Schönwald. 1746.

Diſſ. de lienis prolapſione ad Hippocratis επιδημιων Lib. VI. Sect. II. aphor. 30 locum, Reſp. I. D. Kreyſig.

Regii in academia ad Albim muſei anatomici catalogi appendix. 4.

Pr. de

Pr. de neceſſitate ſemeioticae medicae.

Diſſ. de dyſenteria epidemica maxime contagioſa et maligna, ſuperiori anno patriam deuaſtante, Reſp. I. G. Vogel. 1747.

Pr. de peruerſa conſuetudine, qua empirici et medici ſuas panaceas atque ſpecifica venalia exponere ſolent.

Pr. de medicamentorum in primis purgantium diuerſa operatione pro diuerſitate climatum, temporum aut ſubiectorum.

Diſſ. de fonte medicato Vitebergenſi, Reſp. I. C. Riedel. 1748.

Pr. de fama medicatorum fontium cito ſaepe creſcente, cito decreſcente.

Pr. de plica polonica rariſſima, in porticu Regia Dresdenſi adſeruata. 1749.

Pr. de tincturae antimonii a ſe inuentae virtute et efficacia in cura morborum rebellium.

Diſſ. de deglutitionis difficilis et impeditae cauſis abditis, Reſp. F. A. Im. Zinckernagel. 1750.

ABR. VATERI Muſeum anatomicum proprium &c. acceſſerunt obſeruationes quaedam Auctoris anatomicae et chirurgicae &c. c. praefatione LAVR. HEISTERI, Helmſtaed. c. f. 4.

Diſſ. de phosphori loco medicinae aſſumti virtute, Reſp. I. G. Mentz. 1751.

Diſſ. de cauſis et effectis plethorae, Reſp. Chr. Paecken.

Pr. de vitrioli eiusque ſulphuris et tincturae indole atque praeſtantia.

Pr. de hypotheſium in phyſicis et medicis noxis.

Pr. de praeiudiciorum in medicina noxis.

Pr. de olei oliuarum efficacia et virtute aduerſus morſum animalium venenatorum, caſu ſingulari confirmata.

XXIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno CIↃ IↃ CC L prodierunt.

TOBIAS CONRAD HOPPE *von Miſsbrauche der ſo genannten Hamburger Zucker-Bilder, nebſt Beſchreibung von dem Nutzen des* Linagroſtis *in Brandſchäden und Beurtheilung eines ſogenannten Wurzel-Thees, Berlin, 4.*

GE. LVD. HÜBER Diſſ. de plethora male curanda per inediam, Reſp. *Phil. Ign. Kaſt.* Wirceb. 4.

IO. IAC. HVBER Pr. ſatura medica ad felicem praxin clinicam ducens et in primis naturam medici magiſtram tradens, Caſſellis, 4.

The natural hiſtory of Barbados in ten books, by the Reud. Mr. GRIFFITH HVGHES, Lond. fol. c. f. aen.

An eſſay on fevers and their various kinds as depending upon different conſtitutions of the blood, with diſſertations on slow nervoas fevers, on putrid peſtilential ſpotted fevers, on the ſmall pox and on pleuriſies and peripneumonies by IOHN HVXHAM, London, 8.

IO. GVIL. FRID. IAHN Diſſ. de inſolita calculi ingentis per ſcrotum excluſione, Vitemb. 4.

IOH. GOTTF. IANKE de Forfice et forcipe ferramentis a Bingio inuentis Ep. Lipſ. c. f. 4.

I. A. IAVCHVS, *die Venus-Seuche mit allen ihren Zufaellen mit und ohne* Saliuation *zu curiren, Witteb. 8.*

A Treatiſe on diamands and pearls by DAVID IEFFRIES, London, c. f. aen. 8.

IO. GOTTL. ISRAELIS Diſſ. de abſtinentia morborum cura, Lipſ. 4.

CAR. CHR. GVIL. IVCH Diſſ. de bilis ſecretione ſecundum et praeter naturam, Erford. 4.

HERM. PAVL. IVCH Pr. de bilis dignitate et praeſtantia eiusque in corpore humano organo ſecretorio, Erford. 4.

HERM.

HERM. PAVL. IVCH Diſſ. de lue venerea additis affectibus cognatis, Reſp. *Phil. Aug. Kleinſchmid*, Erf. 4.

IO. IVNCKER Diſſ. de fatis ventriculi dolendis, Reſp. *Io. Gottfr. Stoecker*, Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. de reſoluentibus eorumque modo operandi et uſu, Reſp. *Erdman Tſchulcke*, ibid. 4.

Eiusd. Conſpectus chemiae theoretico practicae Tomi II. ibid. 4.

LVD. CHR. IVNCKER Diſſ. de damno ex ſcabie repulſa et remedio illud auertente, Halae, 4.

I. H. G. IVSTI *das entdeckte Geheimniſs der neuen ſächſiſchen Farben, nebſt einigen Betrachtungen von dem Vorzuge und der Theorie dieſer neuen Färbekunſt*, *Wien*, 8.

Diſſertation contenant de nouvelles obſeruations ſur la fievre quarte et l'eau thermale de Bourbonne par IVVET, à Chaumont, 8.

ABRAH. GOTTH. KAESTNER de lege continui in natura, Lipſ. 4.

CAR. FR. KALTSCHMIED Diſſ. de arthritide rationaliter demonſtrata, Reſp. *Paul Iac. Kniper*, Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. de virginitate, Reſp. *Io. Beni. Roſs*, ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de inflammationibus febre acuta ſtipatis, Reſp. *Car. Adam Iannau*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de partu caeſareo, Reſp. *Io. Beni. Roſs*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de morbis puerperarum, Reſp. *Io. Gottl. Iſaac*, ibid. 4.

GOTTL. HEINR. KANNEGIESSER de cura piſcium per Sleſuici et Holſatiae ducatum uſitata, Kil. 8. c. f.

IO. GEORG. ALB. KIPPING Diſſ. de conſuetudine, Helmſt. 4.

IO. HIER. KNIPHOF Diſſ. de uſu venae ſectionis in puerperis, Reſp. *Io. Erneſt. Biſchoff*, Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. de virgis, Reſp. *Chr. Ernſt Löſcher*, ibid. 4.

Ei. Diſſ. de errore loci, Reſp. *Io. Ern. Zeiher*, ib. 4.

Ei. Pr. errores loci non nullos recenſens, ib. 4.

IO. CHRIST. GERHARD KNOLL, *von den ſchädlichen Würckungen des uebermäſsigen Brantweintrinckens, Wernigerode*, 4.

GEORG. WOLFFG. KRAFFT Diſſ. de hydroſtatices principiis generalibus, Reſp. *Io. Chr. Lud. Mieg.* Tubingae, 4.

Eiusd. Diſſ. noua de phialis vitreis ab iniecto ſilice diſſilientibus, Reſp. *Io. Oſiander*, ibid. 4.

Eiusd. Oratio de inſoliti caloris aeſtiui cauſa, ibid. 4.

Eiusd. Praelectiones academicae in phyſicam theoreticam conſcriptae, ibid. 8.

KRETZSCHMERS *Auszug aus der neuen Ackerverbeſſerung, Berlin, 8.*

G. C. KREYSIG Bibliotheca ſcriptorum venaticorum &c. Altenb. 8.

IO. GOTTL. KRÜGER Diſſ. qua geogenia et cataclysmologia Whiſtoniana dubia redditur, Reſp. *Io. Godofr. Henr. Lucanus*, Halae, 4.

Eiusd. *Naturlehre* I. *Th. 3te Auflage, Halle, 8. III. Th. oder Pathologie, ibid. 8.*

ERNST GOTTFR. KVRELLA *Beweis, daſs die Auſchläge nicht von Wuermern entſtehen, nebſt einer kleinen Abhandlung von Ausſchlägen, Berlin, 8.*

Eiusd. *Entdeckung der Maximen, ohne Zeitverluſt und Muehe ein beruehmter Arzt zu werden, Halle, 8.*

C. G. L. *Bergrechtliche Nachricht von Erbbereiten, Freyberg und Leipz. 8.*

Hiſtoire generale, civile, naturelle, politique et religieuſe de tous les peuples du monde, par l' Abbé LAMBERT, a Paris, XV. Voll. 12.

GEORG. AVG. LANGGVTH Pr. de immoderatiori tabaci abuſione communi iuuenilis aetatis pernicie, Vitemb. 4.

Eiusd. Pr. de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia, ibid. 4.

IAC. LAZERME Curationes morborum, Monſpeſſelii, 2 Vol. 12 mai.

IAC. LAZERME Tractatus de morbis internis capitis, cui acceſſere ſelectiores quaedam celebrium medicorum Monſpelienſium circa eosdem affectus conſultationes, e gallica lingua in latinam conuerſae, Venet. 8.

IOH. GOTTLOB LEHMANN *Abhandlung von Phoſphoris*, *Leipz.* 4.

CHRIST. POLYCARP LEPORIN *Nachricht von einer bey ihm zu habenden Haus- u. Reiſe-Apotheck*, ſ. l. 8.

Three lettres on mining and ſmetting to wich is added a fourth letter ſetting fort a diſcovry of an eaſy method to ſecure ships bottoms from worms, by DIEDERICH VESSEL LINDEN, London, 8.

CAR. LINNAEI Diſſ. de ſeminibus muſcorum, Vpſ. 4.

I. DE DIOS LOPEZ Compendio anatomico, Madrid. 8.

HIERON. LVDOLF Diſſ. de alui obſtructione hypochondriaca, Reſp. *Io. Erneſt. Behnken*, Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. de praerogatiua remediorum pharmaceuticorum in affectibus oculorum, Reſp. *Io. Franc. Chr. Finck*, ibid. 4.

Eiud. Diſſ. de ſale ammoniacali e ſpiritu vini parato eiusque praeſtantia, Reſp. *Io. Godofr. Henr. Grabe*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de clauo hyſterico, Reſp. *Frid. Georg. Lud. Gnüge*, ibid. 4.

Eiusd. *Zugabe zu der in der Medicin noch immer und immer ſiegenden Chymie*, ibid. 4.

CHRIST. GOTTL. LVDWIG Diſſ. de victu animali, Reſp. *Hier. Dav. Friedrich*, Lipſ. 4.

Inleiding tot eene Natuur en Wiskundige Beſchouwinge des Aardklocts, tot dienſte der Landgenooten beſchreeven door IO. LVLOFS, te Leiden, 4.

Philoſophical coniectures on aereal influences the probable origin of diſeaſes, adreſs'd to D. Shaw, by EDMVND LYTTON, London.

Chimie medicinale par Mr. MALOVIN, a Paris, 12 mai. 2 Voll.

Obſervations ſur la gueriſon de pluſieurs maladies aigues et chroniques par M. F. NN. MARQVET, à Paris, 12 mai.

MART. MARTINEZ Noches anatomicas, ô anatomia compendioſa, Madrid. 4.

BVRCH. DAVID. MAVCHART Or. in D. Tayloris Angli merita famamque habita, Tubing. 4.

Eiusd. Diſſ. de palpebrarum tumoribus cyſticis, caſuque ſpeciali magni tumoris ſteatomatico - ſcirrhoſi e palpebra ſuperiore et orbita feliciter nuperrime extirpati, Reſp. *Chr. Theoph. Weber*, Tubing. 4.

Eiusd. Diſſ. de lethalitate per accidens, Reſp. *Phil. Sigism. Palm*, ibid. 4.

RICH. MEAD. Oper. med. ex angl. in lat. verſ. Tomus II. Gœtting. 8.

ANT. DE MEDINA Cartilla nueua para inſtruire las madronas, que vulgarmente ſe 'llaman comadres, Madrid. 8.

SEBASTIANI MELLI la Comare levatrice iſtruita nel ſuo vſizio ſecondo le regole piu certe, e gli ammæſtramenti piu moderni terza edizione, in Venezia, c. f. aen. 4.

Icon androgynae par MERTRVD. Paris, fol.

IVLIAN. OFFRAI DE LA METTRIE Reflexions phyloſophiques ſur l'origine des animaux, Lond. (Berol.) 4.

PHIL. MILLERS *Gärtner - Calender, aus dem engl. überſetzt, Gœttingen, 8.*

Eiusd. *Gärtner-Lexicon, nach der fünften Ausgabe aus dem engl. überſetzt von* D. GEORG. LEONH. HVTH. *I. Th. Nürnb. fol.* c. f.

A treatiſe of artificial magnets by I. MITCHELL, London, 8.

THEOD. ERN. IOS. MOERS Diſſ. de organi guſtus idea, Reſp. *Io. Matth. Faber*, Heidelb. 4.

GEOR-

GEORGE FRIED. MOHR, *die gebährende Frau, nebſt einem Anhange herausgegeben von* FRIEDRICH BOERNER, *Frf. und Leipz. 8.*

IAN. MONNIKHOFF Ontleed en heelkuntige ſaamenſtelling van de byzendere plaatzen den Scheurzels, Amſtel. 8.

Anatomy of the human bones and nerves with an account of the reciprocat motion of the heart by ALEX. MONRO, Edinb. 8.

IO. BAPT. MORGAGNI in Aur. Corn. Celſum et Q. Seren. Sammonicum Epiſtolae decem, Patav. 8.

IOH. LORENZ VON MOSHEIM *neue Nachrichten von dem berühmten Spaniſchen Arzte*, Michael Serreto, *der zu Genev iſt verbrannt worden, Helmſt.* 4.

ANGELO NANNONI Diſcorſo chirurgico nell' introduzzione al corſo delle operazioni, Firenz. 4.

Nouvelles obſervations microſcopiques, avec des decouvertes intereſſantes ſur la compoſition et la decompoſition des corps organiſes, par Mr. NEEDHAM, a Paris, c. f. 12 mai.

GEORG. PHIL. NENTERI Fundamenta medicinae ſecundum Stahlii experimenta confirmata, Tomi II. Argent. 4.

FRANCISCI NICHOLLS Praelectio de anima medica, ex Lumleii et Caldwaldi inſtituto in theatro Coll. Reg. Med. Lond. habita, Londini, 4.

GEORGE NITZSCHENS *Beſchreibung vom Scharbocke, Petersburg, 8.*

Richerche ſopra le cauſe particolari di fenomeni elettrici, e ſopra gli effetti nociui o vantaggioſi ſe ne puo attendere, del celebre Sign. Abbate NOLLET, Venez. 8.

RVDOLPH AVG. NOLTENIVS de iuribus medicorum in ducatu Brunſuicenſi, Wolfenb. 4.

Commercii litterarii diſſertationes epiſtolicae IODOCI HERMANNI NVNNINGHII et IO. HENR. COHAVSEN, Tomus II. quibus duas epiſtolas adiecit

cit SALENT. ERNEST. EVGEN. COHAVSEN, Frf. ad Viad. c. f. aen. 8.

FRANC. IOSEPH. DE OBERKAMP Diſſ. de ſalium alcalium fixorum in praxi medica noxis, Reſp. *Io. Wernhard Eglinger*, Heidelb. 4.

Eiusd. Diſſ. de nephritidis inflammatoriae idea, Reſp. *Nath. Dav. Canſtatt.* ibid. 4.

EGERHARD OLAVI Enarrationes de natura et conſtitutione Islandiae formatae et transformatae per eruptiones ignis, Hafniae, 8.

Recreations mathematiques et phyſiques par OZANAM, a Paris, 4 Voll. 8. c. f.

Nouvelles remarqves ſur la lithotomie &c. par Mr. PALLVCCI, a Paris, 12. c. f.

Deſcription d'un nouvel inſtrument propre à abaiſſer la cataracte avec tout le ſuccés poſſible par Mr. PALLVCCI, a Paris, c. f. aen. 12 mai.

Hiſtoire de l'operation de la cataracte faite à ſix ſoldats invalides, avec des remarques pour ſervir de ſuite à la deſcription de ſon nouvel inſtrument par Mr. PALLVCCI, a Paris, 12 mai.

CHRIST. HENR. PAPEN Ep. de ſtupenda et nunquam deſcripta hernia dorſali, Gœtting. 4.

Il corpo umano, o breve ſtoria, dove con nuovo metodo ſi deſcrivono in compendio tutti gl' organi ſuoi, e i loro principali offizi d' ALESSANDRO PASCOLI, Penegino, Venez.

A Treatiſe on venereal maladies &c. translated from the french of IOVRDAN DE PELLERIN to which is ſubjoined a diſſertation on hermaphrodits by GEORGE ARNAVD, London, 8. c. f. aen.

ANDR. PETERMANNI Opuſcula medica atque chymica, Lipſ. 8.

Compimento delle refleſſioni ed omiſſioni anatomiche, rinvenute con ſumme ſtudio e moltiſſime aperture de' cadaveri ed animali vivi da GAETANO PETRIOLI &c. ſopra li comenti fatti dal celebre Mr. Gio. Maria Lanciſi &c. con l'aggiunta delle dubi anatomici

tomici dirette dalla ſteſſo PETRIOLI a Mr. Winslow &c. Rom. fol.

IOH. GOTTFR. PEZOLD Ep. de corde et eius motu, Lipſ. 4.

Lumen de lumine, *oder ein neues magiſches Licht, durch* EVGEN. PHILALETHA, *Hof*, 8.

I. G. PIETSCH *Abhandlung von Erzeugung des Salpeters nebſt Gedancken von Vermehrung deſſelben, Berl.* 4.

Id. lib. gallice, ibid. 4.

Lettre ſur l'electricité medicale par Mr. PIVATI, a Paris, 8.

PLANQVE Bibliotheque choiſie de medecine, Tome III. a Paris, 4 mai. c. f. aen. et T. VII-VIIII. 12 mai.

PLATNERI Bibliothecae P. III. Lipſ. 8.

ANTON. GVIL. PLAZ Diſſ. de oblectamentorum incommodis, Reſp, *Rud. Traug. Hartmann*, Lipſ. 4.

PONTONOO Deſcrizione del corpo umano, Floren. 8.

Vnterſuchungen vom Meere, nebſt andern zu derſelben gehörigen Anmerckungen durch I. S. P. POPPEWITZ, *Frf. und Leipz.* 4.

IO. HENR. POTTS *Fortſetzung der chymiſchen Vnterſuchungen von der* Lithogeognoſia, *Berlin*, 4.

LVDOV. MAR. POVSSE Quaeſt. med. an tumoris cancroſi radicitus ablati regeneratio rurſus chirurgiae tradenda? Reſp. *Iac. Ludov. Alleaume*, Paris, 4.

Obſervations on the nature and cure of hoſpital and iayl fevers in a lettre to D. Mead &c. by IOHN PRINGLE, Lond. 8 mai.

GASPARD COCHON DV PUY Quaeſt. med. an medicina practica quo ſimplicior eo melior, Reſp. *Carol. Geille de S. Leger.* Paris, 4.

SAM. THEOD. QVELMALZ Pr. de ileo ex hernia, eaque demum cum inteſtino ſuppurata, Lipſ. 4.

Eiusd. Pr. de narium earumque ſepti incuruatione, ib. 4

Eiusd. Pr. de caecitate infantum fluoris albi materni eiusque virulenti pediſſequa, ibid. 4.

Ei. Pr. de effectibus caloris aeſtiui feruidioris, ib. 4.

SAM. THEOD. QVELMALZ Diſſ. de euacuationum criticarum viciſſitudine, Reſp. *Io. Gabr. Thilo*, Lipſ. 4.
Eiusd. Pr. de haemorrhagia auris ſiniſtrae, ibid. 4.
Tr. des efets et de l'uſage de la ſaignée, par Mr. QVESNAY, a Paris, 2 Voll. 12 mai.
BERN. RAMAZZINI Opera omnia medica et phyſiologica in II. tomos diſtributa. Praeter Auctoris vitam acced. IAC. PLACENTINI de Barometro Diſſ. II. IO. I. MANGETI de Chinae uſu ſententia et noua MICH. ERN. ETTMVLLERI in opera RAMAZZINI praefatio, Neapoli, Venetiis, 4. Tom. II.
An enquiry in to the medicinal virtues of briſtol water &c. by GEORGE RANDOLPHE, Lond. 8.
Tr. des playes d'armes a feu, avec des obſervations ſur differens genres de maladies et pluſieurs methodes nouvelles tant pour les operations de chirurgie que pour la réduction des fractures par Mr. RAVATON, a Paris, c. f. aen. 12 mai.
Die Kunſt, alles Feder-Vieh in jeder Iahres-Zeit zu ziehen und zu halten, aus des DE REAVMVR *Erfahrungen ausgezogen, Leipz.* 8.
L'art de faire eclorre et elever en toute ſaiſon des oiſeaux domeſtiques de toutes eſpeces par Mr. REAVMVR, a la Haye, 12. 2 Voll.
The art of hatching and bringingup domeſtic fowls by artificial heat, being an abſtract of Mr. DE REAVMVR's curious work upon that ſubiect, Lond. 8.
Les entretiens phyſiques d'Ariſte et d'Eudoxe ou phyſique nouvelle en dialogues Tome V. par le P. REGNAVLT, a Paris, 12 mai.
CHR. CAROL. REICHEL Diſſ. de tabaco eiusque uſu medico, Vitemb. 4.
Eiusd. Diatribe de vegetabilibus petrefactis, ibid. 4.
Oeconomie de la nature par ISAAC RIBERT, *en ſuedois.*
GEORG. GOTTL. RICHTER Diſſ. de tenuitate humorum temere laudata, Reſp. *Eduard. Iac. Lupin.* Gœtt. 4.

GEORG. GOTTL. RICHTER Diſſ. de cardialgia, Reſp. *Car. Salom. Koeler*, Gœtt. 4.

Eiusd. Diſſ. de tremore, Reſp. *Car. Aug. Richter*. ib. 4.

IO. FRID. RICHTER Diſſ. de arthritide, Frf. ad V. 4.

ANT. RIDIGER. Diſſ. de veritate virtutis medicamentorum propriae et methodo hanc explorandi, Lipſ. 4.

HENR. RIDLEY Anatomia cerebri, Lugd. Bat. 8 mai. c. f.

COELEST. ROLLI de corporum motu, Lib. II. Venet. 8.

CHRIST. LVD. ROLOFF Diſſ. de fabrica et functione lienis, Frf. ad Viad. 4.

NIC. ROSEN Diſſ. examen medicamentorum ſimplicium, quae in catalogo med. Suethico continentur, Vpſal. 4.

Eiusd. Obſeruationes botanicae circa plantas quasdam Sueciae non ubiuis obuias et partim in Suecia nondum detectas, Lundis, 4.

SIGISM. THEOPH. ROTHE Diſſ. de diaeta conualeſcentium, Altdorfi, 4.

Tr. de culture et de la plantation des arbres à ouvrer par Mr. ROVX, a Paris, 12.

De tabe glandulari, ſiue de uſu aquae marinae in morbis glandularum diſſertatio, Auctore RICARDO RVSSEL, Oxonii et Londini, c. f. aen. 8.

AVG. SCHAARSCHMIDT *Verzeichniſs der Merckwürdigkeiten, welche bey dem anatomiſchen Theater zu Berlin befindlich ſind*, *Berlin*, 8.

Eiusd. *Nevrologiſche tabellen*, *ibid.* 8.

SAM. SCHAARSCHMIDT *Abhandlung von veneriſchen Kranckheiten*, *herausgegeben und vermehret von* ERNST GOTTFR. KVRELLA, *Berlin*, 8.

Eiusd. Therapiae generalis, *oder 2te Abtheilung von den evacuirenden Mitteln*, *und 3te*, *ſo zum Receptſchreiben Anweiſung giebet*, *von* D. I. C. W. MOEHSEN, *ibid.* 8.

IOH. MARIA SCHIERA, M. D. Diſſertationes duae, quarum una de plantarum ſexu, foecundatione, ſyſtemate ſexuali et multiplicatione, altera de na-

turali et conſtanti affectione ad perpendiculum, tum de diuerſa ramorum arborum diſtributione et longitudine, et qua ratione iſti ultimi ſimul parallelismum cum ſolo ſubiecto ſeruent, agit, Mediolani, 8.

IO. CONRAD. SCHIMPER Diſſ. de ſignis grauiditatis, Baſil. 4.

CASIM. CHRIST. SCHMIEDEL Diſſ. de lepra, Reſp. *Io. Chr. Voigt*, Erlang. 4.

Eiusd. Diſſ. de pathologia dolorum grauidarum, parturientium et puerperarum, Reſp. *Chr. Frid. Ioerdens*, ibid. 4.

H. I. DE SCHOENAV Iuſta Themidis ſententia medicinae doctoribus prae cauſidicis ſ. aduocatis competere praerogatiuam dignitatis et ius praecedentiae, Frf. ad Moen. 8.

Aphoriſmi practici &c. collegit et digeſſit R. SCHOMBERG, Lond. 8.

PHIL. ANT. SCHORBVSCH Diſſ. de potulentis, Erf. 4.

De vita humana in primis eius breuitate hodierna huiusque cauſis, cogitationes IO. ANDR. GOTTFR. SCHOTELING, Hamb. 4.

IO. FRID. SCHREIBER Obſeruationes et cogitata de peſtilentia, quae an. 1738, 39 in Vkrania graſſata eſt, edit. nov. et auct. Petropol. 4.

Obſervations de phyſique et d' hiſtoire naturelle ſur les eaux minerales &c. par Mr. DE SECONDAT, a Paris, 8.

IO. ANDR. SEGNER Pr. de theoria machinae cuiusdam hydraulicae, Gœtting. 4.

Eiusd. de natura fluidorum quaedam theoremata, Pr. I. II. ibid. 4. c. fig.

Ei. Pr. de ſuperficiebus fluidorum concauis, ib. 4. c. f.

Ei. Pr. de ſuperficiebus fluidorum conuexis, ib. 4. c. f.

IOH. PHILIPP SEIP *Beſchreibung der Pyrmontiſchen Mineral-Waſſer und Stahl-Brunnen, mit dem Anhang der Pyrmontiſchen Kranckengeſchichte, 4te neuvermehrte Auflage*, *Hannov. u. Pyrm.* c. f. aen. 8.

BARTH.

BARTH. SERENA et ANT. DE MEDINA Curſo nuevo de cirurgia, Madrid, 8.

l'Art de meſurer ſur le mer, le ſillage du vaiſſeau, par SEVERIEN, a Paris, 8.

SAM. SHARP A critical inquiry in to the preſent ſtate of ſurgery, Lond. 8 mai.

New obſervations natural, moral, civil, political, and medical on City, Town, and Country Bills of mortality, with an appendix on the weather and meteors, by THOMAS SHORT, Lond. 8 mai.

THOM. SHORT Diſcourſe on tea, ſugar, milk, made-wines, ſpirits, punch, tabacco with plain and uſeful rules for gvuty people, Lond. 8.

IO. AVG. SILTEMANN Diſſ. de Venae ſectione prophylactica et curatoria, Lipſ. 4.

The autient and preſent ſtate of the country and city of Cork by C. SMITH, Dublin, 2 Voll.

CORNEL. THOM. SNELLEN Diſſ. de varia vitae energia, Leid. 4.

Opere filoſofiche Italiane di GIO. GVALBERTO DI SORIA, To. I. la ſcienza dell'uomo, o la filoſofia emendatrice della ragione, To. II. la ſcienza direttrice della ragione. in Lucca, 8.

AVG. HERM. SPORLEDER Diſſ. de polypo narium, Halae, 4.

WILH. STEINBACHS *Hiſtorie des von dem Serpentinſtein berühmten Städtgen Zœblitz in Meiſſen, Dreſd.* 8. c. fig.

IOH. ANT. STEINMANN Diſſ. de cauſis cur frequentius viri prae foeminis calculoſi fiant, Argentor. 4.

TRAVG. BALTH. CHR. STENZEL Ep. de philoſophia Wolfiana dignitati artis ſalutaris aduerſa, Vitemb. 4.

IO. CHRIST. STISSER *Vnterricht vor Frauenzimmer und ſonderlich vor Wehemütter, neue Aufl. Leipz.* 8.

IO. CHRIST. STOCK Pr. II-V. de tuenda ſanitate in meditationum laboribus, Ien. 4.

IO. STORCH *von Weiber-Kranckheiten,* Tom. Vtus, Gothae, 8.

Eiusd. *von Kinder-Kranckheiten, Eiſenach,* 8.

CAROL. GVIL. FRID. STRVVE Halologia ſ. theoria ſalium ſyſtematice euoluta, Altonae, 4.

FRID. CHR. STRVVE Diſſ. de acido hypochondriacorum, Reſp. *Carol. Guil. Frid. Struve*, Kil. 4.

The philoſophy of earthquaques natural and religions or an enquiry in to their cauſe and their purpoſe, by WILLIAM STVKELEY, London, 8.

I. G. SVLZER *Verſuch einiger moraliſchen Betrachtungen über die Wercke der Natur, mit* A. F. W. SACKS *Vorrede, Berlin*, 8.

A medical eſſay, with obſervations towards aſcertaining a new ſofe and eaſy method for promoting the eruption and completing the maturation of the ſmall pox, by ALEX. SVTHERLAND, Lond. 8.

ABRAH. SZELI Diſſ. de damnis grauioribus ex abortibus praecipue frequentioribus oriundis eorumque geneſi, Altorfii, 4.

IEAN TAYLOR Silabe de nuit ou echantillon du corps de 45 lecons publ. ſur l' oeil et l' art de conſerver la vuë; ſ. l. 4.

Eiusd. Mechaniſmus, *oder neue Abhandlung von der Zuſammenſetzung des menſchlichen Auges.* acc. *kurzer Begriff von den Gebrechen und Heilungsarten des menſchlichen Auges, und Auszug von 242 Kranckheiten, welchen das Auge und ſeine nahliegende Theile unterworffen ſind, Frf. am Mayn, m. Kupf.* 8.

ZACH. THEOBALDVS *vom Schwaden oder gifftigen Wettern in Bergwerken, durch* I. GOTTL. LEHMANN, *Leipz.* 4.

THEOD. GERH. TIMMERMANN Diſſ. de notandis circa naturae in humana machina luſus, Duisburg, 4.

Diana ontdekende het geheim der dwaaſen die ſich vroedmeeſtres noemen ter eeren van chirurgia geſchreeven door A TITSINGH, Amſterd. 4.

DAN.

DAN. WILH. TRILLER Pr. de pityriaſi veſicae ad corruptum quendam Caelii Aureliani loc. illuſtr. et emend. Viteb. 4.

Eiusd. Pr. de clyſterum nutrientium antiquitate et uſu, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia, Reſp. *Io. Ephr. Frid. Buliſius*, ibid. 4.

ABRAH. VATERI Diſſ. de deglutitionis difficilis et impeditae cauſis abditis, Reſp. *Frid. Aug. Imman. Zinckernagel*, Vitemb. 4.

IO. VERBRVGGE Land en Zee Chirurgie, durch IO. DANIEL TCHLICHTING, Amſtel. 8.

IO. GVST. WAHLBOM les noces de plantes, Stockholm.

IO. GOTTSCH. WALLERII Mineralogie *oder Mineral-Reich, überſetzt von* IOH. DANIEL DEMSO *Berlin*, c. f. aen. 8.

Eiusd. Orſaken til Kallbräkt Iærn, Stockh. 8.

Eiusd. om ſalternes urſprung och andledning at ut leta orſaken til kallbrækt jærn, ibid.

Iulian. or a diſcourſe concerning the earthquake and fiery eruption &c. by WARBVRTON, Lond. 8.

I. I. WECKERI de Secretis curioſis, edit. 4ta, variis peregrinis naturae ſecretis aucta, c. f. aen. Baſil. 8.

IO. IAC. WELTIN Diſſ. de aneuriſmate vero pectoris externo hemiplegiae ſobole, Baſil. 4.

A treatiſe on electricity by B. W. (WILSON,) Lond. 8.

IO. HENR. WINKLER Pr. de imagine motuum caeleſtium viribus electricis efficta, Lipſ. c. f. aen. 4.

IO. PHIL. LAVR. WITHOFF Diſſ. de pilo humano, Duisburg, 4.

IO. HENR. WOLFART Tr. de infanticidio doloſo eiusque ſpeciebus, Frf. ad Moen. 4.

Con-

Contenta in hac parte.

1. RVMPHII Herbarium amboinenſe p. 175
2. VNTZERS *Philoſophiſche Betrachtung des menſchlichen Körpers* p. 182
3. DE HALLER Opuſcula anatomica p. 189
4. LINNAEI Philoſophia botanica p. 192
5. TILLINGII Obſeruationes medicae circa uſum thermarum carolinarum p. 202
6. DE HAHN Hiſtoria podagrae Cardinalis de Sinzendorff p. 203
7. EIVSD. Variolarum ratio p. 205
8. HELLOT de la Fonte des mines p. 213
9. Noui commentarii academiae petropolitanae, Tom. I. p. 217
10. BIANCHINI Lettere medico pratiche p. 237
11. SCHMIEDEL de Oreoſelino p. 242
12. *Hamburgiſches Magazin VI. Band* p. 244
13. LINNAEVS de Materia medica animali p. 263
14. MODEL *von den Beſtandtheilen des* Boracis p. 265
15. Hiſt. et mem. de l'academie royale des ſciences de Paris, an. 1746. p. 267
16. PFANNS *Sammlung verſchiedener merkwürdigen Fälle* p. 312
17. HEISTERI Inſtitutiones chirurgicae p. 314
18. BOERHAAVE Methodus ſtudii medici p. 315
19. GÜNTZ de Suffuſionis natura et curatione p. 321
20. QVELLMALZ de Oleo palmae p. 325
21. WALLERIVS de Principiis vegetationis p. 326
22. TREW Plantae ſelectae Dec. I. et II. p. 330
23. Noua medica p. 333
24. Continuatio indicis librorum anni 1750. p. 350

) o (

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS I. PARS III.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
MDCCLII.

I.

D. IOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT in Vniuerſit. Lipſ. P. P. Facultatis Medicae Decani. Anthropologia forenſis, ſiſtens medici circa rem publicam cauſasque dicendas officium. Lipſiae ſumtibus haeredum Lankiſianorum. 1751. 8. alph. 1. pl. 20. ſine dedicat. et prooemio.

Per aliquot iam annos eam medicinae partem, qua, qui leges interpretantur, ciuiumque ſalutem publicam tueri debent, non raro opus habent, eamque ob cauſam medicos conſulunt, artis noſtrae alumnos docuerat Cl. Auctor, idque agendum ſibi eo magis exiſtimauerat, cum Pot. Regis noſtri iuſſu uniuerſitatis noſtrae medicorum ordini non ſingularis ſolum ſtudioſorum cura iniuncta fuerit, ut ſuae artis gnari euaderent phyſici, qui noſtro vocantur aeuo, veteribus et Romae in primis olim archiatri nominati; ſed quod idem quoque noſter Rex, ciuium ſuorum ſaluti intentus, ante hos duos annos mandato, ad omnes ſpectante d. 29. m. Iulii anni 1750. emiſſo, praeter alia, quae iura medicorum

atque emolumenta concernunt, id quoque iuſſerit, ut nemini iam dicti phyſici munus daretur, quin artis anatomicae, operationum chirurgicarum, medicinae forenſis, et reliquarum, doctum medicum attinentium, ſcientiarum ſit peritiſſimus. Vel inde quoque patet, quam bene Cl. Auctor, de cuius ampla et multifaria rerum medicarum cognitione iam inter omnes conſtat, officiis ſuis defungatur. Vt uberiores tamen adhuc laborum eſſent fructus, ſuorumque auditorum commoditati ipſe conſuleret, publicas nunc fecit ſchedas, in quas ſuis huc uſque dixerat. Tantum vero abeſt, ut in artis tironum utilitatem tantum cedant, ut inde potius ii quoque diſcere poſſint, qui iam artis periti eam vel docent, vel exercent. Ad ordinem vero, quem Cel. Auctor obſeruauit, cognoſcendum, et ut uno quaſi intuitu clarum fiat, quod lectores expectare queant, conſpectum totius libri transſcribere liceat: *Sectio prima, de medico ſecuritatem publicam curante. Cap.* 1. *de naſcentium cura; Cap.* 2. *de ordinandis cauſis ſanitatis generalibus; Cap.* 3. *de ordinandis conualeſcendi mediis; Cap.* 4. *de praecauendis curandisque morbis popularibus; Cap.* 5. *de cura mortuorum. Sectionis ſecundae, de medico legum interprete, membrum primum de quaeſtionibus iuris ciuilis. Cap.* 1. *de priuilegiis uteri; Cap.* 2. *de partu legitimo; Cap.* 3. *de aetatum priuilegiis; Cap.* 4. *de dubio animae et corporis ſtatu; Cap.* 5. *de ſoſtris. Membrum ſecundum de quaeſtionibus iuris criminalis. Cap.* 1. *de certitudine facti medica; Cap.* 2. *de laeſionibus, mortis vel morborum cauſis; Cap.* 3. *de mediis eruendae veritatis; Cap.* 4. *de poenis afflictiuis corporum; Cap.* 5. *de momentis defenſionum medicis. Membrum tertium de quaeſtionibus iuris eccleſiaſtici. Cap.* 1. *de matrimonii inualidi cauſis; Cap.* 2. *de dubio formae humanae et ſexus ſtatu.* Praeter ea vero, ſpeciminis loco, *primae* quoque libri *ſectionis* ſummam lectori-

bus

bus noſtris dare liceat. *Primum* illius *caput de cura* Cap. I.
naſcituri et naſcentis agit. Cum liberi non ſolis §. 1.
parentibus, ſed rei quoque publicae naſcantur, iis
etiam, licet nondum nati ſint, ſuae, qua reliqui ci-
ues gaudent, prouidentiae partem magiſtratus de-
bent. Prima itaque eorum eſto cura, prohibere, §. 3.
ne *humana* foetuum *forma*, naturalis pulchritudo,
ſeu recta partium corporis diſpoſitio, facile laedatur,
neque eorum *vita* adhuc ante ruat in periculum,
quam lucem aſpexerint. Illud autem fieri poteſt §. 4.
terriculamentis iſtis, publice non nunquam expoſi-
tis, quae matrum, in primis delicatiorum, animas
ex improuiſo percellere poſſunt. Euentum enim §. 5.
rei, cuius certitudinem comprobat experientia, eam
ob cauſam negare velle, quod modum, quo fieri
potuerit, ratione nequeamus aſſequi, nimis forſan
elati hominis eſſe videtur. Quod enim terrores, §. 6.
matribus incuſſi, foetum vitiare queant, multae, eae-
que ſatis clarae teſtantur obſeruationes. Concedi
quidem debet, quod in ipſis embryonibus cauſa ſae-
pius latere poſſit, cur non in omnem corporis ſui
dimenſionem creſcentes rite conformentur; neque
multum ideae matris ad mutandum foetum ſemper
valeant: quot enim forent mulierculae, quae ſexum
ſaepius mutare, et, in hanc ideam intentae, femel-
lum germen in maſculum immutare vellent? Dan- §. 7.
tur tamen exempla, ubi certam quandam matrem in-
ter et foetum agnoſcere debemus conſpirationem,
ex machinae legibus haud explicandam, *qua in re* p. 9.
ideis operatricibus, *et determinato alicui ſpirituum
animalium ipſius foetus turbini*, *eorundemque cum prin-
cipio animali matris conſenſui*, *aliquid largiendum eſt*,
*cum illud quidem ad animam humanam referendum
haud ſit phaenomenon.* Nec embryonis ad exem- §. 8.
plum horridi viſi conformatio doctrinae de ortu ho-
minis, in ouulo iam delineati, contradicit, *poteſtque* p. 11.
idea terroris ita percellere totam matrem, *ipſumque*,

 qui

qui matris pars eſt, foetum, interueniente per vaſa umbilicalia ſanguinis communi circulo, adeo ruditer ferire, ut ſpiritus eius, qui ſimul matris eſt, partem illam, quae in obiecto horrido cum abominatione viſa eſt, deſerat, eamque vel contabeſcere, abhinc naſcenti deeſſe, vel propter rectoris defectum, in immanem et deformem maſſam excreſcere, praeterque ordinem au-
§. 9. *geri ſinat.* Vel ex hac quoque cauſa, niſi et ex aliis, nec minus grauibus, velint, pumilos diſtortosque homines, aliaue naturae ludibria, ne publico exponantur ſpectaculo, optimo iure legibus cauere de-
§. 10. berent magiſtratus. Altera, quam illi de naſcentibus adhibere debent, cura vitam eorum concernit, tum remotiue, ne corruptiſſimae matres vel embryonem pharmacis excutiant, vel nato foetui vim inferant, eiusue, quod perinde eſt, curam negligant; tum poſitiue, ut publica auctoritate conſti-
§. 11. tuantur obſtetricantes. Illud duplici modo praecaueri poteſt, partim detegendo, quam celare ſolent prae aliis meretrices, grauiditatem, partim illas, quibus ſibi, ſuisque foetibus, nocere queant, cir-
§. 12. cumcidendo opportunitates: quam ob cauſam non ſolum venarum ſectoribus imperandum eſt, ut cauti ſint in ſecandis venis, atque probe circumſpiciant, quaenam et cuius farinae ſint illae feminae, quae hanc operationem chirurgicam ab ipſis poſcunt, ſed pharmacopoeis quoque, ne in vendendis medicamentis draſticis nimis faciles ſint. In illis deinde, quae ad detegendam valere poſſint grauiditatem, exponendis ſignis multus et praeclare curioſus eſt Cel. Auctor, eaque omnia pro ſua perſpicacia ſolertiſſime expendit, quo modo quaeſita veritas inueſtigari, error autem, in quem inquirentes incidere poſſint,
§. 15. prudenter euitari queat. Quodſi autem omnia, quae erui ſolent, ſigna non obſtetrices ſolum, ſed ipſum etiam medicum, dubios adhuc relinquant, ſuadet Cel. Auctor, ut, quae in ſuſpicionem venit femina,

alii

alii honeſtae, quae fide digna ſit, tradatur, quo cum illa cubet, et ipſius foetus motum, qui noctu potiſſimum, quieſcente matre, percipi queat, attendens, indubitatam reddere poſſit grauiditatem. Singularem etiam motus illius quandam molliriem, qua manus, abdomini impoſita, ſubrepentes tenelli articulos diſtincte percipit, metum illum vanum reddere, Cl. Auctor aſſerit, ne conuulſiuas, a morbo forſan ortas, uteri agitationes pro embryonis motu habeamus. Ad ſingularem nunc, et prae aliis §. 16.
neceſſariam, quam a rei publicae cuſtodibus expe- ſq.
ctare poſſunt naſcentes, curam Cl. Auctor progreditur, quae in eo conſiſtit, ut obſtetrices feminae et obſtetricantes medici conſtituantur, a quibus illae omnia quae ad ipſarum pertinent officia, *parturae*, *parienti*, et *puerperae* praeſtanda, edoceri et quorum auxilium, ſi per ſe, ſuamque artis cognitionem, uti non raro fieri ſolet, foetum expedire nequeant, quaerere poſſint. Vt ipſae autem obſtetrices eo melius in officio ſuo a iudicibus contineri queant, in horum praecipue gratiam, ne ipſius partus negotium ignorent, non ipſa ſolum illarum officii genera, ſed et reliqua, quae ipſius artis obſtetriciae ſummam continent, hic loci Cl. Auctor inſerit. Id quoque eam in primis ob cauſam bene nobis actum eſſe videtur, cum ampliſſimus huius artis ambitus ſit, multosque, potiſſimum inter eos, qui rure viuunt, ſaepe videas, propter obſtetricum inſcitiam, incuriam, aliasue eius generis muliebris animi intemperantias, diſtortos et male vexatos natos homines, et matres quoque ſimul miſere laceratas, ut intelligant, qui ſummam imperii tenent, quod maxima, ſi qua ullius rei, huius certe curae ſit neceſſitas, ut magiſtros huius artis eligant atque §. 27.
confirment, qui obſtetricum ſcholas in maioribus aperiant urbibus, quas feminae, huic arti dicatae, et ex prouinciis quoque conuocatae, et publicis

ſumtibus nutritae, adeant, et quae earum ſcire in-
Cap. II. tereſt, addiſcant. Quibus omnibus nunc ſufficien-
ter explicatis, in *ſecundo* huius ſectionis *capite de*
cauſis ſanitatis publicae ordinandis diſſerere pergit Cel.
§. 1. Auctor. Cum uniuerſales quaedam et ſanitatis, et
morborum, cauſae ſint, quae ad omnes ciues per-
tinent, eae quoque, ne ciuium valetudini obeſſe
queant, optimis legibus ordinandae, et, quantum
licet, iuſto ordine et modo conſeruandae ſunt.
§. 2. Tria earum genera conſtituit Cel. Auctor: *ingeſto-*
rum ſcilicet, *geſtorum*, tandemque *externarum in*
homines irruentium iniuriarum nominibus ſeu ti-
tulis comprehenſa. *Aer* et *victus* primam claſſem
conficiunt. Licet ille vero, ſine quo vita nulla eſt,
§. 4. innumeris plane cauſis laedi poſſit, et, mutare illum
velle, humanis quoque viribus omnino maius eſſe
videatur, varia tamen ſunt, quae magiſtratuum cu-
ram prorſus inutilem eſſe, non ſinunt, v. c. ne pu-
treſcentes in aliquo loco, prae primis publico, re-
linquantur aquae, quarum peſtiferi halitus aerem
corrumpere poſſint, ut valles urbem cingentes flu-
uialis aqua perfluat, nec undae cum ſordibus, ex
urbe in eas delatis, ſtagnent; ut illi ductus, qui
aquas pluuiales excipere debent, et in quibus illu-
uies quaeuis ex incolarum domibus confluit, eluan-
tur, ne coenoſa illa ſimul immundities ad fontium
uſque capita deſcendat, eosque corrumpat; ne, ut
in genere dicamus, quod res eſt, publica munditles
§. 6. negligatur. Maxima poſt aerem magiſtratuum eſto
cura, ut *victus*, eiusque primi generis, aquarum
communium, fontium et puteorum, ſit ſinceritas,
ut ante omnia puriſſimos fontes inueniant, ceteris
tamen quoque, ad omnes pertinentibus, aquis ſua
ſeruetur puritas. Inquirit tum, pro ſubſtrata ma-
terie, Cel. Auctor in diuerſam aquarum indolem at-
que praeſtantiam, meritoque illam, quam viua fon-
§. 8. tis vena fundit, reliquis praefert. Eam igitur, ſub-
diali

diali petra natam, ſi inueniatur, in urbes deferendam curent ciuitatum praeſules; ſed tubuli, aquae vehendae deſtinati, plumbea intus lamina haud armati ſint, ne calx eius, ſenſim inde nata, venenatam aquae indolem communicent, ſed ſtanno potius obducatur interna eorum ſuperficies, quales olim Romanis quoque in uſu fuiſſe Cel. Auctor exiſtimat, quippe qui ſtannum plumbi candidi nomine inſigniuerint. Puteos autem ipſos, ne aliena iniici poſſint, muniant, quibus aquarum cura commiſſa eſt, et ſuperſtructam aediculam fiſtulis aeri peruiis transfodiant, ut aeri liber ad eos maneat aditus; prae §. 13.
aliis autem omnibus aquarum ſtudeant puritati, ne putreſcant, cum illae putridae endemiorum morborum frequentes cauſae ſint, quae nulla alia quoque re, niſi acidis adiectis, corrigi poſſunt. Dantur alia quoque potus genera, de quibus eſſe debent ſolliciti, qui ciuitates adminiſtrant. Inualeſcit, ex- §. 14.
empli gratia, inter multos omnino ciues mos iſte valde damnoſus, publicis legibus optimo iure coercendus, quod ſpirituoſis vehementer abutantur potibus, ſeque eorum abuſu rei publicae inutiles reddant: quam ob cauſam, qui ſalutem ciuium ſummam ſibi habere debent legem, eo haud reſpiciant, quod principis forte minuantur aeraria, ſi commercium illorum potuum iuſtis limitibus circumſcribatur. Vini corruptores, praeſertim qui nociuis ar- §. 16.
tibus illud infucare ſolent, inter veneficos referantur ac puniantur. Cereuiſiae, niſi rite fuerint co- §.17.18.
ctae, bonaeque indolis, uti et omne muſtum, et vina nimis recentia, cruda, venalia haberi non debent. Ipſius ſtricte ſic dicti victus copia ſemper §. 19.
adſit *ſufficiens* in urbibus frequentia hominum inſignibus, luxurie tamen, quantum fieri poteſt, coërcenda, ſimulque curent praeſules, ut ille quoque *ſincerus* ſit. Quodſi enim annonae caritas premat §. 20.
ciues, crudo victu uti coguntur in primis pauperes,

qua re contagioſos et peſtilentes ſaepius ortos fuiſſe morbos, multis, ex antiqua hiſtoria allatis, exem-
§. 21. plis Cel. Auctor comprobat. Cura ſinceritatis autem neglecta, morborum materies, mortisque pabulum, pro alimentis vendi poteſt, qualia ſunt v. c. prunorum illud genus, quae flauo, vel puniceo, vel rubro colore ſunt; frumenta multiplici modo corrupta, aut alienarum herbarum, quae ſegetibus innaſci ſolent, ſeminibus, aut aliis nocentibus granis, corniculatis dictis, miſta; herbae quoque nociuae, uti cicutae ſpecies, petroſelino ſimilis, e. i.
§. 27. g. a. Paſcuorum quoque vitia examinentur, ne morbi inde contagioſi, uti facile fieri poteſt, gre-
§. 28. ges corripiant. Nec animalium carnes morbis laborantium, iisue extinctorum, vel quae non recens mactata ſunt, nec piſces lacuſtres, in ſtagnis nutri-
§. 29. ti, vendantur. Dolendum quoque eſt, quod noſtri ſeculi mores ita ſe habeant, ut de exſtirpandis lupanaribus, deque adeo publica coercenda laſciuia, imperantes monere cogantur medici, ne calamitas augeatur. Actum huc usque fuit de iis, quae *ingeſtorum* nomine medicis veniunt; ex iis vero, quae *geſtorum* nomine comprehenduntur, pro noſtrorum temporum genio pauca ſunt, quae ad me-
§. 30. dicum ſpectant, ſi exceperis balnea, quorum uſus tamen apud nos quoque minus frequens eſſe ſolet,
§. 31. ac eorum omnino neceſſitas poſtulare videtur. Ex earum tandem, quae in homines irruere poſſunt, *externarum iniuriarum* numero, de quibus medici conſuluntur, illa tantum datur, quando de hominibus, mente captis, ex aliorum ſocietate auferendis,
C. III. quaeſtio oritur. *Tertium* deinde *caput ordinanda*
§. 1. *conualeſcendi media* exponit, curam ſcilicet conſtituendorum medicorum tabernarum myrepſicarum bene inſtruendarum, et noſocomiorum in paupe-
§. 2. rum uſum conſtruendorum. Cum medicaſtris, illa hominum faece, qui medentium nomine abutuntur,

et

et ciuitates peſtis loco depopulari ſolent, illi quoque ex re publica bene ordinata, exſulent *eruditi* §. 3.
pharmacopolae, qui ſub ſpecioſo, vel certe pompoſo arcanorum titulo fumum vendunt, ſeplaſiariorum nomen merentes, hisque nequitiores, cum facinoris ſui conſcii, illiusque veritatis haud ignari ſint, *quod alia, quam, quae ex natura praeſentis morbi inueniuntur, medicamenta ſalubria eſſe nequeunt.* Itaque, ſiue conſiliis, ſiue manu, mederi velint §. 4.
aegrotantibus, haud tolerari debent, niſi qui probitatis, diligentiae, artisque cognitionis, praeſtiterunt documenta; adiuuentur autem artis ſuae gnari, licet hi aeque, ac pharmacopoei, ſuis limitibus coercendi ſint. *Quartum* poſt ea *caput de praecauendis curandisque morbis popularibus* agit. Quamuis §. 1. ſeq. C. IV.
horum quidem morborum cura ad medicos unice pertinere videatur; cum tamen a communi cauſa mutabili ſaepius oriantur, licet aer quidem ſemper ac ſolus, niſi corporis ſimul ad ſuſcipiendum morbum adſit diſpoſitio, in cauſa eſſe nequeat, patet inde, quod, qui magiſtratus munere funguntur, omnia illa, quae iam ſupra capite ſecundo dicta ſunt, ciuibus procurare debeant, quibus publica ſeruatur ſanitas, ut primus illorum morborum fomes extinguatur. Verum enim vero quando nunc eius generis morbi, quorum frequentiores v. e. lepram, luem veneream, dyſenteriam, e. ſ. p. Cel. Auctor enarrat, praeſentes ſunt atque ſaeuiunt, alia eorum omnino cura eſſe debet, cuius haec ſumma pars eſt, ut aegri a ſanorum commercio ablegentur. De dy- §. 6.
ſenteria, morbo, qui non nunquam epidemice graſſatur, Cl. Auctor monet, quod ſolam iſtius mali cauſam atque originem in praua viuendi ratione non ſemper eſſe quaerendam obſeruauerit, cum homines interdum illud aggreſſum fuiſſe viderit, qui ſingulari ſtudio atque regimine id euitare ſtuduerint. Saepius tamen in malo victu, eiusque intempe-

temperantia, et aquis corruptis, cauſam haerere, negare non vult Cl. Auctor, quibus malis, quantum quidem fieri poteſt, tollendis magiſtratus ſtudeant.
§. 7. Huc quoque pertinent morbi caſtrenſes dicti, ab annonae defectu, vel malo victu, vel aquis putridis, orti: quare medici, quibus militum ſanitatis cura tradita eſt, duces bellicos ſuis adiuuare debent conſiliis, ut, quicquid illorum ſanitati obeſſe poſſit, iuſto tempore remoueatur, aut, quantum fieri pot-
§. 9. eſt, immutetur. Proximum nunc ab his morbis locum occupat peſtis. Cum THVCYDIDES, Graecorum hiſtoriographorum propter elegantiam et fidem facile princeps, peſtis ſymptomata optime deſcripſerit, indeque clarum fiat, quantum miſeriarum iſti calamitati accedat, ſi nullus ordo ſeruatur, hiſtoriam illius peſtis, qua Athenienſes olim afflicti fuerant, ab illo auctore narratam, hic loci Cl. Auctor inſeruit, cui T. LVCRETII CARI et OVIDII, qui THVCYDIDEM imitati ſunt, carminum particulas adiecit. Ante omnia cauſis tam diri iſtius mali,
§. 11. quantum in arte humana poſitum eſt, reſiſti debet. Aduehuntur illae vel ex longinquo, vel in ipſis prouinciis reconditae ſunt, et transuehi dicuntur, vel mediante aere, qui iam per ſe, ab auſtris diu flantibus nimis tepeſcendo, nociuam qualitatem adipiſci poteſt, vel ſub tenuiſſimi halitus ſpecie, animantibus et mercibus adhaerentis, in alia loca duci poſſe,
§. 12. creduntur. Cum vero cauſarum ad excitandum contagium in qualibet regione ſatis eſſe poſſit, v. c. fames, aquae putridae, locuſtae gregatim ductae cadentes et putreſcentes, animantium brutorum peſtis, e. i. g. a. nulla ſane prophylaxis tam neceſſaria eſt, ac cauſarum, quae publicam ſanitatem tueri valent,
§. 13. de quibus ſupra capite ſecundo, iuſta ordinatio. Quodſi etiam in aere primaria cauſa quaerenda foret, valde tamen dubium manebit, num aer, ignibus accenſis, tormentis bellicis exploſis, ſuffimentis, ex variis ſpeciebus

ciebus foetidis paratis, vere corrigi queat? Scire tamen licet, varia propter fiduciam, cuius magna vis ad firmandos ciuium animos eſſe ſolet, in aliqua re collocatam, admitti poſſe. Prae ceteris autem omnibus prodeſt, vitare cum aegrotis commercium; munditiei et publicae, et priuatae, et aeri ſaepius in ſingulis domibus renouando, ſtudere; terrores panicos ſupprimere; pauperibus largiri vinum generoſum; terriculamenta ex publico remouere; canes occidere, ne, uti quidam metuunt, per hos contagium e domo in domum transportetur; veſtes gerere, quarum laeuis utrinque ſuperficies, denſiorque contextus ſit, ne venenum facile adhaereat; alimenta optimi ſucci ſuggerere, eorumque largitione in pauperes quoque eſſe liberaliores; medicos conſti- §. 14.
tuere, et cauere, ne hi ſanos adeant, idque tantum quidem propter multorum metum, ne adportent contagium; ad aegrorum, funerumque curam tales eligere, qui morbo iam eluctati ſunt, ideoque de nouo contagio ſecuri. Cadauera non diu inſepulta §. 15.
maneant, noctu tamen exportanda et altius defodienda, veſtibus er utenſilibus eorum combuſtis, et aere in eorum domus undique admiſſo, ſintque omnino magiſtratus conſuetudinum tenaces, licet earum non nullae minus eſſe videantur neceſſariae, ut ciuium ſaltem animos pacare queant, nec ab his neglectae curae arguantur. Nec inhoneſtum eſſe §. 16.
medicis, omni iure cenſetur, proſpicere, ne morbi contagioſi inter beſtias irruant. Cum iisdem machinae legibus, ac homines viuant, eodem quoque modo aegrotare poſſunt, et ſigna ipſius peſtis, utrumque genus affligentis, communia ſunt: *ſubitanea* nimirum *inuaſio*, *celeritas progreſſus in mortem*, *in ſanitatem lenta reuerſio*, *epidemica conſtitutio*, *et varia morbi ac mortis ratio*. Gratiſſimi nos omnino agnoſcimus, quod boum illam peſtem, quae huc usque per totam fere Europam graſſata fuit, hacce data

occaſione

occaſione deſcribere voluerit Cel. Auctor, quo modo, cum ante aliquot annos hic Lipſiae ſaeuiret, ſe habuerit. Apparet inde, morbum hunc aggreſſum fuiſſe animalia ſub multiplici, in primis febris ardentis, ſpecie. Cum optime ſeruatum regimen, et quaeuis adhibita prouidentia malum a ſano pecore haud retinuerit, non ipſum aerem, ſed *humorum ſpontaneam in virulentum quid conuerſionem, et morbi ex corporibus ad corpora migrans contagium*, pro cauſis haberi debere, Cel. Auctor exiſtimat. Quae conualuerant, iis orta fuit foeda ſcabies, aut anthraces ſub cute. Ex medicamentis nocuere purgantia; venarum ſectio ab initio morbi, nunquam vero in eius progreſſu, iuuit; ſudorifera aliis paulu-

§. 17. lum fuere praeſtantiora. Cadaueribus inciſis, haud certi cuiusdam viſceris, quod prae ceteris accuſari potuiſſet, labes deprehenſa fuit; modo faucium, modo pulmonum apparuit inflammatio, modo omnium partium facies gangraenoſa fuit; ideoque in ipſis animantium ſuccis cauſam morbi quaerendam eſſe Cl. Auctor iudicat, quae vero ob praecipitem morbi progreſſum opprimi haud potuit; ſed in fugiendo ſanorum cum iis, quae morbo fuerant infecta, omni commercio ſola et unica prophylaxis

§. 18. permanſit. Prae omnibus autem ea nobis ſingularis viſa fuit obſeruatio, quod cadauera iſta, ſi tota, cute antea non detracta, defoſſa fuerint, poſt plures annos ſub terra adhuc deſiccata tantum, non vero abſumta fuerint reperta, quare iuſſum fuit, ut, pellibus abſtractis, cadauera, minutim conciſa, ſub alto tellure defoderentur, ne tumulo, caſu olim forſan recluſo, noua peſtis oriatur. Coriariorum quoque non nulli, cutem deglubere audentes, morbis malignis, immo alii ſubitanea morte correpti

Cap. V. ſunt. *Vltimum* tandum ſectionis huius *caput de cura mortuorum* neceſſaria praeſcribit. Eorum vero, quae ad hanc curam pertinent, pauca ſunt, de quibus

bus rei publicae rectores conſulere ſolent ac debent medicos, ſi duplicem modo caſum exceperis, unum de iis, qui vim mortemque ſibi intulerunt, num bona gauiſi fuerint valetudine, ſibique recte conſcii facinus perpetrauerint, an mente capti triſtesue illud fecerint? alterum, qui certa et indubitata mortis ſigna reſpicit, ne quis unquam terrae demandetur, quem vita prorſus adhuc nondum deſeruit. Lipothymia, ſeu vita hominis adeo imbecilla, ut illam, qui circumſtant aegrum, ſenſibus non percipiant, et, quae gradu adhuc maior eſt, ſyncope, quae in morbis ſoporoſis, vulneribus, quae largam ſanguinis copiam fundunt, uti inter milites poſt praelia ſaepe fieri ſolet, porro in iis, qui ſe laqueo ſuffocarunt, aut ſub aquis ſubmerſi, aut apoplecticis hyſtericisue inſultibus obnoxii ſunt, ſuperuenire ſolet, aliique ſimiles morbi, mortui hominis imaginem repraeſentare poſſunt, vita tamen adhuc ſuperſtite. Licet itaque et reſpirationis et pulſus defectui, pallor, liuor et frigus accedant, merito tamen incipientis putredinis ſigna, et maculae liuidae pro abſolutis mortis ſignis haberi, et tunc maxime, ſi mors repentina fuerit, ante debent expectari, quam in terram demittatur cadauer. Ea quoque mortis certitudo in illo caſu inueſtigari debet, ubi de matris, ſub partus cruciatibus extinctae, utero, ad foetum ſeruandum, aperiendo, quaeſtio oritur. Limitibus circumſcripti, noſtrae quidem narrationis filum, ſed inuiti, abrumpimus, iam ex his tamen, quae huc usque protulimus, ſatis apparet, quam ſolers fuerit Cl. Auctor in exponendis iis omnibus, quae ad finem, ſibi praefixum, referri poſſe videbantur; quibus aliorum quoque, in primis autem veterum, placita, pro larga lectionis ſuae copia immiſcuit, ſuasque iis aeque, ac neceſſariis rerum phyſicarum et anatomicarum adiectis expoſitionibus, ſententias confirmauit. Ipſius praeterea

libri

libri lectionem et oris romani elegantia, ipſiusque materiei dignitas atque utilitas commendant. Vitam, viresque Cl. Auctori ex animo apprecamur, ut diutius adhuc non uniuerſitati noſtrae, non ordini noſtro ſolum, ſed orbi etiam erudito, uti ſolet, utilis et carus eſſe queat.

II.

D. IOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, in Acad. Lipſ. P. P. Facultatis Medicae Decani, etc. Εξηγησις ονοματων των περι παθων. Exegeſis nominum graecorum, quae morbos definiunt. *Erklaerung griechiſcher Woerter, von Kranckheiten des menſchlichen Koerpers. Leipzig. bey Friedr. Lanckiſchens Erben.* 1751. 4. 1 alph. 13 pl.

Quamquam Cl. Auctor propter graues et amplas, quibus vi munerum, quae ornat, ipſum detentum atque fere obrutum eſſe conſtat, occupationes ſuaui illo otio, eruditis amico atque neceſſario, minus ſaepe, quam ipſi cupiunt amici, frui poteſt, indefeſſo tamen eius ſtudio, quod in primis veteribus artis noſtrae conditoribus non legendis ſolum, ſed enucleandis quaſi ſolet tribuere, huncce librum in acceptis referimus. Ab aliquot iam hinc inde annis ſingulari induſtria multoque ſtudio, veterum medendi methodum, παλαιολογιας therapiae nomine inſignitam, ſub diuerſis, quas ipſi munus academicum ſcribendi ſuppeditauerat, occaſionibus, compluribus exarauerat ſchediasmatibus; tumque multa, ex graecorum medicorum voluminibus depromta loca, morboſum humani corporis ſtatum attinentia, collegerat, quae nunc ſtruendo huic lexico materiem dederunt. In extricandis autem tricis, vocularumque etymis perſcrutandis tempus tere-

re

re noluit, ſed ad modum FOESII et STEPHANI ea nomina, quae morbos definiunt, apud veteres graecos reperiunda, legendo ita collegit, ut haud mera nomina, ſed res potius iis notatas, ſufficientibus graeci textus particulis, ex ipſis auctoribus transſcriptis, explicaret, additis et latina et germanica earum expoſitionibus. Pro ſua tamen, quam omnes norunt, modeſtia omnibus quidem numeris abſolutiſſimum opus haud eſſe appellandum, ſed eius modi ſaltem delineationem, Cel. Auctor monet. Annectendum hunc librum paſſus eſt nouiter edito ſatis illi noto lexico phyſico-medico, cui titulus eſt: D. IOHANN IACOB WOYTS *Gazophylacium medico-phyſicum*, *oder Schatz-Kammer mediciniſcher und natürlicher Dinge*, etc. Scire tamen licet, quod ſeorſim quoque vendatur a bibliopolis; idque iure fit eo maiore, quo utilius hoc lexicon graecum eruditis medicis, nomen ſuum et merentibus atque tuentibus, eſſe poteſt, et quo minus ab his gazophylacium illud huc usque magni haberi potuit, licet ſub hac, quae eſt decima tertia, editione multa omnino emendata vel addita ſint, ut praeſens nunc liber multum mutatus ab illo ſit.

III.

Viridarium Florentinum, ſiue conſpectus plantarum, quae floruerunt et ſemina dederunt anno 1750. in horto caeſareo florentino, ſocietatis botanicae cuſtodiae commiſſo. Auctore XAVERIO MANETTI, M. D. Societatis eiusd. Botanico et a Secretis. Florentiae ex typogr. B. Paperini 1751. 8. mai. pl. 7. ſine praefatione.

Florentinus tempore in primis A. MICHELII, rariſſimis, ac fere innumeris plantis ſuperbiens,

 inter

inter coeteros Europae hortos extollebatur; eae vero, ſuccedentibus annis, cultore deſtitutae perierunt fere omnes. Cum itaque an. 1746. idem hortus curae Cl. MANETTI fuerit commiſſus, omnia, quae ad ſplendorem et augmentum eiusdem, plantarum incolumitatem ac conſeruationem faciunt, ſedulo obſeruauit, ac in primis quotannis ſtudioſe ſemina collegit, quorum elenchos, typis conſignatos, cum eruditis hactenus communicauit: et ex his ſchedulis, nunc in unum collectis, plantarum horti florentini catalogum compoſuit Cl. Auctor; in quo ſecundum alphabeti ordinem plantae una cum varietatibus 1214. recenſentur. Synonyma nulla, vel raro admodum annotata deprehendimus, generica vero, MICHELII exemplo incitatus, ea ut plurimum, quae TOVRNEFORTIVS aſſumſit, et aliquando neceſſitate cogente recentiorum nouiter inuenta, retinuit. Ex his vero HEISTERVM in primis ducem elegit, et omnia, ab eodem conſtituta genera, ut cannabinaſtrum, conringia, conuoluuloides, melilotoides, urticaſtrum etc., licet ab aliis botanicis negligantur, denuo tamen propoſuit. Ipſe etiam tria noua plantarum genera deſcripſit, quae vero, ut nobis videtur, Heiſterianis ſimillima, vix botanicorum applauſum inuenient. Primum horum eſt:

p. 56. *Niccolinia fruteſcens, foliis teucrii ſplendentis, flore albo.* Haec planta minime noua eſt, ſed a TOVRNEFORTIO ad galeopſidis genus relata, et a LINNAEO, ut ſingulare genus, praſii nomine, deſcripta, diu innotuit. Cum itaque, ut recte Cl. Auctor monet, ad cognita hactenus genera referri nequeat, et *calyce campanulato patente ac fere bilabiato, et ſeminibus, ut in rubo pulpa veſtitis, baccae naturam induentibus* ab omnibus aliis diſcrepet, in memoriam ANTONII NICCOLINI, ſocietatis botanicae olim Praeſidis, hoc nomine eam inſigniuit. Cur vero

praſii

praſii nomen, ut genericum plantae datum, non
retinuerit, nos latet, ipſe enim illud ne quidem
commemorat.

Alterum plantam ſpectat, quae *centaurium lute-* p. 83.
um perfoliatum vulgo nominari ſolet. Hanc in pri-
mis *flore polypetalo, octo vel pluribus anguſtis petalis in-*
ſtructo et calice pariter polyphyllo excepto a centaurio
differre monet, ideoque in nouo genere ſiſti debere
exiſtimat Cl. Auctor, hocque in honorem clari vi-
ri IOANNIS FRANCISCI SEGVIERII, *ſeguieriam*
appellat.

Tertium genus, a Clar. florae ſtampanenſis au- p. 36.
ctore *Guettarda* dictum, illam ſiſtit plantam, quae
bugloſſum anguſtifolium ſemine echinato appellatur,
et a RIVINO ut ſingulare genus *lappulae* nomine
deſcribitur, a LINNAEO vero nunc ad lithoſper-
mum, nunc ad myoſotidem, ab aliis ad cynogloſſam
refertur. Eam vero cum nullo modo nominatorum
generum conuenire, ſed ſingulare genus eſſe, au-
tumat Cl. MANETTI, cuius characteres ſequentes:
Guettarda ſemina habet plurimum echinata, non vero
rugoſa et ampla, ut bugloſſum, nec dura, glabra, luci-
da, ut lithoſpermum, cum quo tamen et facie et reli-
quis partibus plane conuenit.

Praeter haec indicata plantarum noua conſtituta
genera, plures alias inuenimus obſeruationes, qui-
bus alia, aliorum in primis, genera accuratius defini-
untur, vel modo illuſtrantur. Annotabimus pri- p. 14.
maria. In illo, quod *centauria* LINNAEO dicitur,
genere, Vaillantiana nomina potius retinenda eſſe
monet, ſimulque docet, quibusnam characteribus,
parum tamen a VAILLANTII alienis, ea debeant
conſtitui. Bidens indica hieracii folio, et caule p. 17
alato et foliis alternis a ceratocephalo differt, hinc
ceratocephaloides ab Auctore dicitur. Criſta galli, p. 22.
pedicularis et odontites totidem ſunt genera, quo-
rum characteres fuſius deſcribuntur; en primarium

modo diſtinctionis fundamentum: *Pedicularis* calix
quinquifidus inaequaliter diuiſus, et corollae labii
inferioris trifidi lacinia media anguſtiore. *Criſtae
galli* calix expanſus, compreſſus, aequaliter quadrifi-
dus, labii inferioris lacinia media latiore. *Odonti-
tis* calix quadrifidus inaequalis, laciniis labii inferio-
ris aequalibus.
p. 26. *Elatinem* a linaria, ob caules procumbentes et
folia auriculata diſtingui debere, ſuadet. *Ageratum*
vero LINNAEI, nec ut ſingulare genus, nec ut co-
p. 29. nyzae, ſed potius ut eupatoriae ſpeciem conſide-
randam eſſe exiſtimat; cum *flores corymbos cylindra-
ceos proferant, et calices ſquamis paucioribus una tan-
tum ſerie inſtructos et ſemina pappo plumoſo coronata
p. 33. habeant.* LINNAEVM ſaepiſſime nomina plantarum
ſubuertere, licet nulla utilitas, vel ratio id expoſce-
ret, occaſione geniſtae, affirmat. Dum vero he-
p. 37. lenium nominat, VAILLANTIVM laudat, quod
aſteris nimis diffuſum genus in plura, licet ſaepe
p. 40. color modo diuerſus ſit, ſeparauerit; varia quoque,
iacobaea nominata, memorat eiusdem viri genera,
quorum ſimul ſummaria capita ex Act. Pariſinis huc
p. 42. tranſtulit. *Iſopyrum* ab helleboro facie modo dif-
ferre, in reliquis vero plane cum eodem conuenire,
p. 45. ſcribit. *Lentiſcum* atque *therebinthum* foliis inter ſe
diſtinguit, et ad priorem eas refert ſpecies, quae
folia pinnata absque impari, ad alterum vero eas,
quae pinnata quidem folia, ſed cum impari habent.
p. 47. Cucubalum *lychnidem ſcandentem bacca nigra* appel-
lat; baccae enim differentia, in una tantum ſpecie
occurrens, diſtinctum genus haud conſtituit. Nu-
meroſam vero admodum lychnidis familiam in ſub-
alterna genera diſtingui debere ſimul aſſumit. Et
cum Linnaeana huius generis diuiſio, abſoluta qui-
dem et amplectenda, a tyronibus vix obſeruari poſ-
ſe credat, ipſe diſtinctionem facilioribus ſignis in-
nixam, et a capſulae calycisque differentiis deſum-
tam

tam proponit. *Lychnidi* itaque calicem ſubrotun- p. 48.
dum inflatum, capſulamque ſubrotundam; *Saponariae*
calicem capſulamque oblongam, floresque in capi-
tulum umbellae in modum digeſtos; *Coronariae* ca-
licem quinquangularem coriaceum, et capſulam cy-
lindraceam; *Agroſtemmati* calicem coriaceum, laci-
niis petala ſuperantibus; *Sileni* calicem clavaefor-
mem, capſulamque oblongam et flores in capitu-
lum, laxius tamen quam in ſaponaria coaceruatos,
adſcribit. Bulbilli illi, qui in quibusdam allii ſpe- p. 54.
ciebus floribus interſperſi ſunt, *moly* genus defini-
unt; hanc enim ſingularem proprietatem diſtinctum
genus conſtituere, autumat Cl. Auctor. *Phaſeoli* p. 63.
nomen illis modo ſpeciebus adſcribit, quae trifolia-
tae ſunt et ſcandentes; quae vero trifoliatae non
ſcandent, *phaſeolaſtri* nomen, ut HEISTERVS fecit,
et quae tandem ſcandent et polyphyllae ſunt, *ha-*
ſeoloidis nomine, annotante iamiam MVLLERO, in-
ſigniendas eſſe, aſſumit. *Pſeudoſtachydis* genus, a p. 67.
MICHELIO introductum, non modo ipſe retinet Au-
ctor, verum etiam alias plantas ad hoc reuocat, et
ita ex characteribus, qui genuini Auctori videntur,
limites generis ampliores reddit. Dum vero de hac
planta loquitur, longa oratione de Linnaeano ſyſte-
mate diſſerit, docetque eum non eſſe ſyſtematis
ſexualis primum auctorem. Ranunculorum famili- p. 73.
am, HEISTERI in primis aſſerto innixus, in plu-
ra diuidit genera; quae omnia flore pentapetalo con-
ueniunt, flores vero in ſummitate caulium foliis
veſtitorum, *ranunculus*, flores ex alis foliorum
emergentes, *ranunculoides*, radicem aſphodeli, flo-
remque magis ſpecioſum *ranunculaſphodelus*, et
folia circa caulem tria *anemone ranunculus*, ſemina
tandem in ſpicam, muris caudam referentem, diſpo-
ſita, *myoſurus* obtinet. *Amaranthum ſiculum radice* p. 8(
perenni ad *celoſiam* LINNAEI referendam eſſe monet,
niſi forte facies plantae propria reſiſteret, dum

capſulae rarius diſpoſitae et ad ima caulis reflexae diſſimiles a celoſia ſpicas conſtituunt. Curioſa omnino nobis videtur ea obſeruatio, quam de *coriaria*
p. 20. Cl. Auctor profert. LINNAEVS enim in Hort. Vpſ. ſcribit, SAVVAGEVM detexiſſe ſingularem in ea vim epilepſiam producendi, a quocunque aſſumeretur animali. Ipſe vero Auctor eiusdem ſuccum in cane ſine ullo epilepſiae ſigno orto fuit expertus. Et de *Belladona* ſimul refert, baccas eius integras earumque ſuccum aqua dilutum in cuniculi ventriculum immiſſum et per venam iugularem iniectum praeter ſingultum nulla veneni aſſumpti ſymptomata excitaſſe; an igitur clima Italiae venena tam exitialia prorſus infringere poſſit, merito
p. 92. quaeritur. Tandem occaſione *trollii*, quam in altiſſimis montium Piſtorienſium iugis Cl. Auctor inuenit, rerum quarundam ibidem obſeruatarum, et animaduerſione dignarum, breuem ſiſtit adum-
p. 105. brationem. In fine libri enumerantur viri exteri, in album Societatis botanicae Florentinae relati, ac bene de ipſa meriti.

Nuper admodum ſupplementum quoque ad huncce catalogum accepimus, quod, Societatis Florentinae botanicae Praeſidi ANTONIO FRANCISCO ACCIAIOLI TORIGLIONI dedicatum, plantas continet 325 viridario florentino addendas. Eodem ac priores ordine diſponuntur illae, et hinc inde annotationibus illuſtrantur; nonnulla etiam, quoad ſynonyma in primis atque ſpecifica nomina, in priori libro vel omiſſa adduntur, vel corrigenda emendantur. Spicilegium ipſum paginas implet 32.

IV.

Hiſtoire de l' academie royale des ſciences et belles lettres. an. MDCCXLIX. à Berlin chez Haude et Spener 1751. 4. alph. 2. pl. 21. tab. aen. 13.

hoc eſt.

Hiſtoria Academiae regiae ſcientiarum et bonarum literarum an. 1749. Berolini etc.

Nouum hoc volumen inter permulta alia eruditionis ſpecimina etiam ea continet, quae noſtra attentione prae reliquis digna eſſe uidentur, quae itaque ut accuratius a nobis indicentur, omnino exigunt.

I. *Diſquiſitiones de fertilitate terrae in genere;* Au- p. 3.
ctore Ill. ELLERO. Cultura terrarum, ruricolis ut plurimum relicta, hoc potiſſimum ſeculo, ut inter veteres, accuratius ab iis diſquiritur, qui ut eruditi neceſſariis inſtructi ſubſidiis ad rerum cauſas attendunt; His vero diſquiſitionibus plantarum exoticarum in noſtros hortos receptae copiae praecipuam dederunt occaſionem, et quotidie ferme inter noſtros in lucem eduntur ſchediaſmata, quae hanc phyſices et rei oeconomicae partem illuſtrant. Hiſce praemiſſis Auctor noſter naturam et affectiones ſuperficiei terrae, quae ſemina plantarum ſuſcipit, atque ita vegetabilium et fructuum incremento fauet, in hoc commentario conſiderandas ſibi ſumit. Et primo quidem varia, quae Cl. POTT per examen terrarum chemicum in Lithogeognoſia ſua detexit, p. 5.
repetit, cum vero praeſens inſtitutum non adeo explicent, iis relictis tantum aſſumit, miſcelam terrae foecundae ſeu humi arenam, terram pinguem luteam, argillam, et tandem terram peregrinam, quam

p. 7. adoptiuam appellat, nobis ſiſtere. Arena in ſabulo tenerioribus et glarea craſſioribus moleculis conſtat, et vitreſcibilem nobis oſtendit terram, cuius in vegetatione uſus et circa originem coniecturas ad ulteriores diſquiſitiones remittit. Terra pinguis flaueſcens, *Leem* germanis dicta, eſt terra argillacea, alba, flauum colorem a terreo admixto recipiens, quod
p. 9. experimento comprobauit Cl.. Auctor. Argilla ipſa colore quoque diuerſa eſt, qui tamen ab admixtis dependet, a quibus ſeparata purior argilla alba inſignem ignis gradum ſine eo, quod calcinetur aut vitreſcat, ſuſtinet. Argillam itaque puram, cum aqua deſtillata et ſpiritu vini digeſtam et coctam examinauit, ſed ſolutionem non obtinuit, itaque alcalinum lixiuium bene ſaturatum elegit, et digeſtione et coctione praegreſſis tincturam rubentem, ſalinam obtinuit, ipſaque argilla, pingui ſuo glutine orbata, in terram ſiccam puluerulentam, digitis facile conterendam, mutata fuit. Tinctura autem, varia ratione examinata, gluten terrarum pinguium inflammabi-
p. 11. libus adſcribendum eſſe oſtendit. Tandem terram peregrinam ſiue adoptiuam conſiderat, quae potiſſimum a vegetabilibus corruptis vel putredine reſolutis oritur et terram nigram viſcoſam ſiſtit. Hanc quidem ab antea commemoratis terris ſeparauit, ita, ut ſabulum et paulo poſt terra pinguis ſubſiderent, nigra vero magis ſuſpenſa in aqua remaneret, et ſtratum vix cohaerens oſtenderet, in quo microſcopii ope reliquias fibrarum vegetabilium ſub ſpecie particularum cilyndricarum detexit. Hanc terram aqua frigida diſſoluit, quae inde albida, minus transparens reddita fuit, et euaporatione ſuſcepta puluerem gryſeum, leni ſalino ſapore praeditum obtinuit. Terra ipſa, ex retorta deſtillata, ſpirituoſum liquidum, paulo poſt oleum rubrum dedit, reſidua vero terra gryſeum obſcuriorem, cineribus ſimilem, contraxit colorem. Spirituoſum liquidum

erat

erat empyreumaticum, uti ſpiritus tartari, et ſeparato oleo empyreumatico nec urinoſae nec acidae indolis inueniebatur. Spiritus hic empyreumaticus, oleoſus, eſt gluten materiae terreſtris in vegetabilibus, hic in terris ſiccis euaporando diſſipatur, in humidioribus, ad fontes et fluminum ripas ſitis, colligitur et per corruptionem vegetabilium auctus terram nigram vegetabilem, *Moor-Erde*, imo ceſpites bituminoſos ſiue turfum format. Principium hoc inflammabile terrae, ex vegetabilibus poſt corruptionem ortae, ſe iungens temporis tractu terram argillaceam efficit, id quod Cl. Auctor per varia, hunc in finem inſtituta, experimenta cognouit. Ex dictis tandem ſequentia concludit: terram ſabuloſam ſterilem eſſe; terram argillaceam, niſi ſabulo remixta ſit, ad culturam quoque ineptam inuenire; terram nigram, ex vegetabilibus deſtructis ortam, hinc ad nutritionem plantarum aptam, hanc ipſam proprietatem amittere, ſi ſola maneat et calore nimium excoquatur; in vera itaque proportione terrarum omnium inter ſe mixtarum fertilitatem terrae poſitam eſſe. Haec tamen proportio, quae pro varietate plantarum variat, per crebrius inſtituta experimenta tantum detegenda erit. p. 14.

2. *Noua methodus depurandi argentum per acidum ſalis communis, ſiue modus reducendi lunam cornuam ſine diſpendio argenti.* Auctore Cl. MARGGRAF. Optima methodus, qua argentum purum redditur, eſt cupellatio, quae tamen ſaepius veſtigia quaedam cupri in argento relinquit. Si argentum, in ſpiritu nitri ſolutum, vel ſpiritu vel ſolutione ſalis communis praecipitatur, et bene edulcoratum reducitur, argentum optimum ab omni cupro liberum obtinetur. Auctor vero noſter, variis his methodis breuiter indicatis, circa reductionem lunae cornuae tantum verſatur. Accurata itaque deſcriptione lunae p. 16.

cornuae praemiſſa, eam acidum ſalis concentratum argento iunctum continere oſtendit; ſi itaque igne libero acidum expellere tentaremus, argenti magnum fieret diſpendium, cum partim in auras diſſiparetur, partim per crucibulum penetraret. Diffi-
p. 19. cilis itaque omnino eſt via acidum ſalis ab argento ſeparandi, uti in diiudicandis experimentis cum plumbo, ſtanno, regulo antimonii et cinnabari inſtitutis, occupatus Cl. Auctor ſatis comprobat, qui etiam reductionem lunae cornuae, cum alcali vegetabili et borace ſuſceptam, tanquam optimam et propriis tentaminibus correctam minus conuenien-
p. 21. tem iudicat. Methodus itaque reductionis lunae cornuae, Auctori probata, eſt praecipitationis ſpecies per mercurium crudum, qui tamen illam non per ſe, ſed ope ſalis alcalini volatilis praeſtat. Mercurius itaque puriſſimus, ſal ammoniacum volatile ſiccum, et luna cornua optime praeparata, ad experimentum requiruntur. Lunae cornuae drachmae quinque et ſedecim grana, cum uncia una et dimidia ſalis ammoniaci volatilis ſicci, pauca aqua addita, in mortario vitreo trituratione miſceantur, quo facto mixtum turgeſcit et quodam modo efferueſcit, addantur deinde unciae tres mercurii cum pauxillo aquae, et trituratione continuata mixtum gryſei coloris obtinetur, quod argenti amalgama cum mercurio ſiſtit. Huic quidem, ſi inter triturandum demum maior eaque repetita aquae copia affunditur, et iterum reiicitur, donec aqua limpida ſit, dabit amalgama puriſſimum, quod ex retorta deſtillatum mercurii uncias duas, drachmas duas et ſemis et quindecim grana exhibebit, argentum vero puriſſimum in fundo relictum et per ſe fuſum pondus unciae ſemis, exceptis quatuor granis, reddit. Nec quatuor haec grana plane amiſſa ſunt, ſed ex puluere albo, qui in aqua effuſa ſubſidet, conuenienti methodo adhibita reſtitui poſſunt. Additis quibusdam circa experimentum

tum cautelis methodum docet, qua illud cum magna copia lunae cornuae ſine diſpendio ſalis ammoniaci volatilis ſicci ſuſcipi poſſit, quo in caſu non trituratione ſed deſtillatione, qua ſal volatile alcalinum ſeparatur, amalgama perficitur. Tandem ſine addito mercurio nec per ſal volatile ſolum reductionem fieri, nec ſal tartari tanquam alcali fixum ſolutionem praeſtare, nec mercurium, ex ſolutione aquae fortis per ſal tartari praecipitatum, hanc reductionem producere expertus monet.

3. *Experientiae circa generationem fungorum.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Die 14. Decembris an. 1748. variae magnitudinis vitra cylindrica, moderate calefacta, particulis melonis ſurinamenſis ad dimidiam partem repleuit, et panno lineo tenui operiit, vitra ipſa numeris diſtinctis inſignita in varia loca horti et domus diſpoſuit, quo in ſuperficie melonis putreſcentis geneſin fungorum minimorum, qui ſitus nomine variis corporibus adhaerent, obſeruaret. In his itaque *mucorem vulgarem capitulo lucido, per maturitatem nigro, pediculo gryſeo* MICHELLI N. P. G. p. 215. tab. 95. 1. (*grauer gemeiner Schimmel.*) *byſſum, qui botrytis comata gryſea, caule ſimplici craſſiore, ſeminibus rotundis* MICHELLI N. P. G. p. 212. tab. 91. 1. appellatur (*grauer Haarſchimmel*) et *tremellam ſphaericam ſeſſilem, gregariam, nigram,* generari vidit, et accurate tempus et modum incrementi, in variis hiſce plantulis deſcripſit; nos, quibus haec cuncta repetere non licet, concluſiones tantum quasdam inde deductas lectoribus noſtris exponimus. In locis humidioribus et profundioribus maior copia mucoris, quam byſſi et tremellae inuenta fuit, in locis vero altioribus et ſiccis byſſi et tremellae plantulae mucoris copiam ſuperarunt, quod a pondere ſeminum, in aere volitantium, forte deduci poſſet. Vitris omnibus, ob frigus intenſum p. 26.

ſum in hypocauſtum calidum reductis, ſemina ita diſſipata fuerunt, ut vitro et plumbo feneſtrarum, humiditate ſcatentium, quaedam adhaererent, et plantulae inde creſcerent. Quae cuncta inſignem ſeminum numerum, veras plantarum ſpecies producentium, in aere haerere et cum eo corpora hominum penetrare demonſtrant.

p. 33. 4. *Methodus conſtruendi ſcalam barometricam, quae non ſolum veram aeris preſſionem directe indicat, ſed et errores a varietate caloris aeris in mercurium agentis oriundos corrigit*, Auctore Cl. C. F. LVDOLPH. AMONTONIVS caloris effectus in barometra definire docuit, neque exſtat adhuc accuratior aut magis ſenſibilis barometri conſtructio, ea, quam ipſe dedit. Sed eam qui adhibent, ad tabulas Amontonianas, caloris effectus exhibentes, recurrere continuo debent, neque directe pondus aeris, ſed altitudinem mercurii comperiunt. Vtrique remedium adlaturus, Auctor ſumit Berolini ſummam mercurii altitudinem digitorum 29. linear. 7. minimam digit. 27. lin. 2. Deinde reſpondentia his altitudinibus pondera columnarum mercurialium baſi digiti quadrati inſiſtentium complet, ſumitque ad illa proxime accedentia pondera, quibus reſpondentes altitudines mercurii definit, ſpatium vero inter has altitudines contentum in partes aequales diuidit, ut habeantur altitudines reſpondentes preſſioni varianti per ſingulas uncias vel librae partes decimas ſextas. Sic conſtructam ſcalam thermometri ope, ut ſimul caloris in altitudinem mercurii influxum oſtendat, aptam reddit variaque figura illuſtrat.

p. 38. 5. *Obſeruatio de oleo ex formicis expreſſo, cui accedunt tentamina quaedam de acido horum inſectorum.* Auctore Cl. MARGGRAF. Olei, ex vegetabilibus et eorum praecipue ſeminibus expreſſi, affectiones

omnibus

omnibus notas primum recenſet, et ex regni animalis productis oleum expreſſum vix obtineri poſſe monet, niſi pinguedinem excipias et oleum ex vitello ouorum. Inuenit tamen in *formica rufa* LINNAEI Faun. Suec. p. 305. num. 1020. oleum animale, vere expreſſum dicendum. Cum enim copiam inſignem horum animalcularum, ad oleum eſſentiale et acidum ſpiritum educendum, methodo conſueta deſtillaret, et reſidua a deſtillatione animalcula in panno lineo collecta ſub prelo ſtanneo puriſſimo porro exprimeret, magnam olei expreſſi copiam obtinuit. Hoc oleum odorem formicarum et colorem brunum in rubrum vergentem referebat, in aere moderate calido transparens, frigore concretum et minus transparens redditum, chartae maculam oleoſam imprimebat, aquae ſupernatabat eidemque non miſcebatur, nec deſtillando alembicum tranſcendebat, nec a ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluebatur, flammam in elychnio ſuſcipiebat et alebat, cum calce plumbi e. g. minio ſpiſſeſcebat, et cum ſale alcalino fixo ſaponem exhibebat. In inſectis, quae BREYNIVS in Hiſt. nat. cocci rad. tinct. deſcripſit, ſimile oleum deprehendi oſtendit. His de oleo for- p. 42.
micarum expreſſo praemiſſis, ad examen acidi formicarum progreditur. Liquorem acidum, in deſtillatione et expreſſione formicarum collectum, ex retorta denuo deſtillare fecit, et aquoſo liquore primum ſeparato, nouum vas recipiens applicauit, quo facto alium liquorem obtinuit, cuius guttae acidum ſaporem linguae inprimebant, omni vero acido educto maſſa gelatinoſa nigricans in retorta remanebat. Acidum vero alcali fixo et volatili iunctum efferueſcebat, et ſal medium ſiſtebat. Liquor vero alcali fixo optime ſaturatus cryſtallos oblongas exhibebat, quae tamen in aere facile iterum diſſoluebantur. Hae cryſtalli, vel liquor ſalinus medius nondum in cryſtallos coactus, ſi lenta ſit deſtillatio, liquidum copioſum

pioſum exhibent, in quo acidum debile obſeruatur, ſubſequitur vero liquor urinoſus, ex parte ammoniacalis; reſiduum eſt maſſa nigra, fluida, ſaporis alcalini fixi. Haec, in aqua reſoluta, per filtrum depurata et leniter euaporata, cryſtallos magnas exhibet, quae ab alcali fixo originem habere nequeunt, et ſiccae perſiſtunt, reliquae tamen alcali fixi dotes in illis obſeruantur. Dubium itaque eſt, quorſum acidum tranſierit, vel quo modo ſeſe abſcondat. Acidum formicarum in mixtione cum alcali volatili ea ferme phaenomena exhibuit, quae cum aceto
p. 44. deſtillato obſeruantur. In ulterioribus experimentis actionem huius acidi in varia metalla et ſemimetalla deſcribit, cui tamen, quo breuiores ſimus, ulterius non inhaeremus. Corpora terrea, corallia, cretam, lapides cancrorum etc. et deſſoluit hoc acidum formicarum, et cum illis ſalino cryſtallinam ſubſtantiam format, quae ſicca manet. Ex omnibus his experimentis concludit, hoc acidum cum acido aceti maximam habere conuenientiam, licet etiam in variis phaenomenis differat. e. g. cum limatura ferri cryſtallos paruas format, quas acetum ipſum nunquam ſuppeditat.

p. 46. 6. *Deſcriptio multitudinis inſignis formicarum congregatarum, quae auroram borealem referebat.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Sub initium autumni 1749, in variis locis, ad Hauelam fluuium ſitis, plantas et lapides diſquirens Cl. Auctor, die 4 Sept. calido et ſereno coelo, ſparſim nubibus tecto, hora quinta pomeridiana, euronoto flante, ex pago Wagenitz in vicina prata excurrens, loco ſatis humido, copioſis ſalicibus referto, inter orientalem et ſeptentrionalem plagam, columnas fumi inſtar partim ex ſylua partim ex nubibus horizonti proximis, ut videbatur, eleuari conſpexit, quae motu celeri hinc inde quidem agitabantur, ſed potiſſimum aſcendebant, et aurorae

boreali

boreali ferme ſimiles apparebant. Columnarum numerus primum indefinitus erat, pluribus tamen diſcuſſis nouendecim remanebant, uti in icone appoſita delineantur, tandem, antequam prorſus euaneſcerent, tres tantum diu ſuperfuerunt. Hae columnae ab inferiore ad ſuperiorem usque partem, aequalis ubique, ſcilicet duorum circiter pedum erant diametri, et licet vento quaſi agitarentur, regularis tamen figura non mutabatur. Rete quaſi tenue referebant et quo magis obſeruator ad illas accederet, eo magis obſcurae euadebant, et praeter ea motum quendam inteſtinum oſtendebant. Phaenomenon nunc amplius deſcriptum congregatae et in columnas diſpoſitae formicae producebant, et uti res vulgaris omnino et ubique obuia iudicatur, nubes integras culicum per prata errare et aerem obſcuriorem reddere, ſic diſpoſitio in columnas regulares res noua et obſeruatu digna in congregatis formicis apparet. Formicas ad ſpeciem paruarum nigrarum reducit, quae oeconomis moleſtae in aceruis terrae in pratis eleuatis nidulantur et germanice *Biſmiere* dicuntur, nomine tamen vix ubique recepto. In aceruis ipſis praeter has paruas, alatas, quae columnas conſtituebant et mares ſunt, maiores muſcis ſimiles, feminini ſexus, reperiuntur, quae tamen non ſimul cum prioribus in columnis vagari conſpiciebantur. Non potuit tamen haec cuncta accuratius definire Cl. Auctor, ſed dubius fuit, an femellae forſan altiora petierint loca, vel prioribus parcius immiſtae fuerint. Si enim utriusque ſexus formicae in his columnis eleuarentur, affirmare haud dubitaret, examina iuniorum formicarum, quae ob anguſtiam veteris domicilii nouos aceruos quaerere coguntur, tempus hoc aptiſſimum ad mutationem loci eligere. Tandem in his tractibus terrae pinguis, nigrae et paludoſae, continuis ferme inundationibus obnoxiae, magnam copiam horum inſectorum generari poſſe declarat.

7. *Com-*

p. 56. 7. *Commentarius exponens quosdam lapides, qui ſtratificatione cum carbonibus et calcinatione facta ita mutantur, ut facultatem acquirant, qua lumini ad breue tempus expoſiti, paulo poſt in locum obſcurum deducti, flammae ſplendorem exhibent.* Auctore Dn. MARGGRAF. Lapis bononienſis, ponderoſus, friabilis et fragilis, diffractus ſplendorem de ſe ſpargit, nec crudus nec calcinatus cum acidis efferueſcit, calefactus quodam modo in tenebris lucet, leuiter calcinatus paululum ſubſidet et colorem non mutat, niſi ferri particeps ſit, albus enim manet et luminoſus. Praecipua vero huius lapidis affectio in eo conſiſtit, ut cum carbonibus ſtratificatus et calcinatus, poſtquam iterum refriguit, lumen corporum luminoſorum vel illuminatorum quaſi attrahat, et ita in tenebris ignem carbonum accenſorum quodam modo referat. Sollicite itaque in methodum praeparationis, A POTERIO, MENTZELIO, MARSIGLIO et LEMERY adhibitam, inquirit, et cum in illis obſcura quaedam inueniat, ſuam accurate exponit. Furnum quidem, quem LEMERY deſcripſit, huic operationi conuenire aſſerit, ita tamen, ut paulo maior ſit, et pracipue craticulam habeat ſatis amplam, quo aeris acceſſus ignis vim augeat. Methodus MARSIGLII et LEMERY, qui lapides integros cruſta abraſa noua denuo cruſta ex lapidis puluere facta, obducunt, eidem diſplicet, praefert ideo POTERII et MENTZELII praeparationem, qui lapidem, in pollinem redactum, in paſtam cum aqua factam cogunt, et in ſtrata diſponunt. Optimum lapidem bononienſem eligunt, qui ponderoſum et facile in laminas ſecedentem ſumunt, eumque calcinatum in pollinem redigunt, et cum aqua, in qua tragacantha ſoluta fuit, in paſtam ſubigunt, ex qua placentae formantur cuiuslibet figurae, ſed craſſitiem dorſi cultri vix ſuperantes, quae optime exſiccentur. Furno, prunis inſtructo, ſtratum carbonum, magnitudine

p. 59. (margin note beside "ra quaedam inueniat")

dine circiter nucis iuglandis ad tres quartas furni imponatur et paulo poſt lapis, modo antea deſcripto praeparatus, immittatur, quo facto, operculo furni adaptato, ignis accendatur. Maſſa calcinata, in craticulam ſubſidens, a cineribus purgetur, haec quidem grauem ſulphuris odorem ſparget, et, ſi per aliquot minuta temporis luci fuerit expoſita, in tenebras delata, inſtar carbonum accenſarum lucebit, licet et interdum albo, interdum coeruleſcente ſplendore conſpicua ſit. Iterata calcinatio, vel ſimili modo, vel in furno docimaſtico inſtituta, ſplendorem auget. Inſignis itaque mutatio in lapide deſcripto obſeruatur, color albus nunquam ſubſiſtit, ſed mixtus in primis ex luteo et rubro oritur, ſulphurisque odor producitur, in pollinem redactus cum acidis efferueſcit, et, quod praecipuum eſt, lucem attrahit, quae quidem mutationes omnes per phlogiſton carbonum introductae eſſe videntur. Subiungit itaque varia experimenta, quibus demonſtrat, contactum carbonum et liberum aeris acceſſum ſumme eſſe neceſſarium. Cum etiam admixta, in primis gypſea terra, lapides bononienſes ſaepius ad experimenta ineptos reddant, in Germania ſimiles et forte meliores inuenit lapides, de quibus varia nunc exponit. WALLERIVS in Mineralogia ſua annotauerat, p. 64. omnes marmoris ſpecies et calcis etiam gypſique lapides poſt crebram calcinationem lucem de ſe ſpargere, cui tamen experientiae contradicit Cl. Auctor, et amplum catalogum corporum mineralium, quoad indolem cum his lapidibus conuenientium, adducit, cum quibus experimenta ſine omni ſucceſſu inſtituit, paulo poſt tamen non nullos lapides recenſet, cum quibus ex voto ſucceſſerunt tentamina. Sunt vero in primis ſpathi fuſilis ponderoſi ſpecies, eae praeſertim, quae lamellatae inueniuntur. Colore variant hi lapides, ita, ut vel lactei ſint, vel in rubrum, luteum et gryſeum vergant, oſtendit tamen, quo mo-

do in variis experimentum ſupra commemoratum ſucceſſerit. Prae ceteris vero ſpathum fuſile candidiſſimum ſaxonicum, ex tractu *Halsbrücke* prope Freybergam erutum, effectum praeſtat, quam ob rem etiam illud luminoſum appellat. Addi quoque poſſet lapis ſpecularis Germaniae ſiue glacies mariae. Vti vero lapis bononienſis hanc facultatem lumen attrahendi perdit, ſi diu aeri exponitur, ſic quoque idem in lapidibus Germaniae accidit; ſuadet itaque Auctor fragmenta in vitro hermetice ſigillato aſſeruare, quo in caſu quoque odor ſulphuris minime moleſtus eſt. Tandem ulteriorem diſquiſitionem chemicam huius lapidis promittit, quo effectus demum ex mixtione pateant. Id ſaltim addit, non opus eſſe lapidem luci exponere, ut phaenomenon hocce edat, ſed, ſi in conclaui obſcuro fornaci calido imponatur, calorem eundem, quem lucis radii producunt, praeſtare effectum.

p. 71. 8. *Commentarius de arte excludendi pullos, teſtis ouorum apertis.* Auctore Cl. BEGVELIN. Eiusdem experimenti, cuius rationem hic loci reddit Cl. Auctor, iam alibi * ſatis fuſam dedimus deſcriptionem, quam ob cauſam lectores noſtros, ut illam relegant, rogatos cupimus, ea nunc ſaltem adnotaturi, quae tum a nobis vel omiſſa fuere, vel in praeſenti diſſertatione, quae magnam certe quidem partem eadem eſt ac illa, iisdemque fere verbis exarata, nunc nouiter adiecta, et prae reliquis notatu digna et neceſſaria inuenimus. Duplici machinam, experimento deſtinatam, conſtare cylindro, quorum unus alteri immiſſus eſt, iam tum diximus. Cum interioris autem altitudo ſeptem modo ſit pollicum, exterioris vero nouem, illius fundus, mediantibus aliquot columnis, duos pollices altis, huius baſi innititur, quo ſit, ut utriusque ſuperiores extremitates aequali altitu-

* Vid. Horum Comment. Vol. I. P. I. No. XXVIII. p. 142.

altitudine ſibi iungantur. Vt aqua commode emitti, et alia denuo infundi poſſit, epiſtomium proxime a fundo machinae applicandum, eique etiam, praeſertim vero ferruminatis eius partibus, ad arcendam ferruginem, vernicem cum oleo probe illiniendam ſuadet Cl. Auctor. Quatuor ouorum ordines, p. 72.
quorum ſinguli eorum centum continent, machina recipit, ea vero, quae primum excludi debent, ſupremum locum occupent. Caloris gradum in ther- p. 73.
mometris ſecundum methodum, quam propoſuit Cl. REAVMVR, determinando ſemper inuenit, quod bini gradus cum quarta unius parte in thermometro Fahrenheitiano fere aequales ſint uni ſingulo gradui illius, quod a REAVMVRIO nomen accepit. Vt thermometra in quolibet machinae loco commode collocare, eorumque globos, ad iuſtum caloris gradum ſemper eundem exacte obſeruandum, proxime p. 74.
ad ipſius machinae fundum ponere poſſet, ea depromſit a ſuis ſcalis, poſteaquam gradum nonageſimum ſextum, ducto circa ipſum tubum circulo nigro, determinauerat, reliquis etiam illo iam dicto inferioribus gradibus in eo per puncta, ex atramento facta, adnotatis. Teſtae partem in maiori ſemper extremitate, quae, dum in machina reconditur, ſuperior eſſe debet, abſtulit, germine tum ſua ſponte, quum albuminis aliquid effluere ſiuiſſet, in conſpectum prodeunte; apertura autem in ſpatio, quod inter utramque extremitatem eſt, facta, experimentum propter illius iterum exacte occludendae difficultatem ſemper irritum fuit. Sequuntur nunc ea, quae in ſeptem ouis obſeruauit Cl. Auctor. Tres priores obſeruationes in libro ſupra iam citato enarrauit, illo tamen commentario, uti videtur, ante ad bibliopolam transmiſſo, quam ipſas obſeruationes ad finem perduxerat. Ex earum prima adhuc adnotamus, quod die incubatus decimo ſeptimo, poſt- p. 79.
quam omne fere albumen conſumtum, et nouum ex

alio ouo iam cubato per vitreum tubulum fuerat immiſſum, pullus ipſe ex peregrino hoc albumine nutrimentum capiendo ulterius creuerit, altero autem die poſt ab eo nouiter et nimia forſan quantitate af-
p. 77. fuſo, exſpirauerit. In quarto ouo poſt diem tertium ſua ſponte, ſine praegreſſa albuminis emiſſione,
p. 81. ſitum horizontalem acquiſiuit germen; nec a vero alienum eſſe putat Cl. Auctor, quod forſan id ſemper ita fieri queat. Expertu res erit facilis, neque tum is labor neceſſarius, quo albumen ex ouo emit-
p. 77. tatur. In quinto, quod obſeruationi dicatum fuerat, ouo germen omnium optime obſeruari poterat. Album ab initio circulum unius et dimidiae lineae repraeſentabat illud, per quem medium ducta conſpiciebatur alba ſtria, quae ſine omni dubio ipſum erat animalculum, quod die quarto poſt incipientis vitae ſigna dabat, vaſis, atque cordis motu, conſpicuis factis. Inſignis omnino utilitatis experimenta eo modo facta eſſe poſſunt, licet in iis, quae iam enarrantur a Cl. Auctore, omnes pulli ob aerem admiſſum iam ante fuerint corrupti, quam aetatis ſuae terminum attingere potuerint. Per duas tamen ad minimum ſeptimanas, teſta eius iam aperta facta, viuere poteſt, quod temporis ſpatium ad obſeruandam ipſius pulli conformationem et euolutionem ſatis ſuperque ſufficit. In duplicem, eamque ſatis curioſam coniecturam ſub diſſertationis finem Cl. Auctor incidit, quarum una eſt: nonne primis incubationis diebus, vel adhuc ante hanc ipſam, omne albumen, quod ſine dubio ipſius animalculi formando corpori inſeruire exiſtimat, emitti, eiusque loco albumen ex alio ouo vel eiusdem vel alius quoque generis ſubſtitui, atque ex euentu, qualis demum cunque ſit, praeter alias hinc inde expectandas utilitates, ea in primis quaeſtio dirimi queat: num germen iam ante, quam cubatum fuerit, an vero poſtea, organis inſtructum ſit? Altera meditatio

con-

concernit uſum, quem machina illa experimentis hiſce apta, aliis, praeſertim medicis, praeſtare poſſit. Nonne nimirum, cum caloris ille gradus ad oua excludenda neceſſarius idem fere ſit, ac ille, quem ventriculo humano ineſſe conſtat, variae inſtitui queant obſeruationes de alimentis, quae aſſumimus, quo modo, quo tempore mutentur, quid iis accidat, ſi varia inter ſe miſceantur, et id genus alia.

9. *Obſeruatio anatomica de nodo, ſiue ganglio ſecun-* p. 84.
di rami quinti paris neruorum cerebri, recens detecto. Accedit examen phyſiologicum de vera gangliorum neruoſorum utilitate, Auctore MECKELIO. Cl. Auctor, qui inter eos, qui difficilem nerui quinti paris cerebri diſquiſitionem inſtituerunt, accuratiſſime de illo commentatus eſt, pro eo, quo tenetur, ſtudii anatomici amore ſummo, ſaepius ſuas repetens obſeruationes, in huius ipſius nerui hiſtoria nunc quaedam addenda eſſe deprehendit, ab aliis in uniuerſum praeteruiſa. Nos praetermiſſis iis, quae de ramificationibus ſecundi rami huius nerui denuo proponit, utpote quae maximam partem cum illis, in diſſertatione, de quinto pari neruorum cerebri, ante quatuor, et quod excurrit, annos Gottingae propoſita, conueniunt, noui tantum ganglii deſcriptionem conſideramus. Continetur illud ad oſſium maxillae ſuperioris eum locum, ubi nerui intercoſtalis radix, naſales palatinique nerui, ſecundi rami
quinti paris neruorum propagines prodeunt. Si- p. 86
tum nimirum eſt in fiſſura vel foſſa anguſta, quae os maxillare ſuperius et pterygoideos ſphenoidei oſſis proceſſus intercedit, molli pinguedine obuolutum, prope foramen ſphenopalatinum, unde Auctor ipſi *ganglii ſphenopalatini* nomen impoſuit. Rubicundum illud eſt, duriuſculum, triangularis vel cordiformis figurae, exterius conuexum, interius

magis planum. Inde autem eſt, ut neruorum naſalium ſuperiorum anteriorum et palatinorum origines, olim ex Vidiano neruo, quem WINSLOVIVS ſphenopalatinum vocat, deductas, nunc ſimul cum hoc ex nouiter detecto ganglio prouenire conſtet, id, quod ex addita huic commentationi icone clare intelligitur. Sed, cum ganglia neruorum plura ſint, nec non in quinto hocce pare praeter nunc recenſitum, Cl. MECKELIVS aliud, *maxillare* nempe, ex linguali tertii rami quinti paris ramo, in ſupra adducta diſſertatione deſcripſiſſet, iure quodam videtur in veram gangliorum naturam inquiſiuiſſe, quippe de qua plura huc usque diſputata ſunt. Refutatis itaque aliorum de gangliis ſententiis, triplicem iis adſcribendam eſſe utilitatem coniicit, exemplisque adductis probat: ut minor ſcilicet neruus in plures diuidatur ramos, ut deinde ob variatam directionem in eas, cui deſtinati ſunt, partes commode deueniant, utque tandem plures minores nerui in unum colligantur maiorem. Priorem certe et
p. 92. primariam utilitatem admodum conſpicuam reddit ganglion nerui intercoſtalis ſemilunare, quod ex tenuibus ſplanchnicis neruis exortum, copioſiores emittit ramos, ut ea, quae de cardiacis, ophthalmicis, meſaraicis, maxillari et nouo ſphenopalatino, gangliis demonſtrantur, nunc taceamus. Inde tamen non conſequitur, ut noui in gangliis naſcantur nerui, ſed cum nemo fere dubitet, unum quemque neruum ex ſubtiliſſimis conflari tubulis, ipſi horum, in ganglion intrantium, neruorum, et deponentium eam, qua circumuoluuntur, duram matrem, tubuli a ſe inuicem ſeparantur, rubicundaque ganglii membrana inueſtiuntur. Procedunt enim ex ganglio plures, quam intrauerant, ramuli, firmum praebentes pro corroboranda ſententia teſtimonium. Qui tamen, teneri admodum redditi, duraque matre deſtituti, medullares tubuli, ſuis

obeundis

obeundis actionibus ob mollitiem impares, aliud inuolucrum recipiunt, quod ex gangliis prouenit, quippe quae ex celluloſa, denſa, multisque vaſculis inſtructa ſubſtantia conſtant, ex quibus quidem vaſculis in celluloſam telam ſecerni ſpiſſius fluidum aſſerit Cl. Auctor, quod concretum mollem ipſis exterioremque largiatur tunicam. p. 94 Altera deinde, in ramorum diſtributione obſeruanda, utilitas ſponte ſua pateſcit, quod acuti illi anguli, quibus reliqui a truncis ſuis ſine gangliis ſecedunt nerui, eorum ad omnes fere plagas directionem reddunt difficillimam. p. 97. Hinc ſimul, quare non omnes ganglia obtinuerint nerui, intelligitur, quoniam illis potiſſimum, qui muſculis mouendis inſeruiunt, durior, ad ſuſtinendos varios impetus, danda erat membrana, qua omnes, ab irritatione aut compreſſione extraordinaria liberi, ut acuſticus, nerui deſtituuntur. Tandem et ganglia, quae magis ſimplicia eſſe videntur Auctori, minores uniendo ramuſculos maiorem conſtituunt, quod vertebralium confirmant ganglia neruorum. Spinalis namque medulla, ex cerebri cerebellique pedunculis enata, hac ratione utriusque viſceris neruulos commode iungit.

10. *Exercitatio de artificiali foecundatione cum palmae ſpecie, quae dactylifera folio flabelliformi dicitur, tentata.* Auctore D. GLEDITSCH. p. 103. Ad differentiam ſexus, in plantis declaratam et noſtro tempore pluribus experientiis comprobatam, attentus Cl. Auctor, in arboribus, potiſſimum exoticis, noua ſuſcepit experimenta, quo veritatem hanc omni exceptione maiorem redderet. Praeter terebinthum et lentiſcum elegit palmam dactyliferam, foliis flabelliformibus, quae chamaeriphes, vel nouo nomine a LINNAEO diſtincta, chamaerops appellatur. Viret Berolini in horto botanico planta femina, quae forte iam annum octuageſimum attigit, haec flores femi-

feminas, ſine fructu tamen marceſcentes, ſemper obtulit; anno vero 1749 ſpatham floridam ex planta mare, quae in horto lipſienſi Boſiano quotannis floret, obtinuit Cl. Auctor, et licet puluis iam explosus maximam partem in charta, qua ſpatha obuoluebatur, haereret, et planta femina berolinenſis flores plures marcidos, paucos adhuc florentes oſtenderet, nihilo minus tamen puluere aſperſo foecundatio celebrata fuit, ita, ut fructus per hyemem quodam modo increſcerent, vere autem 1750 ita eſſent perfecti, ut terrae commiſſi euoluerentur et in nouam plantulam exſurgerent. Anno 1750 experimentum denuo inſtitutum ita ex voto ſucceſſit, ut ſpatham, fructibus maturis onuſtam, examini ſocietatis ſcientiarum offerre potuerit. Ex eo, quod in ultimo experimento flores mares, humido muſco inuoluti, ferme corrupti et putridi fuerint, effectum tamen foecundationis praeſtiterint, concludit Cl. Auctor, globulos pulueris, cuticula quadam inueſtitos eſſe, quae in aere humido non dehiſcit, ſed ſicco tandem aere admiſſo partem foecundantem ſubtilem dimittit.

p. 109. II. *Syſtema plantarum in conſideratione ſitus et nexus ſtaminum fundatum.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Quatuor partes floris, duas eſſentiales, ſtamina ſcilicet et piſtillum, et duas accidentales, calycem et corollam, quae inuoluentes dici poſſunt, in methodo plantarum elaboranda attendendas eſſe monet Cl. Auctor, et ſimul oſtendit, ſingulas has partes, ratione ſpeciei, (eſpece *) figurae, numeri, ſitus et propor-

* Vocabulum ſpeciei in latina, ex qua in gallicam tradučta eſt linguam, elaboratione non uſum fuiſſe Auctorem ſuſpicamur, quippe quod differentiam conſtituere non videtur, ex gallico enim vocabulo mentem Auctoris non intelligere potuimus.

proportionis conſiderari poſſe. Singulas floris partes ad normam quinque adductarum affectionum ideo examinauit, et ita viginti quaſi ſyſtemata botanica, in tabulas diſpoſita, delineauit. Omnia haec ſyſtemata ſunt artificialia, naturae vero in omnibus reſpondens nondum detectum fuit, licet botanici, qui tot diuerſa ſyſtemata attente perquirunt, aliquam et naturalem plantarum eſſe affinitatem cognoſcant. Ex omnibus vero his ſyſtematibus methodum, a ſitu deſumtam, ſibi elegit, ita ut ſtamina, quatenus reliquis partibus adhaerent, conſideret; cum autem ſtamina, tanquam quartam floris partem e numero eximeret, hunc defectum ut ſuppleat, omnesque ſtaminum adhaerendi modos exponat, thalamum ut quartam partem ſubſtituit, et poſtquam in uniuerſum plantas flore conſpicuo et non conſpicuo diſtinxit, in conſpicuis floribus quatuor claſſes exhibuit, ſcilicet *thalamoſtemones*, ſi ſtamina thalamo, *petaloſtemones*, ſi eadem corollae aut nectario, *calyciſtemones*, ſi calyci, *ſtyloſtemones*, ſi piſtillo adhaerent. Prima et ſecunda claſſis ampliſſimae ſunt, tertia, a prima diſtincta, paucis generibus, quarta pauciſſimis conſtat. Stamina, ut partes eſſentiales, ſemper praeſentes eſſe nemo dubitat, et ſitum eorum in reliquis plantae partibus certiores characteres exhibere, quam numerum, figuram et proportionem, Auctor aſſumit, et variis additis animaduerſionibus ulterius comprobare annititur. Alterum diuiſionis fundamentum, quod ordines conſtituit, ſtaminibus aliqua in parte coalitis aut ſeparatis inhaeret, et ad genera inferiora progrediens, in ſectionibus flores in apetalos et corollatos, et porro in epicarpios et hypocarpios diſtinguit. In ſecunda claſſe, quae ſtaminum ad petala adhaeſionem declarat, diſtinctionem in flores apetalos et corollatos aſſumere non potuit, itaque poſt diuiſionem in ſtamina coalita et ſeparata praemiſſam, in ſectionibus flores ſimplices, regulares et

irregulares, nec non aggregatos deſcribit. In altera methodi parte, quae flores vix conſpicuos, hoc eſt, vel prorſus latentes, vel ob exiguitatem vix diiudicandos offert, in altera claſſe filices, muſcos, algas, fungos et lithophyta, tanquam quinque ordi-
p. 121. nes, exhibet. Ampliſſimam ſubiunxit delineationem methodi, in qua plurima genera huc usque cognita ſyſtematice diſpoſita deprehendimus, nos vero eandem hic exponere vix poſſumus, ſed potius expectamus ſcripta illa botanica, quae Auctor promittit, in quibus uſum et dignitatem huius methodi declarabit, quae certe, in primis, ſi generum inferiorum limites accuratius definiantur, nobis erunt acceptiſſima.

V.

D. IOHANNIS HENRICI POTT *Fortſetzung derer chymiſchen Vnterſuchungen, welche von der* Lithogeognoſie, *oder der Erkenntniß und Bearbeitung der Steine und Erden ſpecieller handeln. Berlin und Potsdamm bey Chriſtian Friedrich Voß.* 1751. 4. pl. 15.

hoc eſt.

D. IOHANNIS HENRICI POTT, Continuatio diſquiſitionum chemicarum ad lithogeognoſiam ſpectantium etc.

Lithogeognoſiam iam anno 1746 ſtudioſe explicauerat Cl. Auctor, cum de lapidibus terrisque ex chemicis experimentis diiudicandis, ordinandisque in accurate ſatis elaborato libello ageret, nunc vero, per continuata experimenta edoctus, in ea illuſtranda pergit, et in praefatione ſtatim oſtendit, non niſi via chemica terras et lapides diſquirendos et in ſuas claſſes diſponendos eſſe, obiectiones primarias,

marias, contra hanc ſententiam probatas, de impuritate corporum foſſilium difficile corrigenda, et de debito ignis gradu, in chemicis operationibus non accurate ſatis definiendo, omnibus modis remouere conatur. Illam tamen differentiam, ob quam externum corporum habitum ad hiſtoriae naturalis leges, mixtionem vero eorundem per experimenta chemico phyſica, examinamus et diiudicamus, nec hic loci tetigit, neque eandem prorſus reiicere poterit. Quae enim reliquis naturae regnis ordinandis felici cum ſucceſſu applicata fuit regula, in minerali quoque regno adhibenda erit. Verum equidem eſt, quod organica partium ſtructura in animalibus ac vegetabilibus longe euidentius conſpiciatur, quam in mineralibus, tamen haec etiam corpora ratione externae partium diſpoſitionis diuerſa omnino deprehenduntur. Et licet methodus, in hiſtoria naturali huc usque aſſumta, quibusdam fallaciis obnoxia ſit, ea certe ulterius elaborata ad maiorem perfectionis gradum deduci tandem poterit: ipſam praeter ea viam chemicam, ab Auctore adeo laudatam, a fallaciis non prorſus liberam eſſe, varia oſtendunt phaenomena, quae in hoc ipſo ſcripto Cl. Auctor pro ſuo candore notauit.

Dum ipſam tractationem ingreditur, animaduerſiones in iudicia recentiorum, de natura et ordine terrarum et lapidum, ſe tradere velle monet, ea nimirum, quae in prima parte lithogeognoſiae propoſuerat, defendit, et ulterius illuſtrat, hinc varias, in ſcriptis HENCKELII, LINNAEI, WALLERII, LVDWIGII aliorumque reperiundas, ſententias emendare ſuſcipit, in primis vero Cl. WOLTERSDORFF ſyſtema minerale * ſub examen vocat, ex eo potiſſi- p. 1.

* Syſtema minerale, in quo regni mineralis producta omnia ſyſtematice, per claſſes, ordines, genera et ſpecies proponuntur, Auctore IOHANN LVCAS

potiſſimum, quod ille methodi fundamenta ex noſtri ſcriptis deſumſerit, auctorem vero ipſum vix nominauerit, alia praeter ea non accurate ſatis diſpoſuerit, quae in hoc libello rectius ordinare et emendare
p. 8. ſuſcipit Cl. POTT. In terris argilloſis recenſendis terram, ex qua lateres coquuntur, ille neglexit; differt vero illa a limo, quod ſit argilla rubra, ſabulo, terra calcarea et martiali ditata. Porro inter easdem terras relatum lac lunae et nihil album natiuum omnino ad calcareas terras transferendum eſſe mo-
p. 28. net. Haec et alia plura de terris argillaceis, de lapidibus ſilicinis, (*kieſeligte Steine*) quos alias vitreſci-
p. 49. biles dixerat, apponit, argillaceos poſtea lapides ſub
p. 57. examen vocat, ſimili deinde modo gypſeos, calcareos et metallicos lapides diſquirit et de ſalibus pauca addit. Dum igitur animaduerſiones ſuas in WOLTERSDORFII in primis libellum proponit Cl. Auctor, varia lectu digna iis immiſcet, quae vero fuſius hic loci recenſeri non poſſunt, exinde, quod illa vix ſatis intelligi queant, niſi quis et primam lithogeognoſiae partem, et WOLTERSDORFII libellum ſimul ad manus habeat et cuncta inter ſe comparet. Ne vero libellum omni laude et commendatione dignum in genere tantum conſideratum ſiſtamus, adiectos de ſteatite (*Speckſtein*) talco et topaſo ſaxonico commentarios paululum adumbrare allaborabimus.

p. 79. In diſquiſitione chemica lapidis, qui veteribus forte ſteatites, germanis *Speckſtein*, ſiue, ſi ad terras ille magis accedit, creta hiſpanica appellatur, PLINII BOOTII et ALDROVANDI ſententias prae reliquis exponit, et galactitidem et melititidem veterum eo reducit; Smectidem HIPPOCRATIS de terra molli argillacea potius, quam de hocce lapide, aſſumi debere monet; morochtum vero veterum huc forte pertinere concedit, licet plerosque auctores

WOLTERSDORF. latine et germanice. Berolini 1748. 4.

res eum ad lac lunae retuliſſe negandum non ſit.
Gemmahu ſiue gemma huia, quae vox ſinenſis ori-
ginis eſt, cum in illa regione hoc naturae produ-
ctum copioſius eruatur, et ad varia utenſilia adhi-
beatur, ad noſtrum lapidem reduci poſſe, a vero tam
prope abeſt, ut nomen *Speckſtein* his potiſſimum arte-
factis, ex China plerumque allatis, nunc imponatur.
Lapides ſimiles, in Europa effoſſi, lapidis ollaris
ſiue lapidis lebetum (*Topfſtein*) nomine veniunt,
licet hic cum lapide oſtracite veterum, qui lamella-
tus erat, confundi non debeat, neque lapis tophus,
qui *Tuffſtein* dicendus eſt, ullo modo huc reduci
poſſit. Eruitur vero lapis ſteatites in variis Helue-
tiae, Angliae, Norwegiae, Sueciae et Germaniae
locis. His, quae hiſtoriam eius concernunt, prae- p. 89.
miſſis, deſcriptionem accuratam addit Cl. Auctor,
quod ſcilicet ſit lapis mollis, tactu lubricus et ſapo-
naceus, haud adeo ponderoſus, plus minus pellu-
cidus, qui inſtrumentis ferreis tractari et in varias
formas redigi poſſit, colore variet, et inter terras
et lapides quaſi ambigat, ita ut interdum lapis mol-
lior, interdum terra durior dici mereatur. Illi dein-
de ſcriptores, qui ad cotis, ſchiſti, alabaſtri vel
chalcedonii genus eum retulerunt, examinantur et
refelluntur, ſimulque vocabulum lapidis apyri, quo
poſt BROEMELIVM uſus eſt LINNAEVS, ipſi tri-
buendum non eſſe ex eo euincitur, quoniam omnes
ferme lapides albi, ſimplices, quibus nihil metallici
admixtum eſt, igne communi non funduntur. Au-
ctor itaque hoc ipſum lapidis genus ad argillaceos
refert, quippe qui glutine quodam modo deſtituti
ſint, ex qua data deſcriptione lapides omnes, qui
cultro vel arte tornatoria figurari poſſunt, tactu pin-
gues ſunt et in igne indureſcunt, ad ſteatitem Aucto-
ris referendos eſſe apparet. Huc itaque ſuo modo
ſpectat lapis ſerpentinus dictus et lapis nephriticus,
quem veteres ad iaſpidis genus retulerunt, cuius ni-

mirum

mirum viridis color a cupro admixto dependet, rubrica ex ſimili ferreis particulis ditata terra oritur.
p. 92. Varia dictis ſubiungit experimenta chemica, quibus ſententiam ſuam confirmat, quae tamen breuiter indicari a nobis non poſſunt.

p. 98. Ad talcum progreditur Auctor, et paucis de nomine praemiſſis, lapidem pinguem, mollem, colore ſplendente margaritarum praeditum, in lamellas facile findendum, ferme pellucidum, tactu lubricum, et quoad ſubſtantiam tenacem, ita ut in pollinem ſubtiliſſimum redigi vix queat, eo nomine inſigniendum eſſe docet. Igni vehementiſſimo hic lapis reſiſtit, nec ab acidis, neque ab alcalinis menſtruis ſoluitur. Examinat deinde eas proprietates, ob quas a ſchiſto, lapide ſpeculari, lapide ollari et ſpatho calcareo ille differt, ſimulque monet, ſe ad experimenta, licet variis in Europae locis effodiatur talcum, non niſi moſcouiticum adhibuiſſe. Aſſerta quorundam auctorum, quod nimirum talcum per varia menſtrua mutari, et in mediocri igne calcinari
p. 104. poſſit, ex eo aſſumenda non eſſe putat, quod non niſi cum ſalibus tractatum talcum, vitreſcibilem indolem acquirat; talcum enim, praeter alia cum dimidia parte alcali puri demum tentatum, vitrum denſum ſed minus pellucidum exhibuit. HENCKELIO ideoque non concedit, talcum inter induratas argillas ſiue margas referri poſſe, cum illud in igne per ſe prorſus non induretur, pleraque potius experimenta terram prodant ſilicinam, cui forte pauxillum terrae gypſeae admixtum ſit. Recenſet in huius rei demonſtrationem experimenta cum arſenico fixo, borace et variis vitris inſtituta; cum terris nonnullis calcareis, gypſeis et argillaceis vitrificatio quidem non ſucceſſit, in quibusdam tamen, ubi boracem addidit, experimentis vitra quoque obtinuit. Varia tandem corpora metallica et ſemimetallica

cum

cum talco remixta tentauit, et inde quoque ſuae ſententiae maius robur acceſſiſſe perſpexit.

Accedit ultimo loco ad examen topaſi ſaxonici et p. 112. quaedam experimenta ad imitationem eorum, quae HENCKELIVS in libello de origine lapidum propoſuit, inſtituta enumerat, cum vero topaſus ſaxonicus ob inſignem duritiem difficulter in pollinem comminui queat, non niſi calcinatum eundem ad experimenta adhibuit. Alcali fixum, decupla etiam portione additum, maſſam tamen vix fluidam reddidit, aequales tamen alcali, boracis et topaſi partes vehementiſſimo igne agitatae fluunt, et album colorem obtinent; alia contra ſalia cum topaſo mixta absque borace vitrum non dederunt. His tandem alia experimenta ſubiungit, cum vitro antimonii aliisque corporibus mineralibus inſtituta, et modum hac ratione declarat, quo lapides pretioſi igne chemico diſquirendi ſunt.

VI.

Obſeruationes de morbis quibusdam ſingularibus *.

Qui in ARETAEVM primo annotationes quasdam transmittere promiſerat Cl. Auctor, de CAELIO quoque AVRELIANO dicturum ſe eſſe aſſeuerans, has obſeruationes, ut ſpecimen, nunc exhibere videtur. Mirandum ſane, quod in veteribus hiſce ſcriptoribus, qui diagnoſtica morborum ſigna optime nobis tradiderunt, ample et quoad omnes ſuas proprie-

* Inſertae, quae eas continent, literae reperiuntur Diario cui titulus: *Iournal Britannique*, menſe Iunii 1751. p. 186. ad Clariſſ. MATY eius Auctorem directae. Harum obſeruationum Auctor Londinenſis, ut videtur, medicus, initiales tantum nominis ſui literas I. H. M. ipſis appoſuit.

proprietates deſcripti inueniantur orbi, qui a recentioribus non obſeruantur. Neque BOERHAAVIVS et alii, qui operam ARETAEO adhibuerunt, clariſſimi medici, per notas, ex medica ſua, qua pollebant, ſcientia depromtas, et eius modi locis ſubiectas, hancce difficultatem leuare tentarunt. His praemonitis ad ſingulares illos morbos ſeſe conuertit Cl. Auctor. Primus, quem animaduerſione dignum iudicat, eſt ille, quem ARETAEVS titulo iſto admodum ſingulari indicat: περὶ τῆς κατὰ τὴν κοιλὴν φλέβα ὀξείης νούσου. * Videtur ac ſi ex eo iam taxandus ſit ARETAEVS, quod credat ſedem huius mali in ſuperiore venae cauae, ab hepate ad cor abeunte, ramo poſitam eſſe, cum alii contra contemporanei medici, in ipſo trunco deſcendente eam quaeſiuerint **. Iam ante eum HIPPOCRATES deſcripſerat

* *De cauſſ. et ſign. acut. morb.* L. II. c. 8. edit. IO. WIGAN. Oxon. 1723. fol. p. 24.

** Si colligimus ea, quae in indicato capite inueniuntur, eam, quam ARETAEO tribuit Cl. Auctor, opinionem ipſi adſcribendam non eſſe putamus. Primo enim duplicem, utrumque tamen ex hepate deductum, uenae cauae ille deſcribit ramum, quorum unus ad cor tendat, alter vero per ſpinam ad coxas abeat. Duplicem vero hanc venam unam eandemque eſſe, inſtituto experimento addisci poſſe monet. Totam deinde et unam hanc venam omnem, acutis et vehementioribus morbis obnoxiam eſſe, contra eos urget, qui partem iuxta ſpinam poſitam tantum affici poſſe autumabant. Euincunt hunc ſenſum, nexus verborum ἥδε οὖν ἡ φλέψ κ. τ. λ. cum antecedenti illa anatomica vaſis deſcriptione, et ſubſequens exemplum ruptae venae cauae et inde obortae haemorrhagiae, quippe quam, in ſententiae ſuae demonſtrationem, in pectore aeque ac in abdomine euenire notat. Poſitis his, ad inflammationem demum, tanquam acutum, de quo ipſi dicendum erat, venae cauae affectum, deuenit ARETAEVS, et inter permulta, de quibus refert, ſigna, venae quoque palpitationem ad ilia usque continuatam recenſet, et

ſcripſerat νοῦσον μεγάλην τῶν φλεβῶν τῶν κοιλῶν * prorſus ab altero illo diuerſum; hinc rectius forte feciſſet ARETAEVS, ſi explicando HIPPOCRATI operam ſuam addixiſſet, ex eo magis adhuc ab eo recedens, quod κεδμάτων nomen haemorrhagiis, a rupta vena caua exortis, impoſuerit, quo tamen HIPPOCRATES in indicandis humorum defluxionibus ad articulos plerumque uſus eſt. Morbum ſuum ita ARETAEVS deſcribit, ut inflammari venam cauam dicat, quod tamen poſt detectam nunc circulationem ſanguinis, aeque minus ac illud, quod vena caua abinde rumpatur, non ſtatui poteſt. ** Neque hepatis inflammationem auctorem intellexiſſe putandum eſt, de ea enim in praecedenti capite iam

et magnam etiam, quae adiacet, arteriam in conſenſum trahi monet. Neque ex altero illo ARETAEI loco, *de curat. acut. morb.* L. II. c. 7. p. 119. ubi curationem huius inflammationis tradit, confici quicquam pro doctiſſ. Auctoris ſententia poſſe, putamus. Ibi enim rationem, cur febris, quae ſimul adeſt, ad ſyncopen tendat, in eo quaerendam eſſe ſtatuit, quoniam venae radix ſit iecur, arteriae autem principium cor. Exinde vero τὰ ἄνω μέρεα τῶν δὲ τῶν σπλάγχνων νοσέειν τὰ καίρια. h. e. ſuperiores nobiliorum horum viſcerum partes, ex quibus haec vaſa exſurgunt, praecipue inde affici, colligit, quoniam caloris ex corde prouentus in arteriam, et ſanguinis ex hepate affluxus in venam, per magnas, in magnis illis vaſis obortas, inflammationes, inſigniter turbari et anſa inde ſyncopi ſuppeditari poſſit.

* V. librum περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. Opp. a FOESIO Francſ. 1624. fol. edit. Sect. V. p. 541. lin. 37 ſq.

** Venas aeque ac alias partes molles inflammari poſſe, humorum potius circuitus confirmare videtur, ex eo, quod in vaſis, tunicas venarum perreptantibus, humor haerere, et inde ipſi canales inflammari queant, cf. G. VAN SWIETEN *Commentaria in* H. BOERHAAVE *Aphoriſmos &c.* ad §. 372 - 74. et I. Z. PLATNERI *Inſtitutt. Chirurgiae* p. 19 ſq.

iam expoſuerat. Aeſtum vero ſimul adeſſe refert acrem, mordacem in partibus internis, aegrum veluti comburentem, in exterioribus leuem tantum apparentem, cum frigore extremorum coniunctum. Leipyriam hanc febrem habere quis poſſet, quam ARETAEVS ex his aeque ac reliquis recenſitis ſignis ad cauſorum ſpeciem pertinere dicit, licet ſpuriae ita ut verae huius febris ſpecies, ab auctoribus ſatis accurate deſcriptae, cum hic expoſito morbo prorſus non conueniant. Ipſum eum, autumno frequentem, iunioribus in primis, & in conſiſtente aetate conſtitutis hominibus, et iis praecipue infeſtum eſſe, qui malo victu aut nimio labore extenuatum corporis habitum nacti ſunt, eos etiam, quos morbus inuaſit, plerumque decimo quarto die, vel ſi perſtiterit malum, poſt quatuor ſeptimanas e vita diſcedere, ARETAEVS obſeruauit. Data haec ſigna Cl. Auctorem eo deducunt, ut putridae febris ſpeciem hic indigitari autumet, idque eo maiori cum iure aſſumi poſſe credit, cum ARETAEVS aſſeueret, quod medicus peritus, ut in omni ardente febre, ſic tutius adhuc in cauſo, a vena caua oborto, frigidam copioſe exhibere poſſit. Nouum et illud huic ſententiae robur addit, quod medici ante HARVAEVM harum febrium cauſſam in venae cauae putredine quaeſiuerint, frigidam vero in aliis morbis ſimili modo non adhibuerint. *

Alter ille ſingularis morbus aſthmatis ſpeciem, πνευμῶδες ab ARETAEO dictam, ** concernit. Hoc in pulmone collocatum vitium, ſi in bronchiis forte haereret, tunc nominis quoque rationem exhiberet. Praeter ſigna aſthmati et huic morbo communia, ſequen-

* Addimus lactis, mellis et vegetabilium, aliorumque huius generis auxiliorum ab ARETAEO ipſo commendatum uſum, quippe qui idem illud comprobare videtur.

** *V. de cauſſ. et ſign. diut. morb.* L. 1. c. 12. p. 47.

quentia pro pathognomonicis ab Auctore traduntur: Durat malum per longum ſatis tempus, annum tamen non excedit; in verbis enim καὶ γὰρ αἰσχρὸν ἐν τὸ κακὸν, loco τὸ αἰσχρὸν, εἰς χρόνον legendum eſſe, MAITTERIVS, et recte quidem, iam annotauit; aegri deinde tuſſientes, irritum habent expectorationis conatum, vel ſi quid etiam diſcedit, paruum illud, album, rotundum et grandini non abſimile eſt. Si pulmo ipſe in ſuppurationem non abit, craſſiori tamen humore ſcatet, interualla morbi longius inter ſe diſtant. Subito ſaepius inde aegri ſuffocati pereunt. * Ex his ſimul ſumtis Cl. Auctor aſthmati ARETAEVM ea tribuere putat, quae ad tabem a plerisque auctorum referuntur. In uniuerſum vero ille hic morbus intelligendus eſſe videtur, quem, tuberculum crudum dictum, LOMMIVS atque BAGLIVIVS accurate ſatis deſcripſerunt, WILLISIVS vero atque IONSTONVS cum vomica, quae eius magis effectus eſt, confuderunt. Non improbabilem hancce ſententiam eſſe, ex eo iam patet, quod HIPPOCRATES olim pulmonum tuberculum in annum ſaepius perdurare monuerit. ** Notae praeter ea, ab ARETAEO traditae, illi quoque ſicco et conuulſiuo aſthmati inſunt, quod ETTMVLLERVS noſter, HELMONTIVM ſecutus, ſub nomine morbi caduci pulmonum deſcripſit. ***

Tertia obſeruatio ad illud caput pertinet, quod περὶ στομαχικῶν inſcribitur. **** Stomachicam paſſionem veterum, quae cardialgia plerumque cognominatur, aeque ac cardiacum morbum, ſeu ſyncopen,

Ee 2 notis

* Iungendum his eſſe putamus illud, quod de exitu ARETAEVS tradit, morbum nimirum in hydropem circa ilia, vel in anaſarcam aliquando tranſire.

** *De morbis* Lib. II. Sect. V. p. 482.

*** V. MICH. ETTMVLLERI *Opera* Frcf. 1708. fol. T. II. P. I. p. 193 ſq.

**** *De cauſſ. et ſign. diut. morb.* Lib. II. c. 6. p. 64.

notis diagnoſticis a recentioribus de his morbis traditis non recte reſpondere, in limine notat Cl. Auctor, et cum ex comparatis inter ſe ARETAEI et CAELII AVRELIANI deſcriptionibus, dicta iam pateant ſatis, ad duas tantum praecipuas, ab ARETAEO traditas prioris ex his morbi cauſſas, hic reſpicit. Prima eſt, multi puris ex ventriculo per ſtomachum effuſio, quae forte abſceſſum ruptum arguit. Deinde, eos in primis hoc morbo vexari dicit, qui ſtudiis literarum diu multumque incumbunt, hinc, ob ſcientiae diuinae deſiderium, parciori victu et vigiliis macerantur, et nihil praeter dicta factaque ſapientum curant. * Et ultima quidem haec indicata cauſſa, melancholiae potius, quam ſtomachi morbo anſam ſuppeditare videtur, qui cum ea quoque maniae ſpecie conuenit, ubi aegroti, ARETAEO teſte, ** proprium corpus lacerant, et vulnera ipſi inferunt, vana religionis perſuaſione ducti, quod diis inde magis placeant.

Agmen claudit catalepſis, fuſe inter veteres a CAELIO AVRELIANO deſcripta. *** Recentiorum plerique eam rarius obſeruandis morbis annumerant, et eam ad ſoporoſos affectus referentes, pro patho-

* Niſi quis atoniam ventriculi et inde prouenientes effectus deſcriptos hic ſubintelligere velit, cum hypochondriaco tamen malo ſymptomata pleraque, ab ARETAEO tradita, conuenire opinamur. Praeter indigitatam ſuperius puris effuſionem ex ventriculo, id etiam multum difficultatis in denominando deſcripto morbo parit, quod ARETAEVS diuturnum hunc affectum ab inflammationibus et fluxionibus oris, ventriculi morſu & ſtomachi dolore diſtinguendum eſſe moneat, quippe qui omnes ſtomachici morbi nomen ex eius ſententia non habent.

** Ibid. Lib. I. c. 6. p. 38.

*** *De morbis acut.* L. II. c. 10. p. 95 ſq. *et morb. chron.* L. II. c. 5. p. 377. edit. IO. CONR. AMMANI Amſtel. 1709. 4.

pathognomonico ſigno habent, quod aegri, ſubitaneo hoc malo affecti, eum retineant corporis ſitum, quem inuaſionis tempore habuerunt, et ipſi per ſe immobiles, ab aliis promoueri poſſint. Hic pro exſtatico etiam habitus morbus, prorſus ab ea hiſtoria differt, quam CAELIVS de eo concinnauit. Deſcribit enim ille catalepſin dictam affectionem in acutis aeque ac chronicis morbis. Qui emendando et illuſtrando CAELIO operam adhibuit AMMANVS, una cum ipſo Auctore eam ſemper acutam quidem eſſe, ex eo tamen chronicis morbis accenſeri poſſe iudicat, quod per interualla ſaepius aegrum inuadat, et a diuturna haud raro excitetur febre. Vtriusque praeter ea ſpeciei ſymptomata communia ſunt. Inter haec unicum eſt, quod in acuta catalepſi obſeruatum, cum pathognomonico recentiorum ſigno quodam modo conuenit, dicit namque CAELIVS, aegros membra neque extendere, neque flectere poſſe, cum contra in chronicae huius paſſionis hiſtoria aegros, ſi manus ipſis extendatur, illam iterum adducere, memoret. Neque rarus eſt hic Caelianus morbus, eum enim autumno plerumque inuadere, infantibus, feminis et humidioribus corporibus aeque ac iis, qui reconualeſcentes in regimine errant, frequentem eſſe, et omnis generis febribus, tertianis in primis et iis duplicatis, ſuperuenire, monet. * Haec una cum ampla phaenomenorum, quae ſimul obſeruantur, recenſione, CAELIVM ſaepius hunc morbum obſeruaſſe edocere videntur. Porro ſecundum eundem febrim plerumque ſequitur catalepſis ex ebrietate etiam, indi-

 geſtione

* Quam hic adiungit literarum Auctor differentiam, ſecundum quam grauius laborant illi, quibus ab initio torpor articulorum frigidus accedit, prae reliquis in quibus huius loco tremor inuaſionis tempore obſeruatur, ea non ad catalepſin, ſed ad febres ipſas in uniuerſum pertinere videtur.

geſtione et a copioſo perſicorum uſu non nunquam orta, quae ex recentiorum e contra ſententia ſubito ſine praegreſſo morbo hominem inuadit, et febri non nunquam ſuperueniens, non tamen eam ſemper habet comitem, ex non praeuiſis etiam rebus, et ex grauioribus ſaepius affectibus animi, aut meditatione continua naſcitur. Tradit vero CAELIVS ſigna, quae eam imminere docent, ex quibus praeter ea, quae illi cum lethargo communia ſunt, rubor genarum absque ulla febris remiſſione, ſaliuae profluuium, pulſus plenus et fortis, aluus adſtricta aut fuſa, ut praecipua notari merentur. Neque minus diagnoſtica, quae tradit, ſigna a noſtris recedunt, indicat enim aegros, hoc morbo correptos, ſupinos iacere, collum inflatum, genasque rubentes exhibere, voce deſtitui, torporem et hebetudinem ſenſuum, cum apertura palpebrarum et oculis fixis immobilibus coniunctam, pati, et haec quidem ſigna pro pathognomonicis eſſe habenda. Nihil vero de iis ſignis relatum hic inuenimus, quae tanquam propria huic morbo tribui ſupra iam diximus, inuadit potius catalepſis homines morbo iam laborantes. Euentus quoque inſigniter differt. Noſtri enim aeui medici, tertio plerumque aut quarto die aegros extingui, dicunt, CAELIVS vero, quamuis in recenſendis ſignis, quae mortem praenuntiant, copioſus admodum eſt, vitae tamen terminum definire non audet, immo, cum maculas rotundas, eleuatas, diuerſo colore praeditas, in pectore et facie apparentes, iis annumeret, catalepſin non pro peculiari cerebri morbo, ſed febris tantum ſymptomate habere videtur. Quod ſi itaque CAELIVS veram catalepſin deſcripſit, eam eius ſpeciem ignotam ipſi fuiſſe cenſendum eſt, quam recentiores ſub hoc nomine comprehendunt. Suſpicatur praeter ea Cl. Auctor CAELIVM, ita, ut alii veterum quoque fecerunt, ſimilia diuerſorum morborum ſymptomata confudiſſe.

diſſe. Cum enim permulti Auctorum, ut DODONAEVS, GALENVS, GORRAEO teſte, coma vigil et catalepſin unum idemque eſſe exiſtimauerint, PRAXAGORAS vero, ipſo CAELIO referente, cum comate ſomnolento, alii vero cum lethargo pro uno eodemque morbo habuerint, CAELIVM quoque hunc errorem commiſiſſe exinde probabile ipſi videtur, quod uterque hic morbus earundem febrium ſymptoma ſit, coma deinde vigil frequentius febribus eorum infantum ſuperueniat, qui octauum iam annum egreſſi ſunt, quod, quamuis de catalepſi affirmari non poſſit, AMMANVM tamen rigorem infantum a vehementiori animi affectu, iracundia in primis excitatum, huc retuliſſe videmus. Ipſe tandem oculus fixus, decubitus ſupinus, relaxatio maxillae, deglutitio difficilis atque aluus adſtricta, phaenomena ſunt, in utroque hoc morbo obſeruanda. Etſi vero in his Cl. Auctoris ſententiae non ſubſcribamus, cum CAELIVM noſtrum in illis ſignis tradendis ſedulum deprehendamus, quae catalepſin deſcriptam in phrenitidem atque lethargum aut declinationem tranſire docent, vel eam a lethargo, apoplexia, deliquio animi et uteri ſuffocatione diſtinguunt, optime tamen in indicandis iis, quae morbos deſcriptos veterum atque recentiorum concernunt, differentiis, eum verſatum fuiſſe intelligimus, in eo etiam cum illo conſentientes, quod veterum lectio ad cognoſcendos diſtinguendosque morbos multum omnino conferat, non obſtantibus iis, quae in eorum deſcriptionibus ſaepius occurrunt, difficultatibus.

VII.

IOH. GOTTSCH. WALLERII Chem. Metallurg. et Pharm. Prof. Reg. et Ord. Vpſal. Bref om Chemicus raetta beskaffenhet nytta och waerde Til. N. N. oeſwerhaendt och of honom til trycket befordradt. Stockholm och Vpſala hos Gottfried Kieſewetter 1751. 8. pl. 2.

hoc eſt.

I. G. WALLERII Epiſtola de vero habitu, utilitate et praeſtantia chemiae ad N. N. qui eam edi curauit. &c.

Indicem ſaltim eorum, quae chemia tractat, epiſtola haec continet, in gratiam amici ſcriptum, qui doceri ea de re deſiderauerat. Chemiam Auctor in *puram* et *applicatam* diſpeſcit ad matheſeos ſimilitudinem, ut illa de mixtione, principiis et materia corporum in genere agat, haec illis ad uſum vitae humanae utatur. Prior pars chemia phyſica appellari ſolet, pertinetque reuera ad naturae cognitionem, in eo tamen diuerſa, quod phyſicus omnia corpora generatim contempletur, et de motu illorum, viribusque agat, chemicus praecipue materiam, unde oriuntur, examinet. Ita phyſicus ferro iam praeparato utitur, chemicus geneſin ferri ex terra et phlogiſto, et quae huc pertinent, examinat. Ignem ſolum chemici inſtrumentum eſſe negat, cum praeter ſenſus in phyſica omni neceſſarios, mechanicis laboribus, preſſione, filtratione, menſtruis, praecipitantibus, reagentibus, aere, frigore, cet. utatur. Ab hiſtoria naturali chemia diſtinguitur characteribus exterioribus, qui in primis in hiſtoria naturali adhibentur, cum chemia hanc hiſtoriae naturalis notitiam

tiam ſupponat,* et nota ſint chemico corpora, circa quae verſatur, ante quam ſuo illa examini ſubiiciat. Ex his omnibus infert WALLERIVS chemiam ſcientiam eſſe, non artem, etſi operationes chemicae artem requirant.

Vt igitur, quae de phyſices utilitate in genere nota ſunt, ad chemiam etiam poſſint applicari, ita ſingulares quidam chemiae ſunt uſus, quos breuiter poſt Auctorem enumerabimus. Medica chemia in cognoſcenda materia medica, in pharmacis praeparandis, in formulis remediorum ſcribendis occupata eſt. Illis, qui negant herbarum vires igne explorari poſſe, concedit, fortiſſimo igne ex omnibus eadem fere producta obtineri, ſed prudentiori uſu adhibitisque variis enchireſibus illarum naturam exacte cognoſci oſtendit. Adde, quod differant *empirici* et *chemici*, ut illi fortuito medicamenta detegant, hi ſollicite examinatis utantur. Formulas remediorum praeſcripturum noſſe decet ex chemicis, quibus modis vires ex ſimplicibus extrahantur, ne ialappam purgandi ſcopo cum aqua praeſcribat medicus, riſum excitaturus pharmacopolae, qui nouit reſinoſum in ialappa, quod purgat, aqua extrahi non poſſe. De chemiae in phyſiologia, pathologia, et ceteris artis ſalutaris uſu lecturum ad GAVBII orationem, qua chemiae docendae munus Lugduni Batauorum adiit, ablegat.

Lapidibus applicata chemia, tum illis generatim cognoſcendis inſeruit, tum complures illorum uſus, artes complures docet. Figulus, ſi argilla utatur, cui calcarea terra vel marga immixta eſt, vaſa parabit, quae humidum ex aere attrahent, et lithargyrium ſuperinductum non retinebunt. Neque ſine

 chemiae

* Ergo fatente WALLERIO decet characteres externos mineralium inueſtigare, quod noſtri metallurgi complures infra ſe poſitum immo impoſſibile eſſe arbitrantur.

chemiae cognitione lapides poliuntur et elaborantur, calx coquitur, gypſum conficitur, gemmae ornatui aptae redduntur.

Halurgia, ſiue cognoſcendis ſalibus ſiue excoquendis et praeparandis incumbat, multum chemia indiget, hucque non culinare ſaltim ſal ſpectat, ſed varia alia pertinent, ammoniacum, cineres clauellati, ſacchari ex plantis europaeis praeparatio, et quae rurſus ex ſalibus fiunt, ut aquae fortes et ſimilia, ſapones tum vulgaris tum venetus.

Ad Theiurgiam refert, quae de igne, oleis et inflammabilibus cognoſci poſſunt. Multi etiam in vita humana uſus, ut reſinas ex lignis fundere, olea deſtillare, carbones ex ligno conficere, pulverem pyrium praeparare.

Metallurgiae pars inſignis praeter mathematicam, architectonicam, hydraulicam, minerognoſticam eſt chemica, quae in tres abit rurſus ſpecies, docimaſticam, fuſoriam, metallorum nobilitatricem, ut quae chalybem, aurichalcum, et ſimilia conficere docet. In ipſis vero metallis ad varias res, quibus homines indigemus, adhibendis rurſus chemiae uſus eſt inſignis. Sine qua campanae, aut tormenta bellica non funduntur, porcellana non conficitur, et quae huc pertinent. Olim chemiam aliam fere nullam excultam memorat Auctor, quam metallurgicam, alchemiae nomine; Cum igitur alia fere nulla notio fuerit chemiae apud maximam hominum partem, quam auarae et fallacis artis metallorum transmutatricis, aut remediorum quorundam praeparatricis, mirum non eſt, quod inſignis chemiae per omnem vitam humanam uſus ignari illam neglexerint.

VIII. *Oeco-*

VIII.

Oeconomiſche Nachrichten, zweyter Band, 13-24tes Stück, nebſt nöthigen Regiſter. Leipzig, bey Ioh. Wendler. 1751. 8. alph. 2. bog. 14.

Hoc eſt:

Aduerſaria oeconomica. P. II.

Huic demum ſeculo, prout reliquarum fere ſcientiarum omnium, ita oeconomicarum quoque videtur reſeruatum fuiſſe incrementum; quippe et noſtra hiſce temporibus Saxonia non minorem indepta eſt laudem, in excolendis iis, quae ad totius oeconomiae ambitum ſpectant, ut aliis etiam palmam dubiam reddiderit. In amplificandis itaque harum doctrinarum limitibus indefeſſam adhibuerunt operam varii, in ſocietatem coeuntes, viri, quorum coniunctis viribus inſtitutisque ſolerter obſeruationibus hae prodierunt diſquiſitiones, ope LIB. BARONIS PETRI DE HOHENTHAL publicae expoſitae luci. Coeperunt autem huius iam ſeculi anno quadrageſimo nono primas harum diquiſitionum edere particulas, quarum duodecim volumen conſtituunt, et agri potiſſimum culturam, rem pecuariam, ſyluarum, piſcinarum, cereuiſiae coquendae conſiderationem, horti denique, lupuli vitisque culturam continent et declarant. Pleraeque tamen harum diſquiſitionum nouae ſunt, non nullis licet ex aliorum, exterorum praecipue, ſcriptis deſumtis et in germanicam linguam translatis. Licet autem negandum non ſit, in explicandis ſuis capitibus ſtudioſe ſatis verſatos fuiſſe Auctores, non poſſumus tamen non notare, primo ſtatim intuitu patere, literis omnes, qui ſcripſerunt, operam non dediſſe, ut exinde etiam ordinis proponendi ratio accurate ſatis non fuerit ſeruata, et in primis, quod ad vegetabilium deſcri-

deſcriptiones attinet, eius modi et characteres et nomina appoſita deprehendantur, quae pauciſſimis tantum nota ſint. Genuina itaque et a veris botanicis aſſumta in poſterum, ſi omnium inſeruire velint utilitati, ut adhibeant, monendi ſunt. Nos, indicatis, quae in hiſce voluminibus continentur, diſquiſitionibus, de iis tantum dicemus, quae ad noſtrum facere videntur ſcopum:

p. 1. *Part. XIII. num. 1. Vlterior dilucidatio de ſecale fruteſcente ex Wallachia.* Ab initio ſtatim diuerſam a vulgari ſecale tum hyberno, tum verno, tum fruteſcente, quod vocant, ſpeciem eſſe affirmat anonymus Auctor, quod illi ad magnitudinem, et ſerendi tempus reſpicienti, concedendum quidem eſſet, niſi genuina contemplatio huius plantae unicam tantum veram ſpeciem, reliquas varietates eſſe edoceret. Id quod ipſe conuinci potuiſſet, dum et in terram ſemina profundius paullo immittenda eſſe, et pro ſoli ratione multum variare incrementum aſſerat. Differentiam huius ſecalis a reliquis iam declarare ſtuduit Vol. I. Part. II. no. 2.

p. 12. *Num. 2. De utilitate piſcinarum, et quae in iis tum exſtruendis, tum conſeruandis, piſcibusque replendis obſeruanda ſunt.* Tres piſcinarum ſpecies exſtruendas eſſe docet, diuerſae piſcium aetati accommadatas. Tandemque omnia eo redeunt, ut piſcinarum culturam non adeo fertilium agrorum culturae praeſtare, demonſtrare annitatur.

p. 72. *Num. 3. Deſcriptio recens inuenti aratri duplicati, Auctore* HERZOGIO. Generalia proponit, in conſtructione huius machinae obſeruanda.

p. 79. *Part. XIV. num. 1. Neceſſaria ad inſtruendum iuniorem oeconomum momenta, de coquenda cereuiſia.* Hic ea tantum continentur, quae ad apparatum huius pertinent negotii, nihilque de fermentatione et ſimili-

ſimilibus in coquenda cereuiſia obſeruandis monetur.

Num. 2. *Litterae* HERZOGII, iuri dicendo in praefectura Hundisburgenſi Praefecti, *quae de planta luſerne eiusque cum medica conuenientia exponunt.* Varia de hoc vegetabili in hiſce ſcriptis adducuntur, quae clare ſatis oſtendunt, nullam exoriri potuiſſe hiſce viris de vero conſtituendo genere eiusdem dubitationem, dum modo ea, quae plantarum genuinas notas oſtendunt, ipſos non fugiſſent. Colendi eam proponit methodum, et ex ſeminum cum medica conuenientia ad hoc genus pertinere concludit Auctor *. p. 128.

Num. 3. *Breuis conſideratio rei pecuariae, in primis pecorum bouini generis.* Tota eſt oeconomica. p. 133.

Num. 4. *Epiſtola de eſparcette.* Huius plantae, quae onobrychis botanicis dicitur, ſerendi modus declaratur. p. 145.

Num. 5. *Epiſtola, quae modum docet, vitulum anglica, quam vocant, ratione nutriendi.* Arcana huc usque oeconomis nutriendi haec ratio, carnem vitulorum pinguem, albam ſapidamque reddit, dum nimirum paſta ex aqua aniſi et calce parata ſaginatur. p. 149.

Part. XV. num. I. Continet breuem recenſionem libri: *The whole Art of Husbandry: or the way of managing and improuing of Land by Iohn. Mortimer Lond.* 1721. 8. II. Vol. editi. p. 157.

Num. 2. *Experientiae de lignis, quae ad aedificia exſtruenda, utenſilia conficienda et ad cremandum requiruntur, caedendis, eligendis et ad uſus deſtinatos adhibendis.* Attendendum eſt in his ad varia, ſollicite hic p. 213.

* Eſt autem vera medicae ſpecies, et ea quidem, quam vocat *Trifolium ſiliqua cornuta ſeu medica.* C. BAVH. in Pinace et HALLER. in Enum. Plant. Helvet. p. 578. : *Medicam caule erecto floribus ſpicatis, ſiliquis repetito intortis, glabris.*

hic expoſita, oeconomis maxime profutura, momenta.

p. 235. *Part. XVI. num. 1. Relatio de incremento aſparagi accelerando*, Auctore GEORG. FRID. MOELLERO. Inuentorem huius artificii DE LA QVINTINIE Gallum eſſe fatetur, cuius tamen inuenta auxit et emendauit, omnemque diſſertationem ad varia momenta reduxit. Oſtendit nimirum, quid primum ſtatim in eligendo conuenienti loco, terraque annotandum ſit, deinde, quando et qua ratione haec acceleratio tentanda, dum nimirum recens nondumque putrefactum equinum ſtercus in foſſulas immittitur, ſimulque eodem omnis, in qua continetur aſparagus, area obtegitur, quodſi porro caloris gradum temperatum ſeruare, frigorisque acceſſum coercere quaeſiueris, celeriter craſſos ſatisque denſos aſparagi caules propullulare obſeruabis, qui primo etiam anno reſcindi absque damno poterunt. Tan-

p. 254. dem tamen noua deſinit proles, ſaepius iteratis ſcilicet cauliculorum diſſectionibus, cuius defectus cauſas recte quidem in gemmas radicales coniicit, quarum et formatio et protruſio lente fit, nimisque a ſucco, ob antea reſectos cauliculos omnes, hic ſtagnante impeditur. De ſapore hac ratione protruſi aſparagi ita quoque iudicat, ut illum a naturali modo creſcentis neutiquam differre iudicet.

p. 261. *Num. 2. Obſeruationes ad* IO. MORTIMER *Artem oeconomicam*, cuius quidem excerptum dederat Part. XV. no. 1. His variae a MORTIMER datae regulae vel refutantur, vel confirmantur illuſtranturque.

p. 300. *Num. 3. De cultura graminis et trifolii vulgaris anglici admodum proficua, ad emendanda ouium pabula*, Auctore I. A. HERZOG. Quantum coniectura aſſequi licet, graminis anglici nomine intelligit diuerſas plantas, quae pratis foenu parandi cauſa immittuntur, quaenam vero trifolii anglici ſpecies ſit,

ſit, ex incompleta, quae exhibetur, deſcriptione elicere non potuimus, non enim ſufficit annotaſſe folia parua, flores vero eſſe luteos.

Num. 4. *Relatio de ſtercoratione cum calce viua prope Islebiam inſtituta.* Modum, quo calx viua adhiberi debeat, declarat, eamque frigidis humidisque pratis conuenire autumat, nihil vero de agendi ratione proponit Auctor. p. 309.

Part. XVII. num. 1. *Continuatio inſtructionis iunioris oeconomi de coquenda cereuiſia.* Nunc anonymus Auctor ea curatius conſiderat, quae ad ipſam cereuiſiam requiruntur, primo de aqua diſſerens, quae pura, continuo mota, nec ſtagnans, aut paludoſa requiritur. Ad maltam vero conficiendam opus eſt hordeo bene maturo flaueſcente, non fuſco aut nigricante, illud enim ſimul docet, bene ſiccum hordeum in horrea fuiſſe depoſitum, grana praeter ea habeat nec magna nec nimis parua, ſed mediocris magnitudinis, intus farina alba, tenuique plena, neceſſe autem eſt, ne illud in agris creſcat, ſtercore ouillo nutritis, quippe quod ingratum hordeo conciliare dicitur odorem. In primis attendendum eſt, ne nociuarum plantarum ſemina ſint immixta. Maltae autem inde paratae, cuius parandi modum quoque breuiter declarat, illa reiicienda eſt ſpecies, quae in aere ad vegetationis deuenit principia. Lupulus, qui cereuiſiae additur, magnis conſtet comis, ſit farinoſus, pinguis, oleoſusque, nec non odore penetranti. Reliqua hic diſquiſita, de uſu fecum, de vaſorum et cauearum, in quibus cereuiſiae reconduntur, conditionibus, ad oeconomos tantum ſpectant. p. 315.

Num. 2. I. G. ORTHII V. E. Miniſtri Kratsdorfii, *cogitata de utilitate duplicati aratri, ad culturam agrorum.* Praecipua conſiſtit in eo, ut adueniente commodo ad ſerendum tempore illi, qui neceſſarii ſunt, p. 360.

labores

labores citius duplicato hoc aratro peragi queant. In eo tantum difficultas adhuc haeret, ut conueniens illius temporis punctum nondum accurate ſatis potuerit praeſagiendo determinari, quod, ut ex iteratis obſeruationibus, ex tempeſtatum mutationibus deſumendis, fiat, ſtudioſe ſuadet.

p. 371. *Num.* 3. NEVMANNI Conſulis Zoſſenſis, *reſponſiones ad obiectiones de augmento frumenti, cum conſilio, quod breui tempore hocce augmentum commune reddere docet.* Plerumque phyſici et rei vegetabilis periti contra incrementum frumenti, ſuis ducti rationibus, declamare ſolent, hic autem Auctor eas tantum ſoluit dubitationes, quibus per eius modi incrementum reditus tum publicos tum priuatos imminui putatur.

p. 395. *Part. XVIII. num.* 1. *Diſſertatio oeconomico-phyſica de terra ſic dicta ſterili agrorum,* Auctore I. A. HERZOG. Inualuit mos, ut illud, quod ſub terra culta latet, ſtratum pro ſterili plerumque et ad vegetationem plantarum inutile fuerit habitum, cui quidem opinioni HOFFMANNVS et NEVMANNVS, ab Cl. Auctore adducti oeconomi, ſtudioſe ita inhaerent, ut ei adſenſum nulli denegauerint, argumenta vero a culturae, aeris influxus defectu, nec non a male ſuccedente incremento deſumunt. Arbitratur itaque Auctor, omnem confici poſſe rem, quodſi nullas utrumque ſtratum intercedere differentias euicerit.
p. 404. Terram nimirum unam eandemque detegi aſſerit, quantum penetrare aratrum poſſit, inferius ſtratum autem, ſi aliquando a ſuperiori differat, qualitate ſua huic inferius non eſſe, ſi v. c. ſuperius arena, inferius argilla poſita ſit, ut utraque ob adductas haſce cauſas incremento plantarum ſit adaptata, immo ſuſpicatur aliquando inferioris ſtrati vires illas ſuperioris ſuperare, quod hae ibi adhuc concentratae quaſi ſint, nunquam diſperſae. In uniuerſum autem annotandum eſt, terram, quae fertilitatem ſuam exſe-

rere

rere debet, arando quaſi aperiendam et ad ſuſcipiendas ſtercoris, reſoluendi vim habentes, particulas per fermentationem, quam vocat, aere pluuiisque perficiendam, adaptandam eſſe. Cum itaque ob varias accedentes rationes inferius ſtratum minus fertile deprehenderint non nunquam oeconomi, praeconcepta inde enata eſt opinio, omne emendandorum agrorum fundamentum in ſtercoratione eſſe poſitum. Aliquando tamen ſuperius ſtratum vilius eſt, ſi arenoſum, inferius praeſtantius, ſi argillaceum, incremento plantarum feliciori inſeruiens. Conſentiunt cum Auctore alii, quorum teſtimonia adducit, tandemque experientiis ſuffultus ſuam corroborat opinionem; conſtat nimirum, in agris, in quibus ſulci aratro profundius acti ſunt, ſine ſtercoratione meſſem exſtitiſſe opulentam, terram, nunc demum primo cultam bene aratro ſubactam, absque ſtercore admodum eſſe fertilem, agros, macilentum habentes ſolum, impoſita, quae huc usque nondum incremento inſeruierat, terra fructus ferre et laetius et conſtantius, quam ſtercore inducto nutritos, oleraceos etiam hortos, admodum ſubacto inſtructos ſolo, plures ſine ſtercore annos feliciter ad fructus ferendos adhiberi, tandemque ab animalibus ſaepe profundius euerſos agros fertiliores reddi. Refutatis poſt modum aliis obiectionibus, recte concludit ad profundiora loca et aquam et nutritias ſimul reſolutasue particulas penetrare, nec adeo facile iterum expelli. In plantarum in primis incremento *ſuccum*, quem vocat, *terrae* conſiderat, qui ex terra ortus, caloris aerisque ope aquoſas, oleoſas et ſalinas in vegetabilia introducens partes, tandem in atmoſphaeram exhalat, et cum pluuia, niue roreque in terram reuertitur, eius modi vero circulationem in laxiori terra celeriorem fieri. Quibus omnibus ſi addas profundiori in loco ſtrata humi, cum ſuperiori omnimode conuenientia, VARENII ſatis noto exemplo,

p. 410.
p. 447.
p. 455.

exemplo, reperiri, aſſentiente DE LA QVINTINIE*, ſterilem hanc terram profundiorem nulla ratione vocandam eſſe, cum Cl. Auctore concedes. Qui certe hac in diſquiſitione ita ſuo functus eſſe videtur officio, ut boni intelligentisque phyſici et oeconomi nomen promereatur.

p. 463. *Num.* 2. *Epiſtola proponens remedium contra morbum ouium, quem das Faulfreſſen vocant.* Prophylactica medicina eſt morbo phthiſico, a paſcuis humidis et paludoſis, nec non a paſtu non accurate ſatis prius exſiccato et recondito orto, oppoſita ex abſinthii, bacc. iuniperi, auenae comminutae, ſalisque puluere conflata.

p. 465. *Num.* 3. *Deſcriptio breuis eorum, quae in ſerenda et colenda abiete obſeruanda ſunt, ſecundum illam, qua in Hercynia utuntur, methodum.* Pauca hic enarrantur, ea tamen accurata ſatis, et Auctoris ſcopo ſufficientia. Leuiter tantum ſemina ſuperficiei terrae immittenda ſunt. Dum vero, quae ventis caeduntur, ligna remouenda eſſe ſuadet, eam potiſſimum adiungit rationem, ne in eo generetur inſectum, quod alatum euadit et reliquis arboribus perniciem inducit; cuius phaenomeni veritas in dubium vocari quamuis non poſſit, neque tamen ex putredine corruptis partibus, neque, ut Auctor annotationum, huic diſquiſitioni adiunctarum, opinatur, ex ſtagnante ſucco generari inſecta veri intelligunt phyſici. Praeter ea non abietem ſed pinum in Hercynia naſci idem annotat, quod ſimul demonſtrat ſummo nos iure deſiderare, ut in tanta denominationum germanicarum varietate, hi auctores in poſterum uniuerſali quadam, potiſſimum latina, utantur.

p. 475. *Part. XIX. num.* 1. *Comparationem* inſtituit, *menſurarum quae frumento diuerſis in locis adhibentur.*

Num.

* Dans l' Inſtruction pour les Iardins fruitiers et potagers Part. *II.* chap. 4. ſect. 2. de terres neuues.

Num. 2. Continuatio *Part. XV. num.* 2. *ligno-rum cremandorum ad diuerſa negotia neceſſariorum ſelectum* exponit. p. 494.

Num. 3. *Critica oeconomica de tempeſtate et incre-mento frumentorum anni* 1750. Conciſe recenſet tempeſtatis per omnem annum mutationes, et prae-miſſa agrorum diuerſorum deſcriptione, fertilitatis cauſas ex illis declarat. p. 515.

Num. 4. *Relatio de tabaco.* Planta, cuius quae-dam datur deſcriptio, eſt *Nicotiana foliis lanceolatis.* LINN. Auctor vero antiqua illa, a ſtatura deſumta, minusque concinna diuiſione ductus, in marem fe-minamque eam diuidit; illam plantam genuinam, hanc minus genuinam eſſe ſpeciem aſſerens, quod et radices habeat magis implexas et omnibus in parti-bus illi minor ſit. Quam diuiſionem non ſolum pla-ne locum non habere, et genuini ſciunt botanici, et ex eo clarum eſt, quod ipſe Auctor ex unius eius-demque generis plantae ſemine utramque pronaſci fateatur, ut mutationis perceptae cauſam in incre-mentum eſſe coniiciendam inde pateſcat. p. 536.

Part. XX. num. 1. *Littera ad oeconomum miſſae, regulas, in cultura agrorum neceſſario obſeruandas, con-tinentes.* Octo ſunt regulae, quae illa, quae eo tem-pore, quo ſeruntur, metiuntur, colliguntur que fru-ges, ab oeconomis ſunt animaduertenda, exponunt et felicitatem ipſi promittunt. p. 543.

Num. 2. LEOPOLDI, iuri dicendo, Sorauiae prae-fecti, *diſquiſitio de arena eiusque natura et fertilitate.* Arenae varia conſtituit genera, et recenſet cineream, flaueſcentem, aliam varii coloris maioribus molecu-lis conſtantem, puluerulentam aliam, deinde rufe-ſcentem, leuem, ventis difflandam, fluuiatilem, mor-tuam tandem, ut vocat, ſeu ſterilem. Harum arena-rum, licet diuiſio non adeo videatur accurata eſſe, nec earum natura ſufficienter declarata, alias foecun- p. 576.

das, alias ſteriles eſſe probatur, et frumenta, quae conueniunt iisdem, ab Auctore indicantur.

p. 585. *Num.* 3. *Epiſtola, quae utilitatem herbae, Germanis* Pfennig-*et* Heller-Kraut *dictae, nec non alia ad oeconomicam ſcientiam pertinentia, deſcribit.* Quam inſufficientes ſint ad declarandam herbarum deſcriptionem germanorum, in omnibus fere locis differentes, denominationes, hoc ipſo denuo probatur exemplo, cum ipſius, de qua tractat, Auctor plantae verum genus eruere non potuerit, quantum vero nos ex iis, quae adducuntur, pro certo coniicimus, ad thlaſpi pertinet, * id vero, quod folia vocat minus peritus partium plantae Auctor, ſunt ſiliquae illae latae, in medio ſuperiori loco emarginatae, ſeminaque media comprehendentes. Huius autem plantae cognitio eo magis videtur neceſſaria eſſe, quo latius illa, ab Auctore expoſita, vtilitas eiusdem patet. Nemo enim neſcit, quanta a curculionibus ſoleat frumenti granis ſtrages inferri, quos non tam necat, quam odore ſuo ingrato in uniuerſum videtur abigere et relegare: quam ſingularem conditionem caſu tantum detexit Auctor, colligens herbam, atque ex ſeminibus oleum paraturus, inter ea tamen in granarium, ut exſiccetur, recondens. Fuerunt autem hi curculiones albi colore, quippe qui obtuſam granorum partem arrodunt, hinc prae reliquis magis tolerantur, cum hac ratione nec adeo multum farinae, nec vis vegetandi perdatur, quod experientia ſuffultus confirmat. Huic deſcriptioni rationes adiiciuntur et tabulae, quae comparationem granorum ad ſationem adhibitorum, et eorum, quae poſt meſſem obtinebantur, declarant, tandemque quaeſtiones proponuntur quaedam v. c. quaenam ſit tomenti vel lanae, in quibusdam arboribus conſpicuae, utilitas?

* Eſt nimirum Thlaſpi ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentato glabris LINN. Thlaſpi aruenſe ſiliquis latis CASP. BAVH. in Pinace.

utilitas? oeconomicam quidem, ut ipſi huius libri Auctores in notis additis profitentur, nos ignoramus, generalem tamen, in continendis ſeminibus forte et nutriendis poſitam eſſe, obſeruamus, ut in ſalice, populo aliisque. Quod ad alteram de piceae flore, fructuque quaeſtionem attinet, iis, quae in notis declarantur, adhuc liceat addere, duplicis generis, in una eademque planta a ſe inuicem remotos flores eſſe, alios ſteriles, alios fertiles, qui ſemina, in conis deprehendenda, exhibent.

Part. XXI. num. I. IO. GODOFR. ORTHII *Obſeruationes* in IO. FRID. NEVMANNI *demonſtrationes, de cauſis minus rite procedentis culturae frumenti. Berolini* 1748. 4 editas. Hae obſeruationes tempeſtatum annotationes, variorumque inſtrumentorum oeconomicorum emendationes concernunt. p. 617.

Num. 2. LEOPOLDI *Relatio, de exſiccandis paludoſis humidisque locis, eaque in prata conuertendis amoena.* Omne artificium in eo conſiſtit, ut mediantibus foſſis longitudinalibus eo in loco, qui riuis propior eſt, decliuioribus, aqua deriuetur, quo facto aliae transuerſales cumque prioribus communicantes ducuntur, ex ipſis locis hiſce udis aquam excipientes, et breui temporis ſpatio intercedente exſiccationem producentes. Quae deinde in deſtruendis arboribus euellendisque adhibenda ſit opera, penes ipſum Auctorem videnda ſunt. Foſſarum directionem, addita icone, expreſſit. p. 661.

Num. 3. *Cogitata de nebulis menſe Martio obſeruandis, et has ſubſequentibus inundationibus.* Vulgi praeconcepta eſt opinio, eius modi nebulas, ſubſequente centeſimo die, inundationes producere. Auctor an. 1750. ad nebulas Martii menſis attendens, ſtatuto quidem tempore inundationes eueniſſe obſeruauit, phyſico tamen phaenomenorum exploratori conuenienter non ab his nebulis, diu iam diſſipatis, ſed ab aliis p. 675.

longe cauſſis eas dependere iudicat atque confirmat.

p. 685. *Part. XXII. num.* 1. *Quaeſtio, num vinea ſit proficua?* Inſtituta inter agrum et vineam, ſitu magnitudineque ſibi aequalium, comparatione, tandem ſollicite ductis rationibus conficit, vineam ratione redituum agro praeferendam eſſe.

p. 731 *Num.* 2. IO. GODOFR. ORTHII *Annotationes in* IO. FRID. NEVMANNI *conſilium de emendanda agricultura. Berolini* 1749. 4 *editum.* Hae annotationes maximam partem oeconomici argumenti cum ipſius, in quem ſcriptae ſunt, NEVMANNI libro conferendae ſunt.

p. 751. *Num.* 3. *Continuatio relationis de tabaco.* Nunc ſerendi et ex uno loco in alium transferendi rationem reddit Auctor, nec non decerpendi folia, exſiccandi et ad texturam inde conficiendam adaptandi methodum proponit.

p. 763. *Part. XXIII. num.* 1. *Artificium copioſas producendi ficus ex* DE LA QVINTINIE *inſtruction pour les Iardins fruitiers et potagers, ut exemplar culturae vegetabilium propoſitum a* GE. FRID. MOELLERO. Nemo cum ſucceſſu plantas colit, niſi earum nouerit naturam, hanc igitur quo ſibi cognitam reddat, omni cura ut tentet eiuſmodi culturae ſtudioſus, neceſſe eſt. Praecipua haec fuit ſolertisſimi DE LA QVINTINIE cura, cuius de ficu colenda annotationes congesſit, nec ex libro eiuſdem tranſtulit Cl. MOELLERVS, ſed digesſit potius, et hiſce veſtigiis inhaerendo felici cum euentu culturam vegetabilium aliorum inſtitui poſſe docuit. Nutriuit autem ille ficus non in adaptatis ſolum vaſis, ſed liberiori etiam commiſit aeri, cuſtodiuit et ad omnes fere coeli plagas arbores diſpoſuit, conuenienti etiam tempore et modo putatione inſtituta, incrementum adauxit. Quae cuncta momenta

ſollicite admodum deſcripſit, Cl. MOELLERVS vero p. 794. exinde animaduertit: Omnium partium plantae, quam colere velis, et incrementi conſiderationem eſſe habendam, ex qua, collatis ſimul iis, quae de ſimilium plantarum cultura conſtant, nouisque factis experimentis, plura elici poſſunt incognita diiudicarique. His tandem illius praecipue partis cura adiungenda eſt, cuius cauſſa planta colitur, v. c. fructus, floris, foliorum, ligni atque radicis, ſine cognitione uniuerſali horticulturae nemo tamen proficit.

Num. 2. Continentur *obiectiones, contra inuentum* p. 797. *Kretſchmerianum*, emendationem agriculturae concernens.

Num. 3. *Relatio de eſparcette et trifolio hiſpanico.* p. 821. Cum utraque planta, onobrychide nimirum et trifolio inſtituit Auctor experimenta, utilitatesque in pabulo pecorum conſpicuas exponit. Onobrychidem tamen ob nutriendi et lac augendi vim trifolio praefert, quo adhibito e contrario lactis in uberibus defectus obſeruatus eſt. Reliqua modum ſerendi, metiendi, colligendique explanant.

Part. XXIV. num. 1. *Officia oeconomi in ſecunda ae-* p. 843. *que ac aduerſa fortuna explicata.*

Num. 2. LEOPOLDI *Cogitata de critica oeconomica*, p. 860. *Part. XIX. Num.* 3. *propoſita.* De diuiſione et fertilitate agrorum quaedam contra Auctorem criticarum obſeruationum monet.

Num 3. *Annotationes ad relationem de tabaco.* Ea p. 866. primo de diuiſione in marem et feminam nicotianae, ſub cenſuram vocat Auctor, quae iure quidem ſupra iam monuimus, et in duas potisſimum ſpecies a foliis rite diſtinguit, quas etiam botanici ſub nicotianae et peti nomine exprimere ſolent, diuerſitates autem ex creſcendi modo, ex ſolo, tempeſtate, et climate repetit. Colligendi modus poſt ea conſideratur, variaque emendantur in adducta tractatione propoſita.

Quae de uſu tabaci medico adducuntur, ad oeconomum non ſpectantia, medicis diiudicanda relinquuntur.

Intelliget itaque unuſquiſque, diſquiſitiones haſce et obſeruationes, per ſe admodum utiles, communi magis felicitate inſeruituras eſſe, ſi phyſices naturalisque hiſtoriae cognitio, quantum neceſſe eſt, oeconomicis iungatur ſtudiis. Nec malam in partem aliquem verſurum nobis eſſe confidimus, quodſi in poſterum de hiſce dicturi aduerſariis ea tantum proponamus, quae et illi, quem praefixum habemus, ſcopo ſunt accommodata, et accurate, ut decet, utiliterque propoſita. Eam enim ob rationem pleniorem exhibuimus illius operis delineationem, ut, quae in illo quaerere liceat, inde pateſcat.

IX.

Oeconomiſch - phyſicaliſche Abhandlungen, Erſter Theil. Leipzig bey C. L. Iacobi 1751. 8. pl. 14.

i. e.

Oeconomico phyſicae diſſertationes. Pars I.

Quo exteri in primis, qui vernaculam noſtram linguam non intelligunt, etiam utilitatem ex noſtris commentariis habeant, iuuabit certe ea hic repetere, quae varii, et exercitati ſaepius, viri non modo de phyſicis, ſed oeconomicis quoque rebus et accuratius cognoſcendis, et cum fructu adhibendis propoſuerunt. In Noſtra, quam nunc exhibemus, eius modi ſcriptorum collectione legitur:

p. 1. 1) *Structura plantarum ex earundem vegetatione declarata*, Auctore GEORGIO FRIDERICO MOELLERO. Omnes fere, qui ſtructuram plantarum enodandam declarandamque ſibi ſumſerunt, in id allaborarunt

borarunt ſedulo, ut diſſectione ac maceratione, varia ratione inſtitutis, partes ipſas oculis ſuis, opticis in primis vitris armatis, curatius cognoſcerent, atque exinde concluſiones eruerent. Hanc ipſam vero viam vix imitandam eſſe cenſet Cl. Auctor, atque hinc eſt, cur aliam ſibi elegerit ipſe, non enim a ſtructura ad actiones, ſed ab his demum ad illam rite concludi poſſe exiſtimat. Ea itaque nunc omnia, quae in conſideratione plantarum earumque vegetatione didicit, ad earundem mutationes, variasque actiones et ipſam ſtructuram declarandam adhibebit. In tredecim quaſi capita tota diuiditur tractatio, atque in *primo* horum p. 9. *de ſucciferis vaſis* ſermonem inſtituit, et undenam oriantur, diſquirit. In ipſa plantulae ſeminalis delineatione haecce non adeſſe, nec ſucceſſiue ex eadem generari poſſe, aſſerit, ſed potius credit, ex inferiori parte ſurſum aſcendere, et illis, quae antea iam adfuerunt, ſeſe aſſociari atque ita ex nodo oriri, qui in oculo deprehenditur, ex quo ramulus enaſcitur. Nodum vero ſic deſcribit: Semen plumulam et radiculam continens, gemma eſt, et dum illud ſeritur, primum exit radicula et elongatur, paulo poſt et plumula in conſpectum venit, illa inferiora, ſuperiora haecce petit, atque dum hoc ita fit, adeſſe debet punctum, ubi motus humorum ad oppoſitas plagas dirigitur, et hic ipſe locus ille eſt, quem nodum appellat Cl. Auctor. Cum vero gemmae ſibi inueniantur ſimiles, p. 13. illas etiam ex ſimilibus partibus conſtare, ideoque omnes nodum habere porro concludit. Vaſa ergo ex nodis oriuntur, haec vero parcius primo adſunt, hinc dum ramulus craſſior euadit, noua ex nodo generari debent, et prioribus agglutinari. Singulare hoc aſſertum ex vegetatione bulboſarum in primis radicum ulterius declarare ſtudet, dum harum analogiam cum gemmis oſtendit. Omnia enim, quae bulbum conſtituunt, ex centro, ut ſingulari thalamo uel potius nodo, originem ſumunt. Porro ad inſitionem arbo-

 rum

rum prouocat. Ramulos arbori aeſtate adnatos vernali diſquiſiuit tempore, atque inuenit, ramulum cum trunco exteriori modo lignoſo circulo, qui ipſum ramulum comprehendit, cohaerere; in arbore vero, cui inſitus fuit ramulus, ibi, ubi ſectio facta fuit, protuberantia ſenſim increſcens deprehenditur. Ex quibus luculenter apparere dicit, ſurſum elongari vaſa.

p. 22. *Secundo capite de vaſorum longitudine* differit, atque ea non per omnem plantae altitudinem excurrere, ſed ex qualibet gemma potius noua oriri aſſumit, et ita perhibet, ea ex diſtinctis quaſi partibus componi. Quae res experimentis egregie declaratur. Ramuli, celeriter creſcentis, apicem reſecuit Auctor, eum in
p. 26. finem, ut non ulterius elongetur, verum intra breue tempus eum longiorem factum fuiſſe deprehendit; quod experimentum uno eodemque tempore in plurimis ramulis dein repetiit, et inuenit, alios multum, parum alios, aliosque plane non augeri atque creſcere. Et illi quidem ramuli, ubi ſectio in inferiori parte, foliis plenarie explicatis cincta, facta fuit, nullum ceperunt incrementum, e contra vero, ſi ramus eo in loco diſſectus fuit, ubi imperfecta adhuc erant folia, increuit, et quo maior horum foliorum numerus, eo maius ſemper erat incrementum. Quae res, vere curioſa, ita ab Auctore explicatur: Interſtitia, quae in ramulis folia relinquunt, determinata ſunt, ita ut inferiora maiora, ſuperiora ſenſim et proportionate quidem minora inueniantur; eadem etiam differentia in foliis animaduertitur, inferiora ramuli perfecta, ſuperiora minora ſunt et imperfectiora. In diſſectis hiſce ramulis ſuprema pars arida fiebat, internodia vero ſub ea poſita elongebantur, et tam diu augebantur, uſque dum inferioribus, ubi perfecta adhaerebant folia, fierent aequalia; partibus itaque ramuli ſuperioribus creſcentibus, ut totus ramus elongetur, neceſſe eſt. Porro etiam ex hac re nunc cogit, ramulum non ex una, ſed ex plurimis partibus eſſe compoſitum. Quamlibet autem partem, ſiue internodium,

ex

ex gemma oriri, quae humorum motu elongatur, nouasque gemmas producit, Auctori videtur probabile. Hoc vero poſito, ſequitur etiam porro, omne id de ramulorum partibus valere, quicquid de gemmis valet; ideoque vaſa habent ſuccifera nodumque ex quo enaſcuntur, haec vero vaſa eam modo obtinere poſſunt longitudinem, quam ipſum habet interſtitium, et in fine huius nouus adeſt gemmae ſubſequentis nodus, in quem vaſa humorem contentum infundunt. Hunc ipſum nodum in ſingulo internodio vere adeſſe p. 37. probant gramina, perſicaria, ialappa, aliaeque plantae. Et in ialappa in primis eos oculis perſpexit; autumnali enim tempore, dum eam in hybernaculum poſuit, ſucceſſiue in tot partes ſponte ſeparata fuit, quot adeſſent nodi.

Tertio gemmas conſiderandas ſumit, et ex data nunc p. 43. internodii ſtructura earundem fabricam explicare ſtudet. Internodium tenerum adhuc, praeter corticem, vaſa ſuccoſa ſiſtit, quae ipſam medullam comprehendunt, in apice eius noua haeret gemma, quae nunc increſcit, et a latere folium, in huius praeter ea ala alia haeret gemma, quae vero nunc non augetur, ſed modo ad vegetationem diſponitur. Lateralem hanc gemmam non ex nodo ſuperioris, ſed ex apice inferioris internodii oriri, aſſumit Cl. Auctor, vaſorum vero, medullam cingentium, cylindrum habitaculum fuiſſe, in quo gemma ſequentis internodii ad perfectionem perducta fuit, ſimulque ipſum ab extenſione gemmae ampliatum eſſe credit. Medulla itaque dum elongatur, ſecum rapit gemmam, et nodo gemmae maiori facto, vaſa medullam cingentia gemmae agglutinantur, per quae maior nunc ſuccorum copia adducitur, hinc propria nodi vaſa elongari incipiunt, et annexam gemmam ad ulteriorem vegetationem diſponunt. Gemmas cum nutritio ſucco ad plantas duci alibi expoſuit Auctor, atque ex hac hypotheſi, minus, ut nobis videtur, firma, nunc declarat, quomodo una ex altera oriri poſſit, atque in diſtinctis locis ſecer-

ſecerni. Haec vero demonſtratio cum nimis diffuſa ſit, et intelligi non poſſit, niſi omnia ea, quae alibi propoſuit, cognita ſint, eam intactam nunc relinquimus.

Quarto ſingulatim in *ortum vaſorum* inquirit, denuo exiſtimans, noua ſucceſſiue ab extra et cum ſucco quidem nutritio accedere. Non vero aſſumit, ſuccum ipſa delineata vaſa continere, ſed ad gemmam potius reſpicit, et ex illis ortum horum declarare annititur. Gemmas in medulla contentas non omnes, ſed unam modo ex hiſce, quae omne cauum replet, cum vaſorum cylindro cohaerere, ſtatuit; illae itaque, quae laterales ſunt, ad plenarium incrementum accedere non poſſunt, ſed in vegetatione ita cohibentur, ut modo vaſa quaedam ex ipſis elongari queant atque creſcere, et haec vaſa ea ſunt, quae ſenſim accreſcunt, et inde craſſitiem plantae efficiunt. Praeter ſuccoſa vero vaſa eius modi etiam vulgo aſſumuntur in plantis, quae aerem vehunt; agit itaque

p. 61. *Quinto de tracheis.* Foramina et ita vacua ſpatia in ligno adeſſe, experimento probat Cl. Auctor, ortum vero horum ex antea data theoria, dum noua vaſa ex nouis gemmis oriuntur, declarat. Nodi gemmarum circulares ſunt, et ex iisdem faſciculi vaſorum formantur, qui cylindraceam figuram retinent, dum vero ſe inuicem attingunt, in pauciſſimis punctis cohaerent, hinc foramina relinquunt. Praeter ea medium vaſculum in quolibet nodo reliquis, quae illum componunt, amplius eſt, hinc et illud ſectione facta tranſparens conſpicitur. Concedit quidem MOELLERVS medium maximumque vaſculum contextu celluloſo repletum eſſe, an vero et in reliquis eius modi apparatus concedendus ſit, in dubio relinquit.

p. 69. *Sexto circulos ligneos* conſiderat. Notum eſt annuum arborum incrementum circulos formare, qui diſtincti

diſtincti ſemper manent. Exteriorem eius modi circuli ſuperficiem interna denſiorem, magisque, ut in pino, reſinoſam eſſe inuenit Auctor, quam rem ita explicat: Lignum tota aeſtate craſſitie augetur, et cum hoc inde eueniat, quia noua ſemper vaſa ex nodis oriuntur, prioribusque agglutinantur, ſequitur etiam, ut interior circuli ſuperficies primum et vernali tempore quidem, exterior vero aeſtate demum generetur. Praeter ea vere maximus eſt humorum impetus, unde ampliantur vaſa, hinc mollior ligni compages, aeſtate vero ob auctam in primis perſpirationem ſucci deficiunt, et frigus nocturno tempore augetur, hinc ſtringuntur vaſa, et ipſe cortex, qui extendi ulterius vix poteſt, ipſi vaſorum ampliationi reſiſtit, ergo ea preſſius ad ſe inuicem poſita manent, hinc maior in externa ſuperficie durities.

Septimo de humorem motu diſſerit. Succi eo in primis in loco celerius mouentur, ubi partes haerent euoluendae et augendae, hae quidem maxime in medio inueniuntur, ibi enim gemmae habitant, cum vero etiam non nullae exterius magis collocatae ſint, et ſua vaſa prioribus iungant, huc quoque ducuntur humores. Praeter ea in contextu celluloſo, qui circulorum ligni interſtitia replet, ſucci mouentur, et in ipſo quoque ligno, idem aſſumi debere, experimento ſe oſtendiſſe, perhibet Cl. Auctor. p. 73.

Octauo de foliis dum nunc loquitur, aſſumit, ea cum vaſis ramuli non ita cohaerere, ac ſi ex una parte conſtarent, ſed potius, cum decidant, articulatione modo inter ſe cohaerere credit. Cum vero articulationes eo in loco ſemper inueniantur, ubi nodi ſunt, et cum nodus pars gemmae ſit, et cum porro folia in inferiori extremitate eius modi nodum habeant, ſequitur ſane illa quoque ex gemma oriri debere. Atque ortu foliorum ſic aſſumto, porro, cur planum forment folia, dum ramulorum partes p. 77.

cylin-

cylindraceam obtineant figuram, etiam pro ſuo ingenio explicare tentat.

p. 84. *Nono de fructibus* dicturus, ortum eorundem ex ſolani, ſic dicti, tuberoſi radice declarare annititur. Deſcripta, cognita ſatis, huius figura in ortum tuberum inquirit. Fibrae, quae ex caule, terrae immiſſo, oriuntur, laterales eſſe ramos, gemmasque cum illis coniunctas ob terrae reſiſtentiam folia non explicare poſſe, aſſerit; Dum vero ſucci acceſſus ſemper celebretur, debet neceſſario in nodo gemmae colligi, illum extendere, atque ita primam cauſam praebere, cur nodus hic protuberans efficiatur. Gemmae vero, quae in nutritio ſucco continentur, et quae in hac gemma et inde oriundis partibus diſſeminari debuiſſent, hic concentratae manent, inde tuberis ſuperficies iisdem ornata conſpicitur, et dum varie diſſectum tuber ſeritur, gemmae hae, ubique deprehendendae, vegetant feliciter.
p. 89. Fructiferae gemmae ab illis, ex quibus ramuli foliaque oriuntur, non ſunt diuerſae. Si enim ramulo eo in loco, ubi fructiferae gemmae haerent, vulnus et id quidem in annoſiore ligno infligitur, non manent fructiferae, ſed potius ramulum protrudunt. Succoſa enim vaſa ideo nunc elongantur, quia maior humorum affluxus ad ipſas illas determinatur gemmas. Flores itaque et fructus non neceſſario oriuntur, ſed certus et moderatus modo humorum affluxus efficit, ut illi generentur, eadem ratione, ut tubera in ſolano. Fructus ipſi ramulo adhaeret, qui etiam ex gemma ortus fuit, et in hoc fructus gemmarum vices ſuſcipiunt, ac ipſas illas quaſi ſiſtunt. In ſolano terra impedimentum erat, quo minus gemmae excreſcere poſſint, hic vero languidiori motu ſucci in nodo retardantur, atque hinc vires ſufficientes non habent, in minima vaſa penetrandi et vegetationem in ipſis promouendi. Extenditur itaque tantum nodus et tuber ſiſtit, quod fructum appella-

pellamus. Si vero fructus gemmae modo nodus p. 92.
eſt, ſequitur etiam ad illum gemmas duci debere, quae naturali modo in illa reponi ſoleant, hae vero non ut in ſolano in exteriori ſuperficie, ſed potius interne haerent, atque ibi in cellulis ſingularibus, ut ſemina, inueniuntur.

Decimo. Quo *ſeminis* naturam ex aſſumta hy- p. 95.
potheſi explicare poſſit Auctor, experientiam primo profert, quae in compendio haec eſt: Perſicae immaturus fructus oſſium ſeminis inuolucrum iam perfectum, et in eo gelatinoſam materiam, ſimulque minimum nucleum oſtendit. Alio et maturiori deinde fructu diſſecto nucleum mole auctum, et dimidiam habitaculi partem occupantem vidit, reliqua parte gelatina adhuc repleta. Hanc vero in perfecto fructu plane abeſſe et illum omnem cauitatem replere, nouimus omnes. Ex hac re nunc ſequentes cogit concluſiones MOELLERVS: a) *inuolucrum* p. 97.
non eſſe partem ſeminis, et quo hoc clarius pateſcat, declarare ſtudet, inuolucrum et ſemen coniuncta ſemper eſſe corpora. Semen ex gemma oritur, hae vero cum nutritio ſucco in plantam ducuntur, hinc porro aſſumit Auctor, gemmas in principio eius modi inuolucro eſſe inſtructas. Fundamentum aſſerti habes in ſquamis illis, quae gemmas ramorum cingunt atque defendunt. Differentiam vero, quae inuolucra gemmarum et ſeminum intercedit, modo in figura et magnitudine poſitam eſſe, non modo aſſumit, ſed et probare intendit. b) *Gelatinam in inuo-* p. 99.
lucro collectam nutrimentum ipſius eſſe ſeminis, idque exinde patet, quia in proportione, dum ſemen augetur, ſucci copia decreſcit. Si itaque huius nutrimenti defectus adeſt, vel ſi frigidior aura impedit, quo minus in ſemen abire poſſit, ſemen perfectam magnitudinem haud adipiſcitur, hinc cotyledones aliquando minores et in ipſo inuolucro vacuum ſpatium deprehendimus. Si vero nullus plane ſuccus

inuolucro infunditur, nullus etiam generari poteſt nucleus, adeoque ſemen ad vegetationem eſt ineptum.

p. 100. Tandem c) *patet, hanc gelatinoſam materiam ab externis partibus ad nucleum abire.*

p. 106. *Undecimo de ſeminum degeneratione* nunc verba faciens, diſquirit, cur ſata arborum, pomiferarum in primis, ſemina non arborem, matri ſimillimam, ſed diuerſam potius ab ea exhibeant. Plures pyri e. g. ſpecies ramulorum inſitione facta in una eademque arbore generari poſſe, liquido conſtat; Quilibet itaque ramulus, ut Auctori videtur, eas modo aſſumit gemmas, quae ſibi ipſi ſunt propriae. Verum cum rami a trunco ſuccos hauriant, omnes illae gemmarum diuerſae ſpecies, in hoc, ut coniunctae ſint, neceſſe eſt, hinc et organa, quae ſecretioni gemmarum fauent, in ſingulo ramulo peculiari ratione conſtructa eſſe debent. Celluloſum vero contextum, quem ut primarium ſecretionis organon alibi aſſumſit, etiam in nodis reperiri aſſerit Auctor, atque nunc porro concludit, hunc in qualibet ſpecie eſſe diuerſum et ita comparatum, ut in eodem modo huius vel illius generis gemmae a reliquis ſeparari poſſint atque hic deponi. Hoc autem cellulare opus a variis externis cauſis et climate in primis mutari poſſe credit, illudque ſolum, minime vero ipſas gemmas degenerare contendit.

p. 109. *Duodecimo radicnm vegetationem* perluſtrans, in primis quaeſtionem mouet, cur humores in radicula inferiora, in plumula vero ſuperiora verſus moueantur. Quae vero res ex adducta modo experientia rite poteſt intelligi. Tuliparum bulbi non ſemper a latere nouos emittunt, ſed aliquando a plana eius parte exit deſcenditque filum, cui tandem nouus adhaeret bulbus; atque hac ratione illi multiplicantur bulbi, qui in vegetatione modo unum emittunt folium, quod ſingulari, ex inferiore bulbi parte egredienti, inſiſtit tubo, in cuius cauo nouus haeret bulbus,

bus, qui ſenſim increſcens, tubum quoque extendit; hinc exterior bruni coloris compages, quae bulbum cingit, producitur. In his bulbis nullus inferne generatur nouus, verum alii ſunt, in quibus tubus folii inferiora verſus dirigitur, qui bulbum in ſua cauitate contentum, et centro veteris bulbi adhaerentem ſecum rapit. Atque nunc eodem modo increſcit iunior bulbus, extendit tubum, et ex eo ipſo membranam illam brunam, ſe inuoluentem, ſtruit. Cauſa vero, cur bulbus in his profundius deſcendant, maior eſt humorum copia. Minores enim bulbi cum multum temporis ad ſui perfectionem requirant, illos aſſumere non poſſunt, hinc in tubo, folio annexo, manent ſucci, huncque protrudunt, et cum ſuperiores partes ſufficientes ſuccos iam habeant, neceſſario verſus inferiora nituntur, hincque tubus ſimulque contenta gemma deorſum ducuntur. Radicis itaque eadem ac tubi bulboſae radicis verſus inferiora eſt vegetatio. Radices oriuntur ex gemmis, ſi vero gemma aliis partibus adhaeret, inferne excreſcere nequit; ſi autem, reſiſtentia abſente, libera ea eſt, ut in ſeminibus, vaſa eius itemque medulla non modo ſurſum ſed et deorſum extenduntur, et ita quoque radicem efficiunt. Cum autem in medulloſis tubulis gemmae ſecernantur, illi ipſi gemmam ſecum rapiunt, eodem, ut in bulboſis radicibus, modo, haec vero gemma, in apice radicis deprehendenda, nouam format radicem, cuius apici iterum gemma adhaeret; en cauſam, cur radices profundius ſemper penetrent. Et dum hoc fit, ex nodo harum gemmarum ſuccifera vaſa ſuperiora verſus diriguntur, aliis accedentibus augentur, et nodis interpoſitis agglutinantur; en cauſam cur ſucci per radices ſurſum moueantur.

Decimo tertio tandem ſiſtit experimenta Cl. Auctor, quae *perpendicularem, at oppoſitam, plumulae et radicis vegetationem* declarant. Nolumus vero rem p. 117.

omnibus notam repetere, ſufficiat rationes huius rei adduxiſſe. Nec in fluidis, nec in ſolidis cauſam huius directionis, ſed potius extra plantam eam quaerendam eſſe, aſſumit Cl. Auctor, ac in primis ad calorem reſpiciendum eſſe monet, et qua ratione id praeſtare poſſit, explicare tentat.

Atque haec ſunt primaria, quae ad ſtruendam plantam, eiusque mutationes explicandas ingenioſe excogitauit MOELLERVS. Ipſe ſane praeuidit, fore, ut aliis nouum hocce ſyſtema vix arrideat, illosque inuitat, ut non ſua cum ipſo hac de re communicent dubia, ſed ut potius nouam machinam ſibi fingant, naturae magis conuenientem, et ſi hoc praeſtiterint, ſuae ruinam facile ſe pati velle promittit. Hoc ipſum vero minus neceſſarium eſſe nos putamus; quod enim diu factum eſt, non ſperandum ac optandum; id itaque, ſi operae pretium, facturum eſſet, ut pateſcat, aliorum ante MOELLERVM prolatam de ſtructura et ve etatione plantarum ſententiam naturae magis reſpondere, quam hancce recentiſſimam Dubitamus vero an aliquis erit, qui huncce laborem in ſe ſuſcipere vellet; pertinacem enim in ſua ſemel concepta opinione illum eſſe, teſtatur ſatis ea, inter Auctorem atque KAESTNERVM agitata controuerſia. Si vero MOELLERVM in errorum cognitione facilem eſſe forte cognouerimus, alterum KAESTNERVM non deeſſe ſpondemus. Primario enim fundamento, Lucina ſine concubitu in vegetabilibus negato, ea etiam, quae de gemmarum ſecretione, euolutione etc. aſſumit Auctor, dubia ad minimum erunt, ſi non falſa.

p. 139. 2) *Tribuli aquatici conſideratio, annotationibus illuſtrata.* Non modo Anonymus noſter Auctor accuratam totius plantae, quoad ſingulas partes, exhibet deſcriptionem, ſed et ea omnia, quae ipſam eius vegetationem, quae uſum et noxam eius concernunt, ſtudioſe

ſtudioſe exponit. Plurima vero cum iam diu cogni-
ta ſint, pauca modo annotabimus. In ſeminibus ibi
ut plurimum ſeminalis plantula reperitur, ubi co- p. 141.
haeſionis rudimentum deprehendimus; in hoc vero
ea ſupremae et ita oppoſitae parti inſiſtit, quod ideo
forte factum, quia inuolucrum ſeminis in inferiori
parte durius longe germinationem cohibere poſſit.
Porro etiam ſemen, dum vegetationem incipit, ſin- p. 145.
gularem oſtendit mechaniſmum. Perforato enim
a plantula ſeminali inuolucro ea recta aſcendit, ſpi-
thamae fere longitudine caulem protrudit, tandem
nodum format, ex quo radices fibroſae longaeque
oriuntur, quae ad fundum aquae penetrant et plan-
tam firmant. Elongatur dein ex hoc ipſo nodo cau-
lis, nouusque generatur nodus, ex quo, in primis ſi
aqua profundior eſt, iterum radicales fibrae exeunt,
quod et in tertio aliquando nodo accidit. Et dum
hoc ita fit, ipſa nux in ſuo repoſita manet loco et
vegetanti plantulae nutrimentum praebet, omnique
tandem ſucco exhauſta, putreſcit ac deſtruitur. Cau-
lis eodem modo nodis diſtinctus increſcit altius, hi
vero nodi nullas exhibent radices, ſed ut in addita no-
ta aſſeritur, ad ſingulum duo adponuntur folia, quae, p. 148.
quo uſque caulis in aqua haeret, citiſſime deſtruun-
tur, in horum vero locum accedunt aliae, quaſi ra-
dicales, fibrae, quae fundum non attingunt, ſed
modo in aqua fluctuant. Foliorum ſuperiorum p. 152.
petioli ambullam formant fungoſae ſubſtantiae, quae,
ut Auctor exiſtimat, aereae veſicae vices ſupplent,
atque his efficitur, ne folia et cacumen plantae
fructuum pondere deorſum ducantur. Pluuiam p. 161.
ſaepe, dum ea ipſe antherarum puluis abluitur, foe-
cundationem impedire, experientia docuit; contra-
rium vero in tribulo deprehendimus. Superiores
enim flores, qui in liberiori aere inueniuntur, nul-
lum fructum proferunt ſemperque abortiunt, illi e
contrario, qui aquae immerſi ſunt, illum perfectum

p. 162. edunt. An perennis, an modo annua ſit planta tribulus, definire equidem non vult Cl. Auctor, argumenta vero profert, quae ſatis euincunt, eam modo annuam habere vitam.

p. 178. 3) *Demonſtratio, quae docet, profundam et raram ſparſamque ſationem ad multiplicationem frumentorum nihil conferre*; Auctore G. F. MOELLERO. Experimentis, quae WOLFFIVS inſtituit, excitati plures tentarunt, an haec culmorum ſpicarumque inſignis multiplicatio et in ipſis agris poſſibilis eſſet et cum fructu ſuſcipienda. Duo hic obſeruanda eſſe facile intellexerunt, primo ſcilicet, ut ſemina ita ſpargantur, ne propius ad ſe inuicem accederent, unde et id euenturum ſperarunt, ut vegetatio horum ſeminum eadem eſſet, ac illorum, quae in hortis ſata, ſpatium ſeſe extendendi habent. Secundo profundius ſemen immitti debet, quo inferiores culmi nodi terra ſint tecti, ideoque et radices agant. Aſt licet haec omnia obſeruentur ſedulo, nullum tamen inde uſum expectari poſſe docet Cl. Autor, dum varias, aliorum in primis, adducit experientias, ex quibus haec colligit corollaria. Si ſemina parciori in copia et multum inter ſe remota ſata ſunt, culmi quidem egregie vegetant, et ſtraminis multum, non vero ſeminum exhibent. Praeter ea ipſum ſtramen mole nunc auctum neque tantum, neque tam bonum praebet pabulum, cum et durius ſit et intus maiorem cauitatem habeat. Culmi porro, dum vegetare incipiunt, primum ſufficiens quidem ſeſe explicandi habent ſpatium, ramis vero lateralibus factis una alteram impedit planta, et ita ramis in incremento ulteriori cohibitis, princeps modo culmus ſurgit, elongatur, craſſiorque euadit. Culmus hic idem forte nunc occupat ſpatium, quod alias, ſi plures culmi ex diuerſis granis enati in eodem loco poſiti

p. 202. eſſent, vix replerent. Peregrinae etiam illae plantae, quae

quae nunc vegetius creſcunt, ipſi frumento alimentum ſubtrahunt, ſimulque impedient, quo minus planta, lateralibus culmis ornata, ſuperiora verſus elongari poſſit. Ex his, atque relatione facta, calculoque inſtituto probat Cl. Auctor, ſemina hac ratione non magis multiplicari, quam ſi ea ipſa denſius, ut conſueuit, ſata fuerint.

4) *Inſtitutio, qua ratione ex aſcenſu et deſcenſu thermometri florentini temperiei mutationes et cognoſci et praeuideri poſſint; cum annotationibus de perfectiori huius inſtrumenti conſtructione, phyſicis ad ulteriorem perſcrutationem, oeconomis vero ad proficuum in agricultura uſum, communicata a* IOH. GOTTFR. ORTH Verb. diu. min. in Kraftsdorf. Licet caloris frigoriſque et augmentum et decrementum thermometrum modo doceat, tamen et exinde temperiei durationem et mutabilem ſtatum intelligi poſſe aſſumit, exiſtimatque Cl. Auctor omnino ſe quicquam utilitatis praeſtiturum eſſe, ſi oſtenderet, quo modo illud et fieri poſſit et intelligi. *Capite* itaque *primo de calore ac frigore agit, oſtenditque thermometri ope horum mutationes certius, quam ſenſu externo, definiri poſſe.* Quo vero haec res clarior euadat, deſcripto thermometro florentino de caloris materia diſſerit, quae ab eo ut materia anguloſa, aculeisque donata, elaſtica, et aliis corporibus plus minusue admixta conſideratur. In *ſecundo capite de iis, in quibus uſitata thermometra in genere, et in ſpecie florentinum deficiunt*, agit atque deſcribit, qua ratione thermometrum Drebbelianum, thermoſcopium mercuriale, et in primis illud, quod HAMBERGERVS in Elementis phyſices §. 491. commemorat, fuere conſtructa, quaeque in omnibus his deſiderari adhuc poſſint, fuſius docet. Reliqua hac de re proxime in recenſione ſecundae huius collectionis partis dabimus.

p. 222.
p. 224.
p. 233.

X.

Acta Heluetica, phyſico mathematico botanico medica, figuris non nullis aeneis illuſtrata. Vol. I. Baſileae ap. Joh. Rud. Imhof. 1751. 4. pl. 22. tab. aen. 6.

Communis eruditorum labor atque unita opera multa eaque egregia ſane hactenus non ſuſcepit tantum, ſed et feliciter perfecit; Quo plures itaque eius modi ſcriptorum collectiones prodeunt, eo maiora ſemper artis medicae fieri incrementa facile colligimus. Laetamur ideoque et in Heluetia celeberrimos non nullos Viros unitis viribus et obſeruationes et ſuas de variis, medicis in primis, rebus meditationes in hiſce actis exhibuiſſe, optamusque ut et in poſterum in iisdem continuandis ſtrenue pergant. Hanc ipſam vero ſpem aliquo iamiam modo deiecimus, cum bibliopolam e fatis ceſſiſſe relatum habeamus. Si vero, hoc non obſtante, inceptam continuare velint operam doctiſſimi Viri, ut rarius obuiorum et ſingularium, non vero admodum communium morborum hiſtorias, et obſeruationes attentione magis dignas et curatius conſcriptas exhibere velint, humaniſſime monemus. Capita, quae ad noſtrum ſcopum ſpectant, ita ordine ſeſe excipiunt:

p. 1. 1) *Hydrocephalus cum defectu caluariae*, Auctore IOH. RVD. ZWINGERO. Femina, plurium liberorum recte valentium mater, poſt nouimeſtrem geſtationem partu non admodum difficili puellum enixa eſt, cuius ſuperior capitis pars tumore inaequali, molli, frigido, huc illucue mobili, fluctuante et inclinato retrorſum capite pone aures quaſi pendulo deformatus apparebat; reliquum corpus nihil a naturali conformatione recedebat. Inter ea

puellus

puellus iſte aegre vitam trahens, languidus, ſenſimque tabeſcens vigeſimo poſt natiuitatem die, praeuiis conuulſiuis motibus, vita eſt defunctus. Poſt mortem tumor idem erat ac immutatus, cuius ſectio ſequentia oſtendit. Cutis durae matri tam firmiter cohaerebat, ut aegre poſſet diuelli, oſſa autem frontis, ſincipitis et temporalis, ſolo occipitis oſſe excepto, deficiebant, inter duram et piam matrem, an arachnoidea quoque deſiderabatur? ad latera in primis et poſteriora verſus aquae tenuis, pellucidae et inodorae notabilis copia, velut in ſacco membranaceo, fluctuabat; in dura meninge hydatis pellucida, ex minoribus conglomerata folliculis, in cerebro ipſo corticalis et medullaris ſubſtantia diſtincte, reliqua vero minus diſtincte apparebant, cerebellum, oblongata medulla et nerui nihil ſingulare oſtendebant. Hiſtoriae huic alias aliorum auctorum obſeruationes addit, cum quibus vero hic memoratus caſus, ob oſſium cranii defectum, non conuenit. Cauſas etiam porro recenſet, quae eius modo morbum producere valent, omnes vero illae notae ſatis ſunt atque cognitae.

2) Idem refert caſum *de mictu cruento, cum veſica tota calloſa.* Vir quinguaginta annos natus, habitus gracilis, temperamenti ſanguineo melancholici, quietem amans, ſtudio ſanctimoniae ſe caſtigans, in meditatione aſſiduus, abſtinentia et ieiunio ſe macerans, diu ex voto valens, triſtitiae ſenſim indulgens et tandem ad melancholiam propenſus, An. 1731 circa ſolſtitium absque manifeſta cauſa cum ardore et difficultate micturire coepit, et, cum morbus hicce per plures dies perſeueraret, imo ingraueſceret, medici opem implorauit. Signum calculi nullum animaduertebatur, pulſus erat naturalis, appetitus bonus, ſitis nulla, ſomnus turbatus, urina craſſa, rubicunda, ſemiopaca, quiete ſubſidens et in fundo cruo- p.13.

rem oſtendens. Videbatur itaque morbus veſicae vitium pro cauſa habere, ac dyſuriae haemorrhoidalis ſpeciem prae ſe ferre, hinc conſilium erat, ſanguinis copiam minuere, impetum eius a veſica auertere, acrimoniam lenire, et vaſcula praeter naturam hiantia claudere. Hunc in finem diaetam refrigerantem, ſanguinis miſſionem eamque repetitam, clyſteres emollientes, emulſiones cum gummi arabico et apozema laxans adhibuit Cl. Auctor; atque his, aliquando mutatis, remediis, in primis urticae ſucco expreſſo, non omiſſis fomentis et paregoricis inſeſſibus, aliquod leuamen ſentiebat aeger, recurrens vero triſtis morbi ſcena, dyſuria et thrombi ſanguinei urethram obdurantes grauem et veſicae et alui teneſmum cum plenaria urinae retentione efficiebant; ita per unum alterumue menſem ſe res habuit. Inter ea vero ſenſim appetitus defectus, ſitis aucta, pulſus acceleratus et verſus veſperam calor obſeruabatur, et contra nouum hunc morbum corticem peruuianum, pillulas balſamicas, ſimulque demulcentia et anodyna uſurpauit Auctor. Neque hic ſubſtitit morbus, nouum oriebatur nunc ſymptoma, et in medio hypogaſtrio ſupra pubem durities indolens, cute non mutata, inueniebatur. Nouembris initio omnia peiora fiebant, urina per ſtillicidium prodiens, vix ſanguinolenta, ſed potius pallida, cui etiam plane ſimilis, inuito aegro, per aluum exſtillabat, tandemque die 29. Nouembr. conuulſiuo inſultu correptus animam perdidit. Facta nunc ſectione, abdominis muſculis et peritonaeo remotis, tumor obſeruabatur, totam peluim occupans, ſupra os pubis aſſurgens, durus, albicans, qui ipſa erat urinaria veſica tumida atque calloſa, intra cuius medium parua ſupererat cauitas in urethram peruia, interna ſuperficies non ulceroſa et in ipſo cauo nec ſanguis, nec pus, parum modo urinae deprehendebatur. Via in inteſtinum rectum aperta deprehendi non potuit,

ure-

uretheres, cum veſica connexi, ampliati et in renibus nil ulceroſi, nec calculoſi erat. Internam recti inteſtini faciem eiusque cum veſicae collo nexum explorare non licuit. Explorauit vero ante mortem chirurgus illud, et nullum ulceris vel fiſtulae veſtigium animaduertere potuit. In addita animaduerſione alia eius modi morbi recenſentur exempla, et in primis in vias, per quas urina in rectum deducta fuerit, fuſius inquirit Auctor.

3) Eiusdem Cl. ZWINGERI obſeruatio *de lacerta aquatica, viua a puella per aluum reddita.* Ruſtica puella annos 12. nata, optime antea valens, aeſtiuo tempore An. 1738. caſu ex alto delapſa, absque motu et ſenſu iacebat; mulier quaedam ex propinqua foſſa aquam ei adſperſit ſimulque ori deglutiendam eam ingeſſit, unde paulatim ad ſe rediens conualuit quidem, vix tamen proſperam valetudinem recuperare potuit, ſed ſucceſſit praecordiorum anxietas, motus in abdomine inſolitus, pluraque alia ſymptomata. Initio veris ſubſequentis anni omnia grauiora reddebantur, et conuulſiui nunc motus totum corpus occupabant. Plurimae, fruſtra vero, adhibitae fuerunt medicinae, et vermium latentium orta ſuſpicione a loci Parocho propinatum fuit oliuarum oleum cum ſyrupo fl. perſicorum. Conuulſiui vero motus tam diu perſeuerarunt, donec medio Aprilis, poſt grauiſſima in ventre oborta molimina, animalculum, cum lacerta aquatica GESNERI exacte conueniens, ex aluo elapſum omnis morbi finem fecerit. Diſquirit ulterius Auctor, qua ratione lacerta puellae ventriculum ſubierit, et num omnia morbi ſymptomata huic ut cauſae tribuenda ſint, et tandem qua de cauſa coacta lacerta ex corpore exiuerit. p. 22.

4) EMANVEL KOENIG *de ore et proboſcide vermium cucurbitinorum.* Obſeruatio haec animaduer- p. 27.

 ſiones

ſiones continet in VALLISNERIVM, quo pateat, an huius de vermium cucurbitinorum indole excogitatae coniecturae firmo nitantur fundamento, nec ne. In primis vero de oculis vermis eiusque reptatu controuerſia agitur. Propria experientia didicit Cl. Auctor, viuum eius modi vermem calidae manus dorſo impoſitum tranſuerſim repere, ita ut media parte longioris lateris, ubi tuberculum mammillare ſitum eſt, in arcum eleuata, reliquisque extremitatibus motu vermiculari contractis, in ea moueatur linea, quae ad illud tuberculum tendit; cumque vitro conuexo oculum armaſſet, illud mammillare tuberculum, quod vix amplitudinem puncti lacrymalis habet, circa ora intumeſcere vidit, ex qua dilatata bucca corpus circiter $\frac{5}{4}$ lineae in extremitate longum, fuſcum, inſtar proboſcidis, emiſit, idque verſus lactis guttulam, in manibus haerentem, direxit, paulo poſt vero ſubito iterum illud retraxit. Atque ita cognouit, quid ſit punctum illud fuſcum, quod ad diſtantiam fere unius lineae a tuberculo mammillari deprehenditur. Cum enim vermis proboſcidem emiſiſſet, ſtatim illud corpus euanuit, illa vero retracta, in priſtina ſede iterum comparuit. Cuinam itaque uſui deſtinatum ſit illud tuberculum porro nunc diſquirit, atque hoc ipſum os eſſe, quo cibum capiant vermiculi, concludit. Cur vero aliquando ſolitarii viuant, aliquando in catenam coniuncti repant, poſt ea perpendit, et varia, quae eam rem illuſtrant, experimenta ex Diſſ. IOH. ERNSTII de taenia ſecunda Plateri adducit. Haec vero, quae ipſe Cl. KOENIG inſtituit, repetere haud licet.

p. 43. 5) *Caſus de ſuffocato puero, a ſemine phaſeoli in aſperam arteriam illapſo, conſcriptus a* FRIDERICO ZWINGERO. Puer octo annorum aetatis, inter pueriles luſus ſemen phaſeoli vulgaris TOVRNEF. p. 412, naribus immittebat, ut illud per os iterum, ſicut

ſicut antea aliquoties fecerat, emitteret. Verum male res ceſſit. Semen nempe naribus attractum, ac per glottidem in aſperam arteriam delatum ore reddi non poterat; anxius potius et cum difficultate ac tuſſi reſpirare coepit puer, et mater, digito faucibus immiſſo, vomitum quidem excitauit, ſemen vero minime reiectum fuit. Tandem chirurgus ſpongia, ſtylo ferreo alligata, ac in fauces dimiſſa, ſeminis protruſionem tentauit, iterumque vomitorium adhibuit. Tertio tandem die medicus vocatus puerum inquietum ac debilem, reſpirationem ſuffocatoriam, et alia, quae ſuffocatiuum aſthma indicant, ſymptomata obſeruauit, cuius cauſa omnino ſemen, cauum tracheae quodam modo obſtruens, videbatur. Fomenta itaque emollientia iugulo imponere, ſimilemque vaporem ore inſpirare iuſſit, interne ſimul eius modi medicinis adhibitis, quae et lubricant et emolliunt. Praeter ea bronchotomiam inſtituendam eſſe monuit, hac vero non admiſſa quarto die exſpirauit aeger. Iugulo poſt mortem inciſo, ſemen in trachea reperiebatur tumidum valde atque emollitum. Quae de aliis eius modi caſibus, et de inepta, ope ſtyli cum ſpongia protruſione, porro monet Cl. Auctor, lubenter omittimus.

6) Eiusdem Auctoris *obſeruatio, de riſu inuoluntario conuulſiuo, quem febris purpura rubra et alba ſequebatur.* Virgo viro iuueni nupta, nocte a celebratis nuptiis media, protinus ſine euidenti cauſa vehementer ridere, mox paululum quieſcere, iterumque iteratis vicibus ridere coepit. Inter ea ſolito magis in aleſcebat, ſitiebat, et laſſitudinem muſculorum in riſu agentium percipiebat, reliquae in corpore actiones optime ſeſe habebant, et quaerenti reſpondebat, ſe nihil quicquam ridiculi in animo voluere, riſum tamen cohibere nullo modo poſſe. Materiam, quae per interualla neruos quorundam muſculorum irritat, p. 47.

cauſam morbi eſſe exiſtimauit Cl. Auctor, atque hinc diluentia, antiſpaſmodica et anodyna adhibuit, quibus etiam id obtinuit, ut febre accenſa et erumpentibus rubris ſtigmatibus, quibus albae veſiculae interſperſae erant, riſus ſenſim minueretur, penitusque ceſſaret. Nouo vero hoc morbo, miliari febre, ſublato conualuit aegra et incolumis vixit.

p. 50. 7) Obſeruationem *de fungo peculiari, autumni tempore reperto* idem Cl. Auctor proponit. In tertia parte deſcriptionis hiſtoricae ac naturalis agri Baſileenſis hunc ipſum fungum iamiam recenſuit, ex eoque libro nunc et deſcriptionem et iconem repetiit Auctor. Appellatur ibidem *fungus nigricans rarus, pedunculo longo tenui, capitulo cauo rotundo reticulato aut feneſtrato.* Fungoidis vero nomine illum potius inſigniendum eſſe nunc monet, proxime enim ad hoc genus accedit. Perpendiculariter e terra ſurgit, et ſubſtantiae eſt tenerae ac rarae, intraque breue tempus perit; color fuſcus aut nigricans; pedunculus ſtramineum tubulum craſſitie aequans; membranaceus eſt totus, cauus, abitque in capitulum, forma ſua dimidiatam ſphaeram cauam referens, et ex membrana admodum ſubtili reticulata compoſitum. Hunc fungum, licet a nullo vel deſcriptus vel delineatus hactenus fuerit, aliquo modo cum illo conuenire, quem MICHELIVS T. 86. f. 5. delineauit, ipſe Auctor monet. Additae icones tres diuerſae magnitudinis fungos ſiſtunt.

p. 52. 8) IOH. HENRICI RESPINGERI *obſeruatio hydropis peritonaei.* Femina per plures annos inſignem abdominis tumorem, quotidie magis increſcentem circumgeſtauerat, cuius poſt mortem ſectio ſequentia exhibuit. Abdomen antrorſum et inprimis circa os pubis prominens, ad attactum elaſticum, renitens, umbilicus vix dignoſcendus, epi-

dermis

dermis ſplendida, tenera, vaſa cutanea magna. Filum abdomini circumductum longitudine erat 3 pedum et 2 pollicum cum dimidio. Inciſione in cauum abdominis facta humor *dilutus*, turbidus, flaueſcens, ſubpurulentus, *viſcidus*, plurimis filamentis impraegnatus, inodorus, inſulſus, pleno ſaltu ſcaturiebat, qui erat menſurarum circiter duodecim. Ex toto tandem diſciſſis abdominis muſculis inueniebatur ſaccus notabilis, qui antea lympham continuerat, et huius exterior ſuperficies ſimili liquore obducta, a plurimis cellulis vel tumoribus, lympham viſcidam flauam continentibus, maxime inaequalis erat. Nullum vero abdominis viſcus conſpiciebatur, ſed magnum hoc cauum abdomen exenteratum mentiebatur. Re autem curatius examinata, apparuit, varia hic adeſſe caua, a peritonaeo facta, quae ipſa viſcera valide et retrorſum et inferiora verſus urgebant. In peculiari enim cauitate ventriculus et hepar, in alia veſica urinaria et uterus, in alia alia repoſita erant viſcera. Haec ipſa caua, et qua ratione in primis a peritonaeo extenſo formata fuerint, ſtudioſe diſcribit Auctor, ſimulque diſquirit, an hic ipſe morbus recte peritonaei hydrops dicatur.

9) *Betulae nanae ſiue minoris deſcriptionem* ABRAHAM GAGNEBIN proponit. Gallica lingua ea fere hic legitur plantae deſcriptio, quam et in lapponica flora et in ſingulari de ea diſſertatione antea LINNAEVS exhibuit; repetita etiam ea ſunt ſynonyma, quae idem collegit, quibus praeter ea dubium illud THALII ex HALLERO additum fuit. Quae vero de foliorum motu, ſapore nitroſum volatile manifeſtante et aliis qualitatibus ipſe Cl. Auctor profert, repetere nolumus. p. 58.

10) IOH. HOFERI *obſeruatio de polypo faucium et oeſophagi feliciter extracto.* Virgo ad quadrageſimum p. 62.

aetatis

aetatis annum febre catarrhali et coryza, quouis autumno redeunte, vexata, tandem quadrageſimo ſeptimo menſium fluxus defectum paſſa, quinquageſimo quinto eodem catarrhali morbo tentata fuit, hoc vero licet ſublato, aliquid adhuc morboſi corpori ineſſe nouum ſymptoma oſtendit. Non niſi enim rauca voce loqui valens, inſoliti quid inter deglutiendum ſenſit, emunctis vero naribus non nulla verba clara voce eloqui potuit. Varia a variis adhibita quidem, cum vero cauſa morbi omnes fefellerit, incaſſum acta fuere; tandem vero aegra crebro tuſſiens ſaepiusque ab irritatione ad vomitum incitata, polypum liuido nigrum ad dentes inciſores uſque in os euomebat: hunc itaque Cl. Auctor retro et infra tonſillam ſiniſtram, verſus finem ſtylopharyngei muſculi, linteo in anteriore parte obductum, digitis manus ſiniſtrae arripiebat, dextra vero forcipe accommodata munita, eum in parte poſteriori prehenſum, verſus oppoſitam tonſillam trahebat, idque repetitis vicibus agens, illum una cum parua membranae interioris oeſophagi parte a gula ſeparabat atque extrahebat. Figura huius polypi ex icone addita quodam modo intelligitur.

p. 64. 11) Idem Cl. Auctor, aliam et ſingularem plane obſeruationem *de tetano maxillae inferioris in infantibus* proponit, cuius in Heluetia hyeme in primis atque humido aere maxime frequentis morbi ſequens eſt hiſtoria. Subiectum eius infans eſt, qui inter tertiam et duodecimam aetatis diem verſatur, robuſtus aeque ac debilis, qui partu felici editus, haud difficilius morbum eludit, quam qui difficilioris partus aerumnas perpeſſus eſt. Maxilla inferior immobilis ac rigida in eo ſitu manet, ut intra utriusque maxillae gingiuas vix duarum linearum ſpatium interpoſitum, lactationem difficilem reddat. Muſculi inferioris maxillae motui dicati parum tument, quadra-

quadratus vero labii inferioris lignum, ſua duritie, aemulatur, maxilla per omnem morbi decurſum ſitum non mutat; ea autem, quae poſt gingiuas haerent, facillime deglutire valet infans; labiorum motus non plane ſuppreſſus eſt, aluus ſemper magis adſtricta, abdomen flatibus diſtentum, ſomnus inquietus, tranſactis 36 vel 48 horis ſine ulla ſymptomatum mutatione, aucta modo debilitate, plerique moriuntur. Particularem hunc tetanum aliquando comitatur uniuerſalis. Si infans quintam a morbi initio diem tranſegerit, certiſſime tutus erit. In therapia ad duo reſpiciendum eſſe monet Cl. Auctor, primo ne aeger ex nutrimenti defectu pereat, ſecundo ut ſpaſmorum violentia blandis, roborantibus, acre tollentibus, ſanguinis vero motum minime augentibus medicinis ſoluta, debito iterum modo nutriatur infans.

12) Aliam *de eodem morbo in femina* obſeruationem exhibet idem HOFERVS. Femina, tribus poſt decimum puerperium elapſis menſibus, matutino tempore ſudore largiori perfuſa, frigidae aurae ſeſe exponebat, et valido hinc atque moleſto frigoris ſenſu afficiebatur, quo ſublato, omnisque morbi inſcia prandium volebat aſſumere, os vero cibi introitum recuſabat et ita quidem, ut vix iuſculi tantillum ſorbillare valeret. Maxilla enim inferior rigida erat atque immobilis. Sequenti die monachus, temerarie medicinam exercens, venam iugularem ſecabat et externe aromaticas herbas calide applicandas ſuadebat. Poſt biduum, cum eadem eſſet morbi facies, inſeſſum ad collum usque in balneum aquae, iisdem herbis medicatae, ordinabat, tenſionibus vero muſculorum omnium ſtatim nunc afflicta, vix per duodecim minuta horae ei ſuſtinendo par erat, ideoque ex balneo egreſſa tetanum particularem in uniuerſalem mutatum fuiſſe percipiebat. p. 69.

Ratio-

Rationali tandem medico vocato, decoctis dilutis, antiſpaſmodicis interne datis et externe veſicatorio nuchae applicato, oleoque ex fl. *Slotam* nuchae atque maxillae adſperſo ſanitati reſtituta fuit.

p. 70. 13) Eiusdem Cl. Auctoris *botanica quaedam ſequuntur obſeruata. Scheuchzeria*, quae Baſileae in elatioribus ſicciſſimis locis creſcit, ab illa, quae in Lapponiae humidis locis reperitur, aliquo modo diuerſa deprehenditur. Planta enim, quam in lapponica flora delineatam LINNAEVS exhibuit, floralia folia, habita ipſius plantae ratione, magna, illa vero nulla plane habet; in illa florum cauliculi omnes aequales ſunt, in hac vero quaſi pyramidis in modum a culmo diſtant; petala illius e flauo in album, huius ad viridem colorem accedunt. Capſulas poſt ſingulum florem fere ſemper tres, nunquam plures inuenit, et in illis plurima ſemina, receptaculo columnari affixa, deprehendit Auctor. Repetitis etiam vicibus *vulgaris lauri* examen inſtituit noſter, et non nulla conſtanter inuenit, quae definitioni floris, a LINNAEO datae, non reſpondent. Inuolucrum generale tetraphyllum, marceſcens et ante florum aperturam deciduum, foliolis conſtat rotundis, concauis, quae flores, quinque ut plurimum pedunculatos, alternatim pedunculo, calycem ſuſtinenti, inſertos continent. Corollae petala quatuor, ouato acuminata, concaua, erecta, aequalia, nectarium etſi vitro oculum armauerit, nullum, et ſtamina nouem ſemper inuenit. Hanc differentiam a mutato climate oriri, dubitat Auctor, licet in aliis plantis idem ſaepe eueniat. Citrei enim ſpecies ab aurantiis id peculiare habent, ut tertius quiuis flos maſculinus ſit, imo aliquando, niſi debita hyemali tempore adhibeatur cura, omnes flores maſculini euadant. Cum itaque per accidens polygamiae generentur plantae, illam LINNAEI claſſem minime naturalem eſſe exiſtimat.

14) NI-

14) NICOLAI WILLII *obſeruatio de abſceſſu muſculorum abdominis et lumbrico in abſceſſu reperto.* Femina octauo circiter grauiditatis menſe vehementem in infimo ventre, a regione pubis ad ilia dextri lateris ſeſe extendentem, dolorem ſentiebat, qui, abſque ullo tumore, rubore, duritie, ad attactum multum augebatur, ſenſim aliqua durities cum incipiente tumore apparebat, et, licet adhibita fuerint reſoluentia, tumor tamen cum inflammatione, ac febris indies creſcebat, ita ut ſuppuratio et abſceſſus immineret; emollientibus itaque et maturantibus adhibitis tumor emollitus et ad maturitatem productus fuit; ex quo, rupto tandem, plures puris menſurae exiuere. Exhauſta nunc purulenta materia medicamenta conuenientia adhibuit Cl. Auctor, quorum inter uſum aegra prolem ſanam validamque naturali partu excludit. Aliquot dies poſt abſceſſus apertura dilatata corpus heterogeneum in huius cauitate ſeſe offerebat, quod et ſine omni adhibita vi penitus extrahebatur. Hoc ipſum lumbricus erat teres, illis ſimilis, qui in canali inteſtinorum habitant, ſpithamam circiter longus, ſed mortuus; praeter ea obſeruabatur in eodem nodus, ut icon appoſita docet. Vndenam vero et quo modo hic vermis eo peruenerit, inteſtinis illaeſis, non definit, atque ſic verme excreto labia ulceris ſenſim coire atque penitus conſolidari coeperunt. p. 73.

15) Huic alia eiuſdem Auctoris ſubiungitur obſeruatio *de abſceſſu muſculorum abdominis, ruſtici quinquagenarii perſanato.* Qui caſus priori, excepta vermis hiſtoria, fere ſimilis deprehenditur, ſed cum nihil ſingularis aut inſoliti oſtendat, illum repetere nolumus. p. 76.

16) *Caſus abſceſſus meſenterii, diarrhoea purulenta ſoluti,* obſeruatus a IO. RVDOLPH. STVPANO. Virgo decimum nonum aetatis annum agens, horrorem lentumque calorem, verſus veſperam in primis, per p. 78.

aliquot dies experta, ob inſignem tandem totius corporis languorem lectum petere cogebatur. Pulſus celer erat et quodam modo durus, facies lurida, appetitus proſtratus, tuſſis cum reiectione materiae albae, urina cruda, et in extremitatibus aderat frigus, multum praeter ea de ardore atque faucium dolore torminibusque conquerebatur aegra. Paulo poſt tumorem, durum aliquo modo, natum fuiſſe indicabat aegra, qui ab ſiniſtro hypochondrio ad umbilicum uſque ſeſe extendebat, et cum grauatiuo ac ex attactu uel mutato corporis ſitu aucto dolore erat ſtipatus. Hunc ipſum vero in interioribus, et quidem intra ipſas meſenterii membranas, deliteſcere, illumque in abſceſſum abire, ex adductis phaenomenis collegit Cl. Auctor, cuius cauſa fuit frigidus potus aeſtuanti corpore ingeſtus. Medicamenta varia, quae minus efficacia nobis videntur, aut benigna potius natura copioſo puri, quod tres circiter menſuras aequat, per meſaraica vaſa in inteſtina aperuere viam, quod ſucceſſiue intolerabili cum foetore per aluum ſeceſſit; atque ſic, adhibitis nunc medicamentis roborantibus et antiſepticis, ſuccino, caſcarilla, myrrha, herbisque vulnerariis ex ancipiti morbo cum priſtina ſanitate in gratiam rediit aegra.

p. 81. 17) IOH. HENRICI RESPINGERI *obſeruatio duorum ouorum monſtroſorum ſatis ſibi ſimilium.* Oua haecce ſingularis figurae, ſine teſtacea ſubſtantia excluſa, optime additis iconibus diiudicari poſſunt.

In altera quaſi parte Actorum recuſae denuo exhibentur tres diſſertationes, antea ſeorſim editae, ac Baſileae pro doctoris gradu capeſſendo ab Auctoribus
p. 1. defenſae. *Prima* eſt *de ouario virginis hydropico,* Auctore IO. HVLDRICO PEYER IMHOFF. *Secun-*
p. 30. *da* continet *hiſtoriam renis ſiniſtri tumidi atque corrupti in cadauere reperti* a IOH. MARTINO OTT
p. 49. deſcriptam. *Tertia de aneuriſmate vero pectoris externo,*

terno, *hemiplegiae ſobole*, hiſtoriam IOH. IAC. WELTINVS explicatam dedit.

XI.

IACOBI THEODORI KLEIN Secr. Civ. Ged. Soc. Reg. Lond. et Acad. Scient. Bonon. Membri. Quadrupedum diſpoſitio breuisque hiſtoria naturalis. Lipſ. apud Ionam Schmidt, Bibl. Lubec. 1751. 4. pl. 16. tab. aen. 5.

Cl. Auctoris merita in hiſtoriam naturalem omnibus, qui hanc amant ſcientiam, ſatis ſunt ſuperque cognita, de quadrupedibus digerendis autem diu ſollicitus, olim iam eam, quae a Cl. LINNAEO data eſt, diuiſionem, ut inſufficientem reiecit,* nouique methodi generalem ideam in praefatione *prodromi de auibus* nuper demum exhibuit, quam nunc ulterius perſecutus, variis in locis et emendauit et auxit. Id, quod illi, qui ea, quae occaſione huius libri ſupra monuimus, repetere placuerit, non poterit eſſe obſcurum **. Nos in declaranda praeſentis operis diſpoſitione, eundem ſeruaturi ordinem, totius methodi generalem quandam proponimus tabulam, quo uno quaſi intuitu uniuerſi operis ambitus pateſcat. Diuiduntur autem quadrupedia cuncta in tres ordines, in ungulata nempe, digitata et depilata, his genera adiunguntur et ſpecies, de quibus ſpeciebus, licet ita ſentiendum ſit, ut poſſint quaedam pro varietatibus haberi, cum incompletae auctorum deſcriptiones, extricandis veris differentiis vix

 ſufficiant,

* Conf. Cl. Auctoris ſumma dubiorum circa claſſes quadrupedum et amphibiorum in Cl. CAR. LINNAEI ſyſtemate naturae, ſiue naturalis quadrupedum hiſtoriae prodromus. Gedani 1743. 4 mai. c. f.

** Vid. Commentar. Vol. I. P. I. p. 50.

ſufficiant, notae tamen a colore, magnitudine aliisque externis conditionibus deſumtae et ſtudioſe additae, forte et in poſterum his ipſis accuratius digerendis inſeruire poterunt. Illud autem monendum eſt, Auctorem ipſum huic operi quandam methodi tabulam ſynopticam addidiſſe, quae vero, cum generum tantum, in ordines et familias diſtributorum, diſpoſitionem contineat, a nobis appoſitis curioſe diſtinctionis notis aucta eſt. Praeter ea et illas ſimul ſpecies, ab Auctore allatas, praeterire noluimus, quae penes alios ſingularia conſtituunt genera, hic vero, ex uniuerſalibus quibusdam conditionibus conuenientibus, ſibi iunguntur, reliquas ipſis animalis hiſtoriae ſtudioſis perſcrutandas relinquimus.

Tabula methodi quadrupedum:

Ordo. I. Vngulata.

Familia I. Monochelon ſ. Solipes.

1. auribus erectis. *Equus* §. 4.
   - cauda undique ſetoſa. *Domeſticus.*
   - pilis fimbriatis et lineatis. *Ferus.*
2. auribus neglectis. *Aſinus*
   - cauda extrema ſetoſa. *Vulgaris.*
   - biformis, hybridus. *Mulus.*
   - ſylueſtris. *Onager.*

Familia. II. Dichelon ſ. Biſulcum.

A. Cornutum.

1. *Taurus* §. 5.
   - cornubus breuibus, rectis, ad radicem craſſis. *Domeſticus.*
   - collo iubato, dorſo gibboſo. *Ferus. Biſon.*
2. pecus lanare. *Aries.* §. 6.
3. piloſum plerumque barbatum. *Tragus.* §. 7.

α. cornu-

α. cornubus longis, medio complanatis, aduncis, acutis. *Domeſticus. Hircus.*

β. nodoſis, ad dorſum reclinatis. *Ferus. Ibex. Capricornus.*

γ. nodoſis, acute hamatis, labro ſuperiori ſulcatis. *Dorcas. Rupicapra.*

δ. inflexis, contortis. *Strepſiceros. Gazella.*

ε. absque cornubus plerumque, dentibus caninis ſuperioribus exſertis. *Moſchiferus. Moſchus.* §. 8.

ζ. medio capite faſciculo piloſo inſtructo. *Tophocephalus. Capra ſylv. afric.* GRIMMII.

η. cornubus latis, in extremo mucronatis, in dorſum recuruis. *Bezaarticus.*

θ. in anfractum conuolutis. *Tragelaphus.*

ι. imberbes, cornubus ſimplicibus. *Nanus ſ. Guineenſis.*

κ. cornubus breuibus, corpore maculato. *Giraffa. Camelo-Pardalis.*

Collo equo, capite camelo, pedibus boui ſimilis.

4. cornubus ramoſis. *Ceruus.* §. 9.

α. ramis teretibus. *Ceruus nobilis.*

β. in ſummitate latis. *Ceruus rangifer.*

γ. erectis. *Capreolus. Caprea.*

δ. latis, palmatis, ſolidis. *Alce.*

ε. compreſſis in ſummo palmatis. *Dama.*

B. Acorne.

5. Porcus. §. 10.

α. *Vulgaris.*

β. vmbilicum in dorſo habens. *Moſchiferus.*

γ. dentibus duobus ex quaque maxilla exſertis, longis, recuruis. *Babirouſſa.*

Magnitudine cerui, forma, roſtro et cauda apri, pedibus hirci.

δ. auribus longis, acutis. *Guineenſis. Acut-auris.* Pili in dorſo nulli, breues, rufi verſus caudam et collum.

Familia III. Trichelon.

Rhinoceros. §. 11. { Vnicornis. Bicornis.

Familia IV. Tetrachelon.

Hippopotamus. §. 12.

Familia V. Pentachelon.

Elephas. §. 13.

Ordo II. Digitata, Piloſa, omnia ζωοτόκα ſ. Viuipera.

Familia I. Didactylon.

1. digitis unguiculatis pelle coniunctis. *Camelus* §. 16.

α. tuberibus dorſi duobus. *Bactrianus.*

β. vnico. *Dromedarius.*

γ. nullis. *Spurius. Glamæ.*

δ. laniger. *Peruanus. Pacos.*

2. corpore piloſo, cauda nulla. *Silenus. Simia perſonata.*

Familia II. Tridactylon, conſtanter in anticis. §. 17.

1. tarditate inceſſus ſumma, cruribus anterioribus longioribus. *Ignauus.*

2. capite longo, roſtro attenuato, *Tamandua.* §. 18. Lingua emiſſili, tenui, in extremo globulo inſtructa, cauda longa, hirta.

Familia III. Tetradactylon, conſtanter in anterioribus.

A. Loricatum et piloſum.

ſquamatum et cataphractum. *Tatu.* §. 19.

α. lingua et capite teretibus longis. *Muſtellinus. Viuerra.*

β. cauda oſſea, ſquamata, annulata. *Porcinus. Porcellus cataphractus. Armadillo.*

γ. capite pedibusque anomalis. *Caninus. Cynocephalus.*

Digitis

Digitis quinque ſingulorum pedum, tribus mediis maximis, capite craſſo, roſtro canino.

B. Hirſutum.

pilis et voce porcelli. *Cauia.* §. 20. { 1. laeuis. 2. dorſo aculeato. }

Familia IV. Pentadactylon, conſtanter in anticis.

1. auribus longis, labio ſuperiori fiſſo. *Lepus*, §. 21. Cauda breui, plantis pedum hirtis.
2. quatuor dentibus primoribus longiſſimis inter rodendum ſonoris. *Sorex*. § 22.

α. cauda denſe piloſa. *Sciurus*.
pilis rarioribus. *Glis*.
β. tereti glabra. *Mus*.
breui, criſpula. *Talpa*.
inſtrumento volatorio inuoluta. *Veſpertilio*.

3. corpore gracili, longo, pedibus breuibus, capite paruo ſublongo, roſtro producto. *Muſtela*. §. 23.

α. gutture et ventre albo, myſtace ſetoſa. *Vulgaris*.
β. alba, extrema cauda nigra. *Armellina*.
γ. ex ſubflauo albicans. *Muſtela*. *Viuerra*.
δ. pilis duplicibus, breuioribus flauis, longioribus nigris. *Putorius*.
ε. pilis fuſcis, gutture luteo. *Martes*.
ζ. capite et auriculis ex albo cinereis. *Zibellina*.

4. pilis in ſpinam degenerantibus. *Acanthion*. §. 24.
α. vulgaris. *Erinaceus*.
β. aculeis longiſſimis. *Hyſtrix*.
5. capite protracto vel coacto, roſtris variis. *Canis*. §. 25.
6. oculis toruis, rictu truci, cauda craſſa piloſa. *Lupus*. §. 26.

7. pilis longis, denſis, mollibus, cauda villoſa, odore graui, *Vulpes.* §. 27.
8. cauda pilis annulatim variegata. *Coati. Vulpi affinis.* §. 28.

Huc refertur Genetta et Taxus ſ. Meles LINN.

9. facie quadrata, unguibus ſemilunatis in vaginas recondendis. *Felis.* §. 29.
α. domeſtica et ſylueſtris. *Catus.* §. 30.
β. auribus longis, apice villoſis, cauda truncata. *Lynx.* §. 31.
γ. fronte elongata, humero lunato, oculis paruis, collo longo, tenui. *Pardus.* §. 32.
δ. maculis oblongis, virgatis. *Tigris.* §. 33.
ε. pectore iubato, ſuperciliis oculisque prominentibus. *Leo.* §. 34.
10. corpore lato, hirſuto, villoſo. *Vrſus.* §. 35.
11. dentibus validis, acutis, corpore amplo, pedibus caudaque breuibus, piloſis. *Gulo.* §. 36.
12. corpore, hominis analogo. *Satyrus.* §. 37.
a. cauda nulla vel perexigua. *Simia.* §. 38.
b. caudatus, *Cebus. ſ. Cercopithecus.* §. 39.

Familia V. Anomalopes. Pentadactylon.

Pedibus anſerinis ſ. quocunque modo coalitis ſ. Amphibia. §. 40.

1. digitis omnibus membrana coniunctis. *Lutra.* §. 41.
2. pedibus poſterioribus et cauda anomalis. *Caſtor.* §. 42.

Pedum anteriorum digitis 5. diſcretis, poſterioribus concretis, cauda glabra, ſquamoſa, longa.

3. digitis omnibus cute tectis, cruribus breuibus. *Roſmarus.* §. 43.

Capite craſſo, plano, in fronte fiſtulis duabus inſtructo, dentibus inciſoriis duobus lunatis, ſulcatisque ex maxilla ſuperiori exſertis.

4. pedi-

4. pedibus poſterioribus extenſis, connexis, auriculis nullis. *Phoca.* §. 44.

5. nullis, ſed cauda informi, lata. *Manatus. Vitulus marinus.* §. 45.

Ordo III. Depilata, vel tecta vel nuda, omnia ὠοτόκα ſ. ouipara.

A. Teſtudinata.

capſula teſtacea tecta. *Teſtudo.* §. 47.

α. digitis diſcretis. *Vulgaris, terreſtris, aquatica.*

β. pedibus anomalis. *Marina.* §. 48.

B. Cataphracta.

1. dentibus longis, ſubulatis, pectinatim coeuntibus, roſtro recto. *Crocodilus.* §. 49.

Lingua nulla.

2. roſtro depreſſo, breui, angulato. *Caimanus.* §. 50.

Praecedenti minor, ventre coacto, ſtricto.

C. Nuda. ſ. cute vel glabra, vel ſquamata, non ſcutata.

1. capite roſtroque ſerpentino, lingua bifida, nuda. *Lacertus* { dorſo laeui. §. 51. / pectinato. §. 52.

2. linguaque craſſis, latis, carnoſis. *Lacerta Salamandrina.* §. 53.

3. breui, digitis breuibus, rotundis, lingua breui, craſſa. *Salamandra.* §. 54.

Eſt viuipera, oua in utero excludit.

4. cute ſquamoſa, pedibus pentadactylis, extremis latis, rotundis, unguiculatis. *Gekko.*

5. cauda ſquamoſa, ſpinoſa, erecta. *Cordylus. Vromaſtix.*

6. ſquamulis lucidis, cauda lente decreſcente, colore flauo. *Scincus.*

7. pedibus exiguis, latitudinis ſemper decreſcentis. *Seps.*

8. dorſo et ventre arcuatis, corona capitis trigona, oſſea, ingluuie ſerrata. *Chamaeleo.* §. 55.

9. pedibus anticis tetradactylis, poſterioribus pentadactylis, membrana coniunctis. *Batrachus.*

a. abdomine tenui, cruribus gracilibus. *Rana.* §. 56.

b. trunco aequaliter amplo, cruribus inertibus. *Bufo.* §. 57.

Huc pertinet *Pipa*, dorſo pullifero.

Haec uniuerſi operis eſt diſpoſitio, ex qua ſatis patere arbitramur, eiuſmodi a Cl. Auctore propoſitas fuiſſe diſtinguendorum quadrupedum notas, quae conſtantes ſatis ſunt, et primo quoque eorum conſpectu in oculos incurrunt, ita quidem, ut, ſi in poſterum quoque multiplici animalium perſcrutatione certae quaedam et indubitatae diſtinctionis notae adhuc fuerint additae, haec pro naturalis methodi fundamento poſſit haberi. Liceat nunc quaedam, illaque pauciora, quae ſpecierum recenſioni immixta ſunt, adducere.
p. 7. Dum de ſylueſtri agit Aſino ſiue de Onagro, an cornuti exiſtant quaeritur, id quod, licet varii affirmare non dubitent, exploratum tamen non eſt, ſimulque Vnicornu plerumque terreſtre deſcribitur, ad hanc claſſem referendum. Verum, cum alii Vnicornu illud ad piſcium magis genera pertinere intelligerent, et Phyſeterem Narwhal cornu inſtructum eſſe obſeruarent, haec de Vnicornu terreſtri ſententia multum et valoris et fidei perdidit, in primis, cum plura, quae de illo narrantur, ab aliis ſoleant Rhinoce-
p. 26. roti adſcribi. Huius Rhinocerotis deinde ſuo loco amplam ſane Cl. Auctor ſuppeditat deſcriptionem, de cuius animalis cornu controuerſia inter varios agitata eſt. Hanc autem, non nullorum auctorum confirmatus teſtimoniis, ita dirimit, ut duas eius ſpecies eſſe contendat, unicornem aliam, aliam bicornem.
p. 32. Illam Aſiaticarum, hanc Africarum regionum incolam,

lam, ſuperius vero cornu prae inferiori plerumque breuius eſſe minusque, prout adductae eorum delineationes confirmant. Tamandua ſeu Myrmecophaga LINNAEI non nunquam et urſus formicarius vocatur, a quo tamen toto coelo differt. Diſtingui itaque debet hoc animal a Polono urſo, formicarum etiam dicto, nigricante, quippe qui ad veros pertinet urſos. Tandem de iconibus, huic operi ſubiunctis, notandum eſt, tres eorum priores tabulas, quarum I. caput cornutum Cerui rangiferi, II. cornua Rhinocerotis, III. Cebos, Hippopotamum et Lepores cornutos ſiſtit, olim iam in prodromo hiſtoriae quadrupedum fuiſſe propoſitas, reliquas autem recentes nitideque exſculptas acceſſiſſe, ex quibus IV. Tamandua, V. Gulonem repraeſentat.

p. 45.
p. 82.

XII.

Otia Metallica, *oder Bergmänniſche Neben-Stunden, darinnen verſchiedene Abhandlungen von Berg-Sachen aus den Geſchichten, Berg-Rechten, Natur-Lehre auch andern Wiſſenſchaften, nebſt etlichen Bergwercks-Urkunden und Kupffern enthalten ſind. Andrer Theil. Schneeberg, bey Carl Wilhelm Fulden, 1751. 8. 1. alph. 3 kupfertafeln.*

Id. eſt.

Otia metallica ſ. diſquiſitiones de rebus metallicis. Pars altera.

Prior horum otiorum pars anno huius ſeculi quadrageſimo iamiam et octauo prodierat. Auctor eorum, qui huic parti ſuum adpoſuit nomen, ADOLPHVS BEYERVS, qui fodinarum Schneebergenſium rationes ducit, hunc quidem ſcopum habuiſſe videtur,

tur, ut Saxoniae ſodinas vel deſcribat, vel varia, ad ea pertinentia, momenta illuſtret, exteris tamen hanc quoque, de iis factam, relationem non ingratam eſſe futuram ſperamus, quo maiorem illae fodinae ſemper laudem fuerint promeritae. Optandum tandem fuiſſet, ut Auctor et iis, qui ad penetralia perſcrutandarum ſcientiarum peruenire cupiunt, ſatisfeciſſet. Septem diuerſae huic parti inſunt tractatus.

p. 4. I) *Docimaſia ſine igne.* Celebri illi, quod ab ARCHIMEDE originem habet, ceu fundamento nititur inuento, ex quo ſequitur, ut corpus, aquae immerſum, tantum amittat ponderis, quantum aquae, cui immittitur, expellit, id quod ob magnitudinem aeque ac pondus corporum multum differre ſolet, ita tamen, ut mathematici certas quaſdam corporum et ponderis deperditi inter ſe factas relationes, ſaepe iteratas, ut conſtantes deprehenſas, annotauerint et in tabulas
p. 13. redegerint. Quarum illa a STVRMIO, in matheſi iuuenili propoſita, adducitur, nec non alia, de cuius
p. 21. fide tamen non reſpondet Cl. Auctor. In ipſorum autem foſſilium indagatione non abſque utilitate has leges poſſe adhiberi deinde monſtrat, cum illa ex di-
p. 25. uerſis ſaepe mixtisque componantur metallis. Praeter ea alia quoque methodus eſt, quae grauitatem corporis, in aqua ſuſpenſi, docet, per libram, qua ſalinas partes, in liquoribus praeſentes, metimur, *Saltz-Wage*, quippe quae in iis adſcendit vel demergitur, ſi liquor grauis vel leuior fuerit. Praemiſſis iis, quae ad theoreticam huius phaenomeni explicationem pertinent, ad metallorum diſquiſitionem eam neceſſariam
p. 28. eſſe utilemque demonſtrat. Suadet nimirum, ut eiuſmodi librae adaptetur vaſculum cauum, cui immitti puluis metallorum poſſit, pro pondere immiſſi metalli cylindraceus libellae tubus, magis vel minus deſcendens, diuidatur; huius autem ope, adhibitis inſimul iis, quae de priori methodo dicta ſunt, pondus metalli

metalli et admixtorum poteſt intelligi, et per arithmeticas computationes cognoſci, id quod exemplo galenae plumbi, ex crypta Freybergenſi, Kröner dicta, erutae probatur. Sunt tandem huic ſcopo conuenientes aliae viae a SWEDENBORGIO *in Miſcell. Obſeruatis circa res naturales*, *Lipſ.* 1722, 8 editis, *P. II.* propoſitae, quae ex eius libro in vernaculam linguam translatae hic repetuntur, quantumue docimaſia abſque igne in probandis metallis valeat, breuiter declaratur.

II) *Relatio de fodinis Zinnwaldenſibus, Bohemicae partim, partim Saxonicae ditioni ſubiectis de An.* 1736. p. 48.
Varia hic recenſentur, quae ad modum viuendi, victum, officiumque metallicolarum, ibidem degentium pertinent, nos iis praetermiſſis, phyſicas tantum harum fodinarum conditiones adducemus. Zinnwalda vocatur mons praealtus, ad terminos regni Bohemiae et Miſniae ſitus. Verſus ſeptentrionem et occaſum in eo vena oblique deſcendit, *Donlege*, altiorque eſt in parte Saxoniae, profundior ab illa Bohemiae. Sylva vicina huic, arboribus abundans, lignum carbonesque ſuppeditat ſufficientes. Ante ducentos iam an- p. 58.
nos foſſam quandam ſubterraneam, *Stollen*, ducere coeperunt, quae deinde ulterius promota fuit. Quod ad p. 59.
venas et diuerſa ſtrata attinet, plerumque illae horizontales ſunt. Primo iners ſe offert terra, deinde humus, ſub quo ſaxum, virideſcentis coloris, detegitur. Poſt ea durius iam ſaxum, nigricantibus teſſulis pictum, conſpicitur, quod gneuſum vocant metallici, venarumque tegmen eſt. Huic ſubeſt lapis arenarius albicantis et rutili coloris, metallici *Sandſen*, vel *Sandgen* vocant, ſequitur mica aurei vel argentei coloris, cui nonnunquam minera ſtanni vulgaris, *Zwitter*, eiusque cryſtalli *Graupen*, inſunt. Deinde alia vena horizontalis comparet, ex quarzo, ſchiſto virideſcente arenarioque lapide mixta, quibus ſtanni minera,

minera, cryſtallique maiores, denſiores, euidentioresque inſunt. Denuo poſtmodum mica ſeſe offert, et huius venae baſin, *Sohle*, gneuſus niger, denſus, firmusque conſtituit, qui tamen nouae venae tegmen eſt. Subſequentium autem eadem fere eſt ſtrato-
p. 61. rum ſucceſſio. In fodina, quae *ager unitus*, *vereinigte Feld*, appellatur, octo ſunt venae principes, omnes deſcripto comparatae modo, et nulla dubitandi ratio ſubeſt, ſub his alias adhuc eſſe poſitas. Omnes etiam parallelae decurrunt, et verſus centrum tan-
p. 63. tum paulum inclinantur. In fodina, quae *noua ſpes Dei*, *Neue Hoffnung Gottes*, vocatur, vena eius modi horizontalis, dilatatur *ſchwebender Gang*, pro directione ſua a meridie ad ſeptentrionem procedit, *ſtehender Gang*, et cum anguſtiori horizontali vena communicat, eiusmodi vero foſſilia, ut dictum eſt, exhibet. Interſecantur hae venae per fibras in nonnullis locis, quod *Abeſætzen* dicitur, quarum ea eſt conditio, ut venarum horizontalium directionem quodam modo mutent, et partem, per quam tran-
p. 64. ſeunt, plerumque deorſum deprimant, ut v. c. pendens venae latus cum diſſectae partis iacente cohaereat. Deſcribitur tandem modus ex mineris hiſce parandi ſtannum, quod ſane magna in copia effoditur, cum quotannis mille et plura pondera centenaria eiusdem ibidem parentur.

p. 85. III) *Infinitas Dei ex operibus naturae, in primis ex regno minerali, demonſtrata.* Cum in omni regno naturae noua quotidie detegantur, et in cognitis quoque corporibus partes, quae eas conſtituunt, multis reſolui et diuidi poſſint modis, fundamenta exinde deſumit Auctor, declarandae infinitatis diuinae, additis variis, ex mineralogia praecipue deſumtis, exemplis.

IV) *Diſqui-*

IV) *Diſquiſitio hiſtorica originis fodinarum metallicarum Freybergenſium et in genere in Miſnia reperiundarum.* De hac, cum documenta tantum contineat hiſtorica, pro noſtro nihil monemus ſcopo. p. 137.

V) *Deſcriptio methodi argentum ſeparandi a plumbo in furno anemio.* Methodus parandi teſtam, immittendi maſſam fundendam, depurandi, fuſam autem extrahendi, et quicquid ad operoſum hocce pertinet negotium, concinne deſcribitur additisque furni iconibus illuſtratur. p. 203.

VI) *Hiſtorica et iuridica tractatio de dimenſione fodinarum ſolenni, cum animaduerſionibus ex hiſtoria iuribusque metallicis.*

VII) *De Machinis ad fodinas pertinentibus, praecipue illis, quae ope equorum agitantur.* Huius tractationis inſcriptionem adieciſſe ſufficiat, cum ipſarum machinarum compoſitio absque iconibus, quae additae ſunt, vix intelligantur. p. 337.

XIII.

Traité de la Pharmacie moderne par M. PYRAUX Docteur en Medicine de la Faculté de Beſançon. à Paris chez Delaguette 1751. 8. 13½ pl.

hoc eſt.

Tractatus de pharmacia, ad noſtra tempora accommodata. Auctore Dn. PYRAUX.

Auctor noſter in ſcholis Dn. ROVEL, chemici apud Pariſinos exercitatiſſimi, educatus, pharmaciam in variis Galliae prouinciis negligenter admodum tractari cognouit, hinc, cum non omnibus pharmacopo-

lis

lis curſus chemico pharmaceuticos Pariſiis abſoluere datum ſit, iis in hoc libello fundamenta ſuae, quam
p. 10. tractant, artis exhibere decreuit. Pharmaciam equidem et artem cognoſcendi, colligendi et conſeruandi ſimplicia, et ex his varia compoſita medicamenta praeparandi deſcribit, in ipſa tamen tractatione non veram methodum, ſed ſparſim et ſine ordine expoſita quaedam conſilia, pharmacopolae ſcitu admodum ne-
p. 15. ceſſaria, deprehendimus. Sic enim pauca tantum de collectione plantarum et de ſimplicium ſic dictorum
p. 36. vegetabilium conſeruatione exponit, ad praeparationes pharmaceuticas ipſas properans, quas in diſtinctis, pro differentia nominum ubique receptorum, capitibus proponit: hinc varias decoctorum, puluerum, bolorum, pilularum, aliorumque medicamentorum compoſitiones exhibet. Earum vero perpaucas ex diſpenſatoriis repetit, plerasque potius ſic dictas magiſtrales tradit, quibus pharmacopolae, qui doſes aegrotis aptas diiudicare nequeunt, facillime ſeducuntur, inſperſae his ſunt, ſine ordine tamen, obſeruationes de praeparatione horum medicamentorum, de virtute nonnullorum ſimplicium, et alia; vera autem, in cognitione ſimplicium et elaboratione debita, et accurata praeparatorum et compoſitorum poſita, artis pharmaceuticae fundamenta deſiderantur. Omni igitur iure libellum hunc, inſtructioni pharmacopolarum in variis Galliae prouinciis dicatum, ſufficere ipſis non poſſe, putamus, quippe qui in aliis, gallico etiam idiomate conſcriptis, libris meliora iam iam et uſui magis accommodata inuenient. Placuit Auctori tres illas orationes Cl. DRACKEI, Angli * *de febre intermittente, de variolis et morbillis*, et *de pharmacia ad noſtra tempora accommodata*, translatas addere, quae ultima tantum, cum breuem pharmaciae, ad noſtra uſque tempora continuatam, hiſtoriam et emendationis fundamenta

* Edidit easdem et praefationem adiecit EDWARDUS MILWARD. M.D. Londini 1742. 4. mai.

menta tradit, huc pertinere videtur. Dum celebrem hunc medicum laudat, hiſtoriam medicorum Angliae expectare nos iubet, quo in ſuſcepto labore ne requiſitis deſtituatur adminiculis, et iis, ſi comparauit, feliciter utatur, ex animo optamus. p. 235.

XIV.

Della ſtoria naturale marina dell' adriatico ſaggio del Sign. Dottore VITALIANO DONATI. Giuntaui una lettera del Sign. Dottore LIONARDO SESLER intorno ad un nuouo genere di piante terreſtri. In Venezia appreſſo Franceſco Storti. 1750. 4. mai. pl. 10. tab. aen. 10.

hoc eſt.

De hiſtoria naturali marina adriatici maris tentamen. Auctore D. VITALIANO DONATI. Cui adiuncta eſt epiſtola LEONHARDI SESLERI, de nouo genere plantae terreſtris etc.

Licet praeſens exercitatio inſcio Auctore, vel forte inuito eodem edita fuerit, tamen cum multas easque nouas obſeruationes circa producta naturae in mari reperta exponat, et prodromus quaſi maioris operis dici poſſit, ſummam contentorum huius libri, quem paulo tardius accepimus, nunc demum cum lectoribus noſtris communicamus. Siſtitur enim hic tantum ſpecimen laborum, quos in incrementum hiſtoriae naturalis ſuſceperat Cl. Auctor, cum iter per Iſtriam, Morlachiam vicinasque Italiae prouincias inſtitueret. Hoc patrono ſuo, ANTONIO LEPROTTI, Archiatro Pontificio, tradiderat, unde in manus amici Auctoris CARLI-RVBBI peruenerat, qui idem cum orbe erudito communi-

p. 1. cauit. Ab initio igitur rationem itinerum ſuorum breuiſſimis exponit, ideam generalem fundi maris adriatici, machinas et apparatum ad diſquiſitiones, in mari ſuſcipiendas, ſtudioſe deſcribit, multasque difficultates cum hac diſquiſitione coniunctas eſſe
p. 20. commemorat. His praemiſſis ſucceſſiuas naturae in producendis corporibus mutationes prorſus ſingulares eſſe, in genere oſtendit, et uti in terreſtribus forte tranſitus a plantis minimis ad inſecta, polyporum et lumbricorum exemplo, declarari poſſet, ſic in productis regni animalis et vegetabilis, ſub undis marinis detectis, ſimilem progreſſum accuratius examinauit. Ideoque a plantis ſubmarinis ad polyparos ab his ad plantanimalia tranſit et tandem ad animalia plantis ſimilia deuenit. Adumbrabimus igitur methodicam diſpoſitionem horum corporum, quaedam vero ex his accuratius diſcribemus, quo inde idea operis pateat. Plantae, ſub undis deprehendendae, vel fructificationis partes non exhibent cognoſcendas, vel easdem ſatis certas oſtendunt. Ex his quaedam

I. Semina nuda habent,
- 1. in dorſo poſita
  - *a.* intra fiſſuras circulares. *Pteregoſpermon.*
  - *b.* in minimis vaſculis. *Talatodes.*
- 2. in parte ſuperiori foliorum intra circulum. *Rodopetalon.*

II. Fructibus conſpicuae ſunt.
- A. ſicco fructu. Scilicet
  - 1. Receptaculis ſimplicibus
    - *a.* ad caulem et ramos applicatis.
      - *α.* ſolitariis,
        - 1. alternatim ad caules et ramos diſpoſitis, ſemine cordiformi. *Cerauloton.*
        - 2. oblique in duobus ordinibus in una plantae facie conſtitutis. *Angiſtrelicon.*

3. caule

3. caule nodoſo. *Polyoſteon.*
4. receptaculis in limbo ſpinoſis, uno ſemper limbo alterius affixo. *Epicilicodes.*
β. coniunctis campaniformibus limbis aequalibus. *Syringia.*
b. partim ſuſtentaculo munitis, partim eo deſtitutis. *Aniſocalyx.*
c. a calyce ſuſceptis. *Ittiacanton.*
2. Bacca *
a. ad caulem annexa, ſcil. baccis ouatis,
α. duplicibus et triplicibus ſparſim in caule poſitis. *Virſoides.* **
β. pluribus oblongis, unitis in anteriori parte plantae excurrentibus, ſeminibus ouatis, in fouea lateraliter inſculpta ſitis. *Onichia.*
b. cauli non immediate adhaerente, baccis
α. ouatis, ſuſtentaculo affixis. *Caprocheta.*
β. rotundis, inter bina foliola collocatis. *Citera.*
B. molli fructu.
1. cauli et ramis affixo, in carnoſam plantae partem non penetrante,
a. ſolitario.
α. vaſculo placentam continente frago ſimilem, cui ſemina adhaerent. *Ceramianthemon.*
β. fructu ouato, pluribus ſeminibus repleto. *Cotocon.*
b. pluribus fructibus in ſphaeram collectis. *Sirocephalophoron.*
2. ſummitati plantae adhaerente.

 a. ſoli-

* Cur baccam ad fructum ſiccum referat, et quo modo a fructu molli ſubſequente diſtinguat, non videmus.

** An hoc nomen generis rite expreſſum ſit dubitamus, cum ſimilis nominis genus inferius exponat, quod ſuo loco amplius deſcribit.

a. ſolitario, forma paterae, in cuius cauo ſemina haerent. *Crateranthemon.*

b. compoſito, cauo conuexo ex ſiliquis conicis rotatim diſpoſitis. *Androſace* Matth.

3. in interna plantae ſubſtantia abſcondito, floribus

a. femininis tantum detectis, fructibus

α. ſolitariis conicis, appendicibus coniformibus ſuffultis. *Cypariſſoides.*

β. coniunctis, fructu rotundo, flore pateriformi. *Arocarpon.*

b. femininis et maſculinis, vel maſculinis tantum viſis

α. ſummitatibus plantae turgidis femininis floribus onuſtis, maſculinis paulo inferius ſitis. *Virſoides.*

β. in media et turgida plantae parte floribus maſculinis, femininis vero in partibus plantae non turgidis ſparſis. *Phytocoma.*

γ. ſuperioribus et rotundis ramis floribus femininis, inferioribus et compreſſis floribus maſculinis refertis. *Acinaria.*

Haec eſt delineatio methodi plantarum marinarum; quo vero illa eo melius intelligatur, *Ceramianthemon, Androſacen* MATTHIOLI, *Virſoidem* et *Acinariam* amplius deſcribit, et partes delineatas exhibet Cl. Au-
p. 30. ctor. Contemplemur ex his androſacen, cui, cum ſimilis nominis genus a noſtro diuerſum in plantis terreſtribus occurrat, aliud nomen imponendum fuiſſet. Cum fungo conuenire videtur androſace, et licet Auctori a fungorum terreſtrium natura prorſus abludere videatur, fructificationis tamen ratio a nobis nunc deſcribenda non prorſus differt. Parte inferiore laciniata, non nihil conica teſtaceis aliisque duris corporibus adhaeret, pedunculus exiguus et tubuloſus inde ſurgit, qui ſuperius in comam expanditur, et pileolum ſuſcipit. Ambitus nimirum maior huius coni

coni duobus marginibus ſubrotundis ſulcatis eleuatus eſt, inter quos oſtiola parua corpora conica, a centro ad peripheriam expanſa, ſuſcipiunt, quae ita inter ſe iunguntur, ut radiatum pileolum ſiſtant, operculo in centro radiato. Ex parte concaua huius operculi, forte pileoli, tenuiſſima filamenta argentei coloris educuntur, quae ad oram pileoli uſque extenduntur, et non niſi ſub aquis fluctuantia agnoſci poſſunt, haec, licet ob teneram ſtructuram apices non detexerit, ſtamina ſiſtere putat Cl. Auctor. Eo magis vero ad hanc opinionem aſſumendam inductus fuit, cum ad limbum operculi tubae paruae, cum conicis corporibus pileoli communicantes, detegantur. Conica corpora intus caua, reticulata, glanduloſa corpuſcula oſtendunt, in cauo vero ipſo lingula virideſcens eſt, quae ſemina minima collecta ſiſtit, quae per orificia conorum, ad operculum pilei poſitorum, in cauum pedunculi, ſuperius ampliati, exeunt, ibique remanent, donec maturitate per oſtiolum, in centro pilei apertum, emittantur; aer enim, cauam plantam ſuſtinens, ita coercetur, ut alium exitum ſeminibus adſcribere non poſſit.

A plantis marinis et in ſpecie ab acinaria ad polyparos tranſitum facit Auctor, in quibus et vegetabilem ſtructuram declarat, et animalia ſimul, in iis deprehendenda, deſcribit. In primis vero IMPERATI explicationes citat, et ex iis oſtendit, eum iam ad polyparorum ideam ſtabiliendam acceſſiſſe. Methodum vero in his ſequentem exhibet. p. 38.

Polypari nimirum formantur

I. ex cortice molli et ſubſtantia marmorea vel oſſea, hic occurrunt tantum cauleſcentes, in quibus cellulae polyporum ſparſae in caulis et ramorum ſuperficie haerent, cellulis conicis, oſtio octofido. *Corallium.*

II. ex ſubſtantia uniformi oſſea *.

A. cauleſcentes non membranacei,

1. cellulis ſolitariis, apici ramorum inſculptis, conicis, ex lamellis formatis. *Madrepora.*

2. cellulis, in omni parte ramorum conſpicuis,

a. in ſubſtantia interna polypari,

α. figura urnae cinerariae, operculis rotundis munitis. *Miriozoon.*

β. conicis, apertura ſimplici. *Elapheon.*

γ. in cauo rotundis, apertura duplici. *Pitocarpoides.*

b. eleuatis extra ſubſtantiam polypari, cylindricis. *Acanthophoron.*

B. cauleſcentes membranacei et quaſi folioſi, cellulis per ramos ſparſis,

1. interius tantum cylindricis. *Retepora ſ. Eſchara marina.*

2. partim internis in ſuperficie foliorum, partim externis in limbo foliorum, cellulis conicis baſi cylindricis. *Aſpreon.*

C acaules membranacei, cellulis

1. intra ſubſtantiam polypari abſconditis. *Ophioides.*

2. ſupra ſuperficiem eleuatis

a. cylindricis, in forma tubi duplicati, quaternis vel ſenis collectis. *Fiſtularia.*

b. partim cylindricis in medio, partim imbricatis in ambitu, polypari rotundi. *Diſcoides.*

III. ex ſubſtantia partim oſſea in nodo, partim cornea in internodio, polypari nodoſi dicti, cauleſcentes non membranacei, cellulis per ramos diſperſis,

A. ſuperficie aequalibus, cellulis

1. interne vaſculo ſimilibus. *Gonatodes.*

2. minutiſſimis et irregularibus. *Nodolara.* Imp.

B. in

* In pluribus non oſſeam, ſed vere lapideam ſubſtantiam vidimus.

B. in ſpicis diſpoſitis, in ſuperficie polypari cylindricis. *Aulopion.*

IV. ex ſubſtantia carnoſa.

A. cauleſcentes, cellulis ſparſis, lucernae ſimilibus. *Sarcodendron.*

B. acaules et membranacei, cellulis ſparſis praediti, cauitate rotunda et orificiis ſtellatis. *Eraſterion.*

Deſcribit vero Cl. Auctor ad haec ulterius explicanda *Corallium rubrum; Madreporam caule et ramis liberis, quatuor lineas craſſis, cellulis calyciformibus; Miriozoon caule et ramo teretibus disiunctis, ſeu Pſeudo corallium album fungoſum* ALDROVANDI. Addamus ſpeciminis loco pauca de corallio vero, de quo varia et veterum et recentiorum fuerunt iudicia, noſter vero recentiorum ſententiam confirmat, quod corallium fabrica et domicilium polyporum ſit. Suffrutici, foliis orbato, ſimile corallium non veram radicem oſtendit, ſed plano pede variis corporibus firmiter adhaeret, nec inde nutrimentum ſumit, cum et abruptae partes corallii creſcant, viuant et propagentur. Ex breui trunco oriuntur rami, in nouis ſubdiuiſionibus multiplicati, et ſi forte corpus peregrinum e. g. teſtaceum animal, corallio adhaereat, breui tempore ſubſtantia corallii incruſtatur. Subſtantia haec in rubro undique ſimilis eſt coloris, in aliis lineas veſicolores oſtendit, marmorea haec in minimis particulis conſiderata ſubſtantia in primis poſt calcinationem praemiſſam ſphaericas depreſſas particulas exhibet. Licet vero denſa ſit, cortice tamen orbata verme quodam arroditur, qui in interioribus cellulas format, prout etiam marmora dura ſub undis marinis ab his vermibus ſaepius arroduntur. Subſtantia corallii ſub cortice ſulcata eſt, ſulcis a pede ad caulem et ramos parallelo quaſi itinere aſcendentibus; his rugis adhaeret tunica, ſiue membrana alba vel pallida, p. 43.

molliuſcula, cellularis, ſucco albido ſcatens, in quo tamen corpuſcula rubra latent, quae, cum particulis minimis corallii ſimiles ſint, incrementum ſubſtantiae faciunt, et a polypis coralliorum huc deducuntur. Exterius rubens, ſed paulo pallidior, membrana corticis adhaeret, ex minimis fibrillis et membranulis compoſita, et maiori copia corpuſculorum rubrorum ſcatens, per hunc corticem ad longitudinem parallelo ferme ductu vaſa cylindrica lateralibus vaſis inſtructa excurrunt, quae mediante ſucco lacteo corallium nutriunt. Praeter inaequalitates ſuperficiei irregulares, tubercula quaedam, ad baſin rotundam ampliora, eleuantur, quae in apice oſtio quaſi aperta, labio, ſeu margine circulari, octofido conſpicua ſunt, et intus cellulam oſtendunt. Hanc cellulam, in qua polypus nidulatur, alba membrana inueſtit. Polypus eſt animalculum molle, tranſparens, et ſtellam, octo radiis conicis conſpicuam, ſiſtit, qui radii per alias conicas eminentias quaſi laciniati apparent. Centrum polypi concham cauam, quaſi octo ſulcis totque eminentiis inſignitam, exhibet, hoc centrum polypi corpuſculo cylindrico, quod ventrem animalis dixit, inſiſtit. Hac ratione conſpicitur polypus, ſi corallium ſub undis marinis detinetur, ſi vero extrahitur corallium, vel animalculum tangitur, tunc omnes partes deſcriptas praecipue radios retrahit, eo modo, ut in cornubus limacum conſpicimus, ita ut inſtar guttulae lactis appareat. In ima parte ventris minimas hydatides, leuiter flaueſcentes, obſeruauit Cl. Auctor, quae oua ſunt, et de quorum incremento ad polypum uſque perfectum accurate differit.

p. 56. Ab his polyparis ad plantanimalia progreditur, quae ſequenti ratione diſtinguit in

I. immobilia, loco quodam adhaerentia, ſubſtantia

A. carnoſa, acaulia, figurae incertae, ſubſtantia externa conſiſtente, interna molli. *Oncoſarcon.*

B. par-

B. partim molli et carnoſa, partim denſa et tendinoſa,

1. plantanimalia cauleſcentia, ramis
   a. cauis, fabrica ſpongioſa. *Dactyloſpongion.*
   b. repletis, ſubſtantia
      α. laxa et fibris liberis. *Anevroſpongion.*
      β. operi coactili ſimili ſed lignoſa. *Spongiodendron.*
2. acaulia, non caua, ſed poroſiſſima, fibris liberis. *Spongia.*

C. carnoſo oſſea, acaulia, ſubſtantia reſiſtente, figura irregulari, ut plurimum globoſa. *Alcionium.*

II. mobilia *.

Ad haec explicanda *Alcionium primum* DIOSCORIDIS deſcribit; cum vero polypi, in ipſo habitantes, alcionium non forment, et praeter polypos alia quoque animalia in ſpongioſa et cauernoſa hac fabrica nidulentur, ad polyparos reduci non potuit. Cum vero carnoſa et oſſea ſtructura in iis detegatur, et praeter ea quaedam indicia ſenſus obſeruentur, concreta haec propius ad animalem ſtructuram accedere certum eſt. Hinc itaque Cl. Auctor, qui in principio quaſdam concretiones tartareas, muſco petroſo IMPERATI ſimiles, tanquam tranſitum ex regno minerali in vegetabile exponere potuiſſet, nunc carnoſae ſubſtantiae oſſa quaſi et cartilagines intertextas eſſe vidit, et non tantum ex ſenſu, ſed etiam ex facultate locomotiua tranſitum ad vera animalia commonſtrat. Vtitur hac in re exemplo tetiae, quae quidem ſenſu quodam et motu donata, organis tamen et viſceribus, quibus perfectiora animalia gaudent, prorſus deſtituitur. Deſcribit itaque *Tetiam ſphaericam,* ſuper-

(margin: p. 58. — p. 64.)

* Licet Cl. Auctor hanc alteram claſſem non proponat tamen in tetia paulo poſt deſcripta ulteriorem progreſſum methodi deprehendimus.

ſuperficie ex tuberculis ſemiſphaericis formata, vertebra centrali inſtructam, et alteram *Tetiam ſphaericam, ſuperficie ex tuberculis inaequalibus formata, vertebra excentrica inſtructam*, et nos, qui multa eius modi corpora in maris fundo inuenimus, plura adhuc addi poſſe nulli dubitamus. Admiramur et in his corporibus ſummi creatoris opera, et cum haec delineatio prodromus tantum ſit maioris operis, a Cl. Auctore, qui in IVLII PONTEDERAE ſcholis et aedibus educatus fuit, et nunc Taurini botanicam docet, illud praeſtari poſſe confidimus. Deprehendimus in eo accuratum et ſedulum naturae indagatorem, nondum tamen ſuſpicionem quandam ſupprimere poſſumus, eum non nunquam in minimis diſquirendis imagina-
p. 36. tioni indulſiſſe. Mirati ſumus v. c. eum in acinaria, planta trium cubitorum altitudinem non excedente, 545600 flores maſculinos, et 1728000 flores femininos inueniſſe; et in examine androſacis, corallii, et polypi corallini dubitauimus ſaepe, an minutiſſima et microſcopio cognoſci potuerint.

Planta, a LEONHARDO SESLERO deſcripta, et in honorem Auctoris *Vitaliana* dicta, habet calicem tubuloſum, ſtriatum, profunde quinquifidum, perſiſtentem, corollam infundibuliformem, tubo calicem ſuperante, limbo quinquifido, laciniis ad centrum reflexis; ſtamina quinque, antheris trigonis inſtructa; ouarium rotundum, ſulcatum, ſtylo ſubtili, ſtigmate rotundo, conſpicuum; capſulam ellipticam, membranaceam, quinquefariam dehiſcentem; ſemina quinque ouata. Poſſet ideoque optimo iure ad androſacen referri, licet enim in umbella non floreat, nec ideo inuolucro uniuerſali inſtructa ſit, tubus etiam calice longior deprehendatur, tamen et hae notae characteriſticae ambiguae ſunt, et reliquae ad definiendum genus androſaces omnino pertinent.

XV.

Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Petropoli typis academiae 1750. 4. mai. Tom. XI. ad annum 1739. alph. 2. pl. 1. tab. aen. 8. et Tom. XII. ad annum 1740. alph. 2. tab. aen. 10.

Licet in his duobus commentariorum tomis pauca omnino, ad inſtitutum noſtrum pertinentia, inueniamus, cum mathematica et aſtronomica prae phyſicis copioſiora et ſua laude certe digna iis inſint argumenta, tamen pauca illa breuiſſimis hic indicare placuit, ex eo, quod obſeruationes, quae in diariis eruditorum collectae deprehenduntur, a nobis praetermittendas non eſſe videamus.

In Tomo XI. continetur.

1) *Schediaſma de ventorum obſeruatione quotidiana, per integrum ampliſſimum imperium ruſſicum inſtituenda, cum maximo ſcientiae meteorologicae emolumento.* Auctore Cl. KRAFFT. Cum magno illo barometrorum, termometrorum, manometrorum etc. apparatu, parum adhuc ad praedicendas tempeſtates legesque illarum cognoſcendas proficiatur, KRAFFTIVS id potiſſimum deeſſe obſeruationibus cenſet, quod ventorum, tanta vi atmoſphaeram commouentium, conditiones minus accurate ſciantur. Optat igitur, ut per vaſtiſſimum Ruſſiae imperium, huic ſcopo prae aliis aptum, venti quotidie obſeruentur, cui ſcopo ciuitates Ruſſiae 12 determinat, eo conſilio electas, ut cardinales venti, per inſignes terrae tractus ſpirantes, obſeruari poſſint. Deinde obſeruatoria haec ventorum apparatumque deſcribit, machinis variis, quas alii ad hunc uſum adhibuerunt, in melius mutatis. p. 262.

2) De

p. 304. 2) De *Fungo inſolitae magnitudinis* obſeruatio, Auctore IOANNE AMMANO. Pileus diametro pedem, craſſitie tres pollices aequabat, eratque utrinque conuexus, magis tamen in ſuperficie ſuperna, quam inferna. Pediculus longitudine dimidii pedis, colore praeditus fuit dilute luteo et hinc inde albente, craſſitie prope baſin, ubi craſſior erat, quam parte ea, qua capitulo inſerebatur, facile tres pollices ſuperans. Materies pediculi alba et leuis erat atque ſpongioſa. Pilei duplex fuit ſubſtantia, ſuperior intus alba, extus luteo fuſca, illi, ex qua pediculus conſtabat, ſimilis; inferior vero fiſtuloſa, ex meris tubulis albentibus compoſita. Autumno repertam fuiſſe plantam, et ad fungorum eſculentorum genus, quod *Suillus* MICHELIO dicitur, pertinere monet Cl. Auctor. Ipſe fungus in naturali magnitudine rudi icone exhibetur.

p. 305. 3) Idem Cl. Auctor *nouae* quoque *Bermudianae ſpeciei deſcriptionem* et accuratam quidem, et nitidiori icone illuſtratam offert. Semina eius a Sinenſibus accepit Academia, quae terrae, calore equini ſtercoris tepenti, commiſſae, breui ediderunt plantas, iridum iunioribus admodum ſimiles; quae in hybernaculum poſitae, rigidam hyemem facile tolerabant. Sequenti anno primo vere ex harum radicibus carnoſis et repentibus tres pluresue prodierunt caules, bipedales fere, nec compreſſi, nec alati, ut in aliis huius generis ſpeciebus fieri ſolet, ſed teretes et octo, vel decem geniculis diſtincti. Hiſce geniculis adnaſcebantur folia, iridis hortenſis latifoliae ſimilia, ea, quae circa medium caulis creſcebant, radicalibus et ſummis ramulis adhaerentibus multo erant maiora. Ex ſuperiorum foliorum alis ramuli emittebantur, in minores diuaricati, quorum ſinguli gerebant ouarium triquetrum, oblongum, viride. His affigebantur flores ſatis ampli, hexapetali, interdiu expanſi, nocte clauſi. Petala florum erant utrinque anguſtata, e

flauo

flauo rubentia, intus maculis plurimis coccineis eleganter inſignita, prope baſin ad medium uſque parum ſulcata, in quibus ſulcis liquor mellei ſaporis continebatur. Petala unius ſaepe diei ſpatio contorquebantur, et ſpirae in modum ouario inhaerebant. Stylus unicus erat, inferne tenuis atque teres, ſenſim ampliatus, triquetrus, coloris dilute rubentis, apice in ſex ſegmenta, tria exteriora maiora, et interiora minora pallida et piloſa fiſſus. Ex tribus interiorum petalorum unguibus ſtamina oriebantur in ſingulis petalis ſolitaria. Ouarium excreſcebat in fructum trigonum, glabrum, in tria loculamenta diuiſum et per maturitatem trifariam dehiſcentem. In ſingulis loculamentis baccae continebantur plures, ſphaericae, atrae, axi affixae; pulpam occupabat ſemen durum, fuſci coloris. Hyeme folia et caules moriuntur, radices vero perennant. Cum bermudiana hanc plantam proxime quidem conuenire aſſerit, ſtaminum vero ſitu, cum in noſtra libere fluctuent, ſeminibus quoque pulpa obductis, et ſtigmate ſexfido ab ea differre, ab ixia vero, LINNAEI genere, petalis inaequalibus, ſtylo ſtaminibus longiori et ſexfido diſcrepare monet, attamen, non obſtante hac differentia, ad bermudianam eam retulit, ſpecifico nomine *Bermudiana radice carnoſa, floribus maculatis, ſeminibus pulpa obductis.* *

In

* Plantam hanc, quam ut nouiter detectam deſcripſit delineauitque AMMANNVS, diu iam cognitam fuiſſe exiſtimamus. Lipſiae enim multis iam ab hinc annis ea in hortis viguit floruitque, eamque ex ſeminibus quoque, *petilii* nomine a GMELINO ad LVDWIGIVM miſſis, enatam vidimus. Plantam etiam facie ireos, floribus luteis, maculis fuluis inſignitis a GMELINO acceptam, *ixiae foliis enſiformibus floribus remotis* nomine, memorat LINNAEVS in Hort. Vpſal. pag. 16. Huc praeter ea, ſi recte iudicamus, ſpectat icon, quae in Hort. Malabar. Part. XI. tab. 37. exhibetur, et *belamcandaſchularmani*, vel ut COMMELI-

In Tom. XII. ſequentia potiſſimum indicanda ſunt.

276. 1) *In legem, qua vires magnetis attractrices creſcunt imminuta diſtantia*, KRAFFTIVS experientia duce, inquiſiuit. Idem negotium ante eum angli praecipue ſuſceperant, deinde MVSSCHENBROEKIVS in *Eſſai de phyſique* pronunciauit, ſi magnes ſphaericus attrahat ſphaeram ferream eiusdem diametri, vim attractionis fore in ratione reciproca quadruplicata ſpatii caui inter utrasque ſphaeras, ſi cylindro circumſcriptae cogitentur, interclusi. Experimentum ſic inſtituitur, ut globus ferreus lanci appendatur, et cum pondere in aequilibrium redigatur, deinde, admoto magnete, ad diſtantiam accuratiſſime menſurandam notetur, quantum ponderis, in ſingulis diſtantiis, ad aequilibrium reſtituendum requiratur. Ita KRAFFTIVS ſatis veram reperit MVSSCHENBROEKII regulam pro ſphaeris aequalibus, niſi quod fallit in ipſo contactu, ſed pro inaequalibus ſphaeris, ubi ſpatium cauum eſt pars coni circumſcripti, plane a vero recedit.

p. 238. 2) *Deſcriptio caſſiae americanae procumbentis, herbaciae, mimoſae foliis, floribus paruis, ſiliquis anguſtis, planis.* Auctore IO. AMMANO. Ex fibroſa radice caulis ſurgit gracilis, teres, inferne parum hirſutus, ſuperne glaber, mox ſupra radicem duos emittens ramos coniugatos, in terram reclinatos; dein alterno ſemper ordine alii exeunt ramuli, hinc inde intorti, humi procumbentes. His alternatim adnaſcuntur

MELINI nomen eſt, *gladioli affinis malabarica, flore flauo, maculis rubris interſperſo* appellatur. Nuper etiam in Indice plantarum, quae Berolini in horto Krauſſiano aluntur, et quem C. L. ROLOFF euulgauit, pag. 25. commemoratur delineaturque *bermudiana iridis folio maiori flore croceo elegantiſſime punctato*, quae certe cum hac, nunc deſcripta, eadem eſſe videtur.

ſcuntur folia, ex octo ad tredecim aliquando, raro pluribus pinnarum coniugationibus compoſita, impari nullo. Coſtae prope baſin geniculatae ſunt, hirſutae, ad exortum duabus paruis auriculis, acutis, ramisque appreſſis praeditae. Flores ex lateribus ramorum, ad trium a foliis linearum diſtantiam per totam fere ramorum longitudinem, breuiſſimis pedunculis innixi oriuntur, modo ſingulares, modo bini aut terni, exiles valde, pentapetali, flaui, petala quatuor fere aequalia, obtuſa, infimum vero, quod in reliquis caſſiae ſpeciebus non adeo frequens eſt, ſuperioribus triplo maius eſt, ſubrotundum, concauum. Ouarium planum, dorſo et ventre glabrum, ad latera piloſum, decem ſtaminibus cinctum, in fructum excreſcit planum, per maturitatem fuſcum, ſeminibus quinque aut ſex compreſſis, nigricantibus, tenuibus diſſepimentis diſtinctis, nulla pulpa obductis foetum. Succreuit ex ſeminibus circa Philadelphiam collectis. Plantam hanc eam eſſe, quae in RAII Hiſt. Plant. T. III. *chamaecriſta mariana flore minore* dicitur, ſicca planta, apud SLOANE viſa, noſtrum edocuit, et proxime accedit ad eam, quae *ſenna ſpuria virginiana, mimoſae foliis, floribus paruis nictitantibus* a PLVCKNETIO appellatur, et tab. 314. f. 5. delineatur.

3) GELLERTO *experimenta, cum tubis capillaribus, mercurio immerſis, inſtituta, occaſionem dederunt, ſimilia tentandi cum plumbo fuſo*, cum mercurius metallum vocari poſſit, minimo igne fluens. Reperit autem phaenomena illis, quae mercurius exhibet, plane ſimilia. Sed quoniam ſpectari nequit locus, in quo conſiſtit plumbum intra tubum, primo quidem tubum ſuperius digito vel cera obturauit, aut hermetice clauſit, deinde lente extraxit, menſurauitque diſtantiam plumbi ita in tubo haerentis infra locum tubi, qui ſuperficiem plumbi in vaſe tetige- p. 243.

tetigerat, et vel filo aeneo circumligato, vel etiam plumbo exterius adhaerente noſcebatur; deinde animaduertit, tubo ita extracto, plumbum interdum ſubito adſcendere, in tubo, exiguum temporis ſpatium, altius fere digiti quantitate, haerere, deinde ad priorem locum recedere. Igitur hanc methodum minus tutam exiſtimans, plumbum refrigerari in tubis ſiuit; animaduertit enim, citius in tubo conſiſtere, quam in vaſculo, ſicque locum, ubi haeſerat, exacte notare potuit. Rationem phaenomeni, a plumbi fuſi particularum adhaeſione maiori inter ſe ipſas, quam ad vitrum, repetit. Methodum etiam exhibet haec phaenomena pro iis metallis experiundi, quae maiori igne, ut fundantur, indigent, quam quem vitrum ferre poſſit. In teſta ſcilicet cauitas priſmatis triangularis forma relinquitur, cui infuſum metallum altius ibi ſe attollet, ubi plana lateralia priſmatis, angulum acutum efficientia, in anguſtum coeunt, ubi latius diuergunt, minus adſcendent.

p. 252. 4) Praeter ea GELLERTVS, *tubos capillares priſmaticos efformari curauit*; efformantur autem, vitro fluente, in officina vitriaria priſmati ferreo circumducto, et in iis eadem phaenomena vidit, quae in cylindricis, ut altitudo aquae ſupra libellam ſit in ratione reciproca ſubduplicata arearum baſium, plane ut in cylindricis.

5) *Obſeruationes anatomicae rariores*, Auctore I. C. WILDE. Neminem fugit, variis in partibus, in vaſorum in primis directionibus, muſculorumque in ſtratis variare naturam, eamque differentiam in minoribus ſubtilioribusue ſaepius quam in maioribus partibus, deprehendi, ſequentes vero a Cl. Auctore propoſitae diſſectionum hiſtoriae nec maiores illas in uniuerſum liberas eſſe, euincunt.

a) *De*

a) *De vena caua duplici aſcendente.* Venae cauae truncus, ex hepate egreſſus, quem ob intus contenti ſanguinis progreſſum aſcendentem vocat Cl. WILDIVS, uncialis craſſitudinis, in duos diuidebatur truncos, qui mediam continebant arteriam aortam. Nos truncorum proſequentes directiones, quae conſideratio anatomicis magis conuenire videtur diſquiſitionibus, annotamus, dextrum truncum recta deſcendiſſe in dextro latere, et exhibita vena dextra renali, ablegaſſe ſpermaticam, quae ramulo alio a renali adueniente augebatur, tandem ad lumbos delatum in iliacas fuiſſe diuiſum. Siniſter vero truncus, facto ſuper arteriam aortam arcu, poſt capſularem venam ſiniſtram, duas renales tandemque ſpermaticam, et conſueto loco utramque iliacam, externam et internam porrigebat, ita tamen, ut iliacae internae utriuſque lateris medio quodam ſibi necterentur canali communicante, ex quo vena prodibat ſacra. Praeter haec in eodem cadauere ex arteria meſaraica ſuperiore rami cyſtici gemelli producebantur, et hepatis lobus ſiniſter ad lienem non ſolum pertingebat, ſed etiam cum eodem concreſcebat, nec non ductus pancreaticus duplex, altero ramo in conſuetum locum, altero vero duorum tranſuerſorum a pyloro digitorum diſtantia terminatus, obſeruabatur. p. 262.

b) *De vena iugulari externa, quoad progreſſum duplici, quoad inſertionem autem quadruplici.* Inter externae atque internae iugularis venae exortum anterius ex ſubclauia ramus producebatur, qui introrſum ad mediam tracheae partem procedens, in unum cum oppoſiti lateris ramo confluebat truncum, ſurſumque delatus ad ſuperiorem ſiniſtram glandulae thyroideae partem, breui intercedente canali, cum interna coniungebatur, in tranſitu autem ex vicinis ſibi locis utrinque per minores ramos ſanguinem ſuſcipiebat. p. 316.

p. 318. c) *De venae azygos trunco duplici.* Ex vena azygo, quae ſaepe variare ſolet, poſt inſertionem in venam cauam ſuperiorem, duplex prodibat truncus, qui utrinque progreſſus inter ultimam vertebram dorſi, primamque lumborum terminabatur, hi trunci intercoſtales in primis, nec non in ſiniſtro latere diaphragmaticam, venas recipiebant, nec non utrinque dimiſſis ramulis, ad ſeptimam nonamque dorſi vertebram, inter ſe communicabant.

p. 320. d) *De muſculo ſingulari gemino ſternum ſuperiacente.* Hic ad cartilaginem xyphoideam exortus carnoſus, ad medium ſternum deductus tendinoſus fiebat, et tandem in ſuprema ſterni parte cum ſterno maſtoideo confluebat. Tendines medii tenuibus productionibus, quas anſulas vocat Cl. Auctor, ſibi utrinque iungebantur.

p. 321. e) *De tendinum, digitos manus ſiniſtrae extendentium, extraordinario numero.* Extenſor communis digitorum mox ab initio in quatuor diuidebatur portiones tendinoſas, quarum prima ad indicem, altera ad medium, tertia, prius per ligamentum tranſuerſum quam progrediebatur, fiſſa, poſt tranſitum autem utroque tendine denuo ſubdiuiſo, ad auricularem et minimum, quarta, circa ligamentum pariter bipartita ad minimum deducebatur digitum, ut loco quatuor alias tendinum, nunc nouem in ea conſpicerentur manu. Indicatoris tendines duplicati in indicem et medium inſerebantur, bicornis vero pollicis, in quinque tendines ſectus, tribus, pollicem conſtituentibus oſſibus adhaerebat.

p. 324. f) *De inteſtino coeco et proceſſu vermiculari.* Praecipua a Cl. Auctore annotata eo redeunt, quod ad ieiuni in colon inſertionem glandulas ſaepe, numero et magnitudine differentes, detexerit, vaſis copioſis lymphaticis, ad meſaraeum abeuntibus, cinctas; quod inteſtinum coecum admodum breue, in appendicem vermiformem, anguſtam, et duplici ſpira contortam

abiuerit,

abiuerit, cuius in coeco orificium, ſemilunari, vel ut vocat, ſpirali valuula fuerit munitum.

Harum obſeruationum praecipue notanda momenta adiectae icones declarant.

6) *De renibus ſuccenturiatis, in puero diſquiſitis, notata.* Auctore eodem WILDIO. Potiora momenta ad vaſorum directionem ortumque pertinent, quorum duo genera conſtituit, alia enim ſunt propria, alia communia. Arteria propria dextri lateris ex renali, ſiniſtra ex trunco arteriae aortae prouenìebat, communis dextra, quippe quae, ad diaphragma abiens, phrenica erat, ex coeliaca, ſiniſtra itidem ex aortae trunco originem ſumebat. Venae conſuetis ex locis deriuabantur. Ipſi autem renes ſuccenturiati maſſam ſiſtebant veſiculoſam, adipe obſcure albido conſtantem, et pinguedine circumuolutam, aere inflato diſtenti maiorem iuglandem aequabant, aliquo modo pellucidi, cauitatem etiam continebant gelatinoſo pallide rubro humore repletam. Figura, ad hanc obſeruationem pertinens, ipſas has partes non adeo eleganter proponit. p. 327

XVI.

An account of the ſore throat attended with ulcers. By JOHN FOTHERGILL, M. D. The third edition. London. Printed for C Davis. 1751. 8. mai. pag. 72.

i. e.

Commentarius de angina ulceribus comitata, etc.

Quamuis hic liber, non quidem voluminis magnitudine, ſed rerum, quas continet, exacta ſatis et utili deſcriptione aeſtimandus, adeo iam qui-

 dem,

dem, praeſertim gallica, quam Cl. DE LA CHAPELLE dedit, translatione, cognitus ſit, ut, quid ille contineat, fuſius nunc enarrare, ſuperfluum eſſe videatur, huius tamen, quae tertia eſt, editionis eam ob cauſam hic loci mentionem faciendam eſſe putauimus, cum ex additamento, quod primae editionis praefamini, ſub finem menſis ſeptembris anni praeteriti adiectum eſt, appareat, quod gangraenoſum illud malum, fauces in primis tenerioris aetatis hominum affligens, et per longius, quam centum et quadraginta annorum ſpatium, magnam Europae regionum partem deuaſtans, adhuc tum in Angliae prouinciis ſaeuiuerit. Tam frequens, ac olim fuit, iam quidem eſſe deſiit, facie tamen eius, et modo, quo progreditur, uti et remediis atque regimine contra illud tum utilibus, tum neceſſariis obſeruatis, et cauſſis denique, illud exaſperantibus, iisdem iam quoque viſis et exiſtentibus. Quas ob cauſas nihil etiam in ipſo libro, nunc edito, a priore diuerſum atque mutatum eſſe, Cl. Auctor non monet ſolum, ſed nosmet ipſi quoque inuenimus. In eorum tamen, quibus is forte nondum cognitus eſt, gratiam totius libri ſummam, quae ſub finem eius legitur, et prae aliis ſcitu neceſſaria, quibus hoc anginae genus a communi illo facile diſtingui poteſt, comprehendit, ſubnectere placet. Eo nimirum illa redit: Quod anginam hancce malignam inſignis ad putredinem diſpoſitio, tum totius corporis habitum, cum fauces in primis, earumque partes contiguas, affligens, concomitetur: Quod cauſa eius putridum aliquod virus, aut miaſma ſui generis ſit, per contagium, et praeſertim per aegrotantium halitus inſpiratos, propagatum et in aliorum corpora introductum: Quod effectus iſtius mali maius minusue periculum, pro diuerſa miaſmatis particularum copia atque natura, portendant, et prout aegri ad recipiendum illud aut tolerandum magis minusue ſint diſpoſiti: Quod

Quod aduerſus hunc morbum, uti contra putridos et malignos in genere, tutiſſimum et princeps in eo poſitum ſit praeſidium, ut materia peccans, aut in cutis ſuperficie, aut in alia, hac vel illa corporis parte, collecta, expellatur: Quod inſignis ille color atque tumor eryſipelaceo ſimilis, qui ut plurimum ſecundo morbi die faciem, ceruicem, pectus atque in primis manus, cum certo exanthematum genere, praecipue primo olim tempore ſub morbi in Angliam ingreſſum, occupare ſolitus eſt, pro materie putridae quoque indolis expulſa haberi, ideoque eodem modo, ac ſimiles morbi, curari debeat: Quod analepticum, alexipharmacum atque calidum regimen, ipſa teſte experientia, optimos praeſtiterit effectus, liberalior autem ſanguinis miſſionis, medicamentorum purgantium et antiphlogiſticorum uſus ipſam materiei expulſionem aut retardauerit, aut prorſus cohibuerit: Et quod denique is, qui aegri curam in ſe ſuſcepit, imitari naturam, illamque materiem eodem modo expellendam iuuare debeat, quam in ſimilibus morbis experientia comprobauit.

XVII.

Pharmacopoea Leidenſis ampliſſimorum magiſtratuum auctoritate inſtaurata. Editio tertia. Lugduni Batavor. apud Sam. Luchtmans et filios 1751. 8. mai. pl. 13.

Medicamentorum praeparationes aeque ac compoſitiones, pro ſcientiarum incremento, mutationibus ſunt obnoxiae. Ex compoſitionibus praecipue, tum antiquis, tum recentioribus temporibus quaedam in pharmacopoeas introductae, ut inconcinnae reiiciendae, quaedam utilitate ſua probatae, retinendae ſunt. Nos itaque tertiam hanc pharmacopaeae Leidenſis cum ſecunda, quae 1732. prodiit,

diit, conferentes editionem, ad id potiſſimum inten-
tum fuiſſe editorem obſeruauimus, ut inutilia vel
minus neceſſaria expungeret, alia vero ſatis iam
commendata uſu adderet. Ad priorem claſſem per-
tinent, ut quaedam tantum adducamus exempla,
pilulae nitri ALEXANDRI TRALLIANI, *electuari-*
um ſucci roſarum, *requies* NICOLAI, *loch ſanum et*
expertum ceti: ad poſteriorem vero, *pulueres ex*
agarico, *colocynthide*, loco trochiſcorum, qui alias
exinde parari ſolent, propoſiti, nec non *puluis cor-*
nachinus, extractorum, ex herbis amaris parando-
rum, methodus, aliaque. Inficiari tamen nolu-
mus, quasdam etiam hic adhuc deprehendi compoſi-
tiones, quarum praeparatione officinae, uſu autem
p. 115. in uniuerſum ſcientia carere poſſet medica. Neque
plane omnibus quidem erroribus libera haec eſt edi-
tio, balſamus enim LOCATELLI ſatis cognitus, et
in ſecunda et in hac denuo editione *balſami lucatel-*
p. 161. *lae* nomine inſignitur. Spiritus vero nitri GLAV-
BERI inconcinna, ut videtur, et Auctoris deſcriptioni
non conueniens exhibetur praeſcriptio; quippe qui
nitrum non in aqua ſoluit et oleum deinde vitrioli
addidit, ſed ſicciſſimo nitro optimum vitrioli oleum
ipſum ſenſim inſtillauit. Primae partis, quae medi-
cinarum ſimplicium nomina latina, belgicaque re-
cenſet, acceſſiones ita comparatae ſunt, ut recens in-
uentorum vel accuratius declaratorum nomina ſimul
p. 14. proponant, atque uti caſcarillae, ſimaroubaeque
corticum exemplis patet, depromtas ex LINNAEI
materia medica plantarum, ex quibus proueniunt,
denominationes contineant.

XVIII.

Diſſertatio inauguralis, continens obſeruationes methodico-rationales neceſſarias ad formandam veram prognoſin in febribus acutis. Praeſ. FRANC. IOSEPHO DV TOY. Ph. et M. D. P. P. etc. Reſp. Auct. DAVID BECHER. Prag. 1751. 4. pl. 7.

Octo conſtat diſſertatio capitibus, ſeu obſeruationibus, quas vocat Cl. Auctor, quarum prima eſt: HIPPOCRATIS *praeſagia non ſunt uniuerſalia, quia ex cognita cauſa ſymptomatis, hinc non ex uno, ſed pluribus inter ſe collatis phaenomenis, eſt praeſagiendum.* Recte monet Cl. Auctor cauſam, cur praeſagiendi in morbis ſcientia tam exigua huc uſque ceperit incrementa, ſaepiusque medicorum iudicia fallant, in eo deliteſcere, quod ii non ex ſignorum cauſis, quae malae tamen aeque ac bonae eſſe poſſunt, ſed ex ipſis ſignis, qua talibus, iudicium ferre ſoleant. Artis itaque tironibus, qui veteres legunt, probe inculcanda eſt haec regula, ut in legendis eorum obſeruationibus iisque explicandis cautiſſimi ſint, cum ſaepe nimis breues ſint, multisque in locis ſibi repugnare videantur; quae igitur loca ſedulo conferenda ſunt, atque ſemper ad varias morborum circumſtantias, ſecundum quas iudicarunt illi, reſpiciendum eſt. Quam igitur diu cuiuſcunque fere cauſae proximae ſigna pathognomica ad deſiderata medica pertinuerint, nec pathologica principia indubitata fuerint reddita, ideoque ſoli ferme experientiae tantum fidendum ſit, ſemper erit neceſſarium, non ex uno ſymptomate, ſed ex omnibus inter ſe collatis, iudicium praedicere. Altera theſis eſt: *Acceſſiones febrium acutarum ſtudioſe obſeruatae ducunt ad certam prognoſin.* In illo prae aliis febrium genere, quas remittentes appellant medici, atque ex prolongatis, vel complicatis paroxiſmis con-

 ſtare,

ſtare, atque ab intermittentium indole propiores eſſe videntur, inſignem haec obſeruatio praebet uſum. Cum eius quoque generis illae febres epidemicae, quarum deſcriptioni hiſtoriam de criticis diebus immiſcuit HIPPOCRATES, fuiſſe videantur, lis illa, qua ſecundum diuerſa ipſius enunciata vel pares, vel impares dies pro decretoriis nulli non habent medici, optime componi poterit, quod, uti ex variis inter ſe collatis locis patet, rem ita intellectam voluiſſe ipſum dicamus, ut, ſi diebus paribus fiat acceſſio, his ipſis quoque iudicari febres, ſin ea vero contingat imparibus, hos quoque decernere, exiſtimemus. Obſeruatio III: *Epigenomena*, quibus cum aliis ſemeioticae doctoribus ea ſigna, quae ipſum morbum ita mutatum iri denotant, ut alius inde fiat, vel in parte iam affecta, vel, dum materia peccans in alium locum fertur, intelligit Cl. Auctor, *accurate ſunt diſcernenda a puris ſymptomatibus, quo neglecto multiplex datur occaſio errandi in prognoſi.* Obſ. IV: *Signa coctionis non ſunt eadem in omnibus febribus acutis*, qualia in primis ea eſſe ſolent, quae ex urina deſumuntur, prae aliis omnibus fallacia. Obſ. V: *Ad ferendam prognoſin requiritur, praenoſſe vias, per quas natura criſin molitur, atque euacuationem criticam ſcire diſtinguere a ſymptomatica*, quippe talem, quae genio morbi conuenit, virium vitae, non morbi, effectus eſt, poſt coctionis ſigna, die decretorio, nec pauca quantitate, fit, et quam ſequitur leuamen. Obſ. VI: *Quae praeter rationem bona apparent in acutis, ſpem non faciunt, et praeter rationem mala, non ſunt metuenda.* Cautelae huius ſatis amplae ſumma eo redit, ut medicus attendat, a quanam cauſa, bona nimirum, an mala ſit, haec prouenerint ſigna? Num lenia ſint ſymptomata cum pulſu languido, an forti? Affinis itaque huic theſi eſt illa ſequens VII: *Phaenomena, quae primo intuitu vix conſideratione digna videntur, maximi in prognoſi ſunt momenti*, ad quae

Cl.

Cl. Auct. illa refert ſigna, quae ex aegrotantis faciei, frontis, oculorum, auriumque aſpectu, eius ſitu, voce, atque hypochondriis petere ſolent medici. Vltima tandem obſeruatio ita ſe habet: *Praecognitio idioſyncraſiae et morborum, quibus aeger ante febrim acutam obnoxius fuit, prognoſin facilitat.* Cum ſingulis enim hominibus ſua ſit ſanitas, ſuaque natura, alii nulli perfecte aequalis, idem quoque morbus diuerſos obrepens homines, diuerſam quoque prae ſe feret ſui faciem, indolem atque exitum. Licet noua quidem haud protulerit Cl. Auctor, ſua tamen ipſi manet laus, cum omnis diſſertatio ſatis teſtetur, quod veteres diligenter ac ſtudioſe legerit, eorumque placita rite applicare didicerit.

XIX.

Diſſertatio qua noua plantarum genera, Praeſ. CAROL. LINNAEO proponit LEONHARD IOH. CHENON. Vpſal. 1751. 4. pl. 7. c. fig. aen.

Inter alios, quos Vpſalienſis academia ad exteras miſit regiones, KALMIVS quoque fuit, atque hic eximius naturae ſcrutator ſuo itinere, per Penſyluaniam, nouam Eboracum et Canadam, regiones Americae ad Septentrionem vergentes, trium annorum decurſu dextre confecto, ingentem ab iſtis terris non conchyliorum ſolum, inſectorum et amphibiorum, ſed herbarum etiam diuerſi generis ac uſus reportauit theſaurum, et has quidem tam ſiccas, quam viuas, allatis earum quoque ſeminibus, adduxit. Harum omnium vero poſtquam particeps factus fuit LINNAEVS, ex plantis hunc ipſum excerpſit rariſſimarum faſciculum, qui prodromum ſiſtit ipſius ditiſſimae Canadenſis florae, quam, a KALMIO promiſſam, proxime expectamus. Prius tamen quam ad recenſionem ſtirpium progreditur Cl. Auctor, de iis refert botanicis, qui

hanc telluris regionem, in primis quoad vegetabilia, ante KALMIVM perluſtrauerint. Hos ſequitur recenſio nouorum generum, quibus America ſeptentrionalis botanicam auxit, ubi ea, quae TOVRNEFORTIVS, LINNAEVS ipſe, nec non GRONOVIVS, MITCHELIVS aliique deſcripſere, repetuntur, et noua, nunc modo inuenta, adducuntur; haec deſcribuntur fuſius, illa modo nominantur annotationibus hinc inde adiectis. Ita *Diantherae*, a GRONOVIO deſcriptae plantae, fructus, cuius nullam hactenus habuimus cognitionem, capſula eſt clauata, inferne ac ſuperne decuſſatim depreſſa, bilocularis, biualuis, valuulis nauicularibus, ungue elaſtico donatis, continens ſemina ſolitaria lentiformia. Et dum *Callicarpa* nominatur, quo nomine illud indigitatur genus, quod *Spondylococcum* dixit MITCHELIVS, notatur, cognitam iam plantam, ut nouam *Burchardiae* nomine ab HEISTERO fuiſſe deſcriptam. His aliisque indicatis ad noua illa genera, quae plantae a KALMIO lectae eiusque cum Cl. Auctore communicata aduerſaria exhibent, aliaque minus ſufficienter hactenus determinata, deſcribenda accedit. Sunt vero haec ſequentia: 1) *Lechea*, ab Aboenſium Profeſſore IO. LECHE dicta. Altera huius ſpecies, quae Lechea foliis ouato lanceolatis, floribus lateralibus dicitur, fig. 4 delineata habetur. 2) *Sarothra*. 3) *Aletris*. 4) *Helonias*, huius delineatio fig. 1 exhibetur. 5) *Dirca*, huius iconem fig. 7 ſiſtit. 6) *Kalmia*. 7) *Gautheria*, planta fig. 6 repraeſentatur. KALMIVS nominauit plantam a GAVTHIER, Medico canadenſi. 8) *Polymnia*, et hanc fig. 5 refert. 9) *Arethuſa*. GRONOVIVS nomen et genus inuenit. *Orchidion* MITCHELIO dicitur. 10) *Mitchella*, hanc *Chamaedaptinen* dixit MITCHELIVS. 11) *Zanthoxylum*, huius generis, dudum a LINNAEO aſſumpti, hic accurata datur definitio. 12) *Dodecantheon*, quae diu etiam ſub *Meadiae* nomine innotuit. 13) *Orontion*, quod idem eſt ac *Aronia* MITCHELII.

CHELII. Huc refertur ea planta, quae arum folio enerui ouato a GRONOVIO dicta fuit, et fig. 3 exarata nunc conſpicitur. 14) *Epigaea.* A MITCHELIO *Memecylum* nominatur. 15) *Tiarella.* 16) *Napaea.* Plantae genus CLAYTONVS inuenit, quod calyce non angulato ſed tereti, et ſtigmatibus ſimplicibus, nec capitatis a ſida in primis differt. Huc quoque nunc reducitur ea planta, quae althaea ricini folio dici ſolet, nomine napaeae hermaphroditae glabrae; datur enim et ſpecies dioica. 18) *Cracca.* 19) *Aenida.* 20) *Phryma.* A MITCHELIO *Leptoſtachia* vocatur. 21) *Onoclea*, quae *Angiopteris* MITCHELII. 22) *Elymus.* 23) *Nummularia*, quae non nullas alſines ſpecies ſiſtit. 24) *Knoxia.* Huius character ex Zeylanica flora citatur. 25) *Saluadora.* GARCINVS nominis inuentor eſt. 26) *Scoparia.* Ad hoc genus refertur capraria foliis ternis corollis quadripartitis H. Cliff. 27) *Sibthorpia.* Siccam plantam ad LINNAEVM miſit HAMP. SIBTHORPIVS Prof. Botan. Oxonienſis. 28) *Anabaſis.* Characterem in diſſ. de plantis Camſchatcenſibus inuenies. 29) *Aldrouanda*, atque huius deſcriptionem primum in Commentariis Bononienſis inſtituti dedit Cl. MONTI. 30) *Agaue*, quod aloes ſubalternum genus in flora Zeylanica iam aſſumſit Auctor. 31) *Gypſophila*, quorſum plures ſaponariae reducuntur ſpecies. 32) *Callitriche.* Genus, cui coriſpermum foliis oppoſitis iungitur, *Stellaria* a DILLENIO nominatum fuit. 33) *Axiris.* 34) *Iua*, haec diuerſa eſt ab *Iua* RIVINI, conuenit vero cum *Tarchonantho* VAILLANTII. 35) *Ophioxylon.* Definitio huius in Zeylanica flora legitur. 36) *Torenia.* In India habitat planta, unde a D. TORENIO allata. 37) *Iſoetes.* Hanc in Scanico itinere iam deſcripſit Auctor, atque ſub eo genere marſileae comprehenditur ſpecies. 38) *Splachnum.* 39) *Gaura.* Praeter iam recenſitas plantarum, in tabula exaratarum, delineationes, inuenitur quoque *Veratri caule ſimpliciſſimo*, a

GRO-

GRONOVIO ita dictae, icon; ſimillima enim *Aletri* folia, ſed quodam modo latiora, gerit.

XX.

Obſeruatio de Nautilo, Auctore anonymo. Vid. Gentleman's Magazin. Menſ. Ian. 1752. p. 6.

Nautilus eſt conchylium, diu iam cognitum, cuius etiam ſtructura penes harum rerum curioſos admirationem mouit haud exiguam. Primo vero loco obſeruandum eſt, varias eſſe huius conchylii ſpecies, quarum duae potiſſimum notandae ſunt, nautilus ſcilicet papyraceus, unica cauitate inſtructus, et nautilus, varias in cameras diuiſus. Prior ſpecies nomen accepit a tenera et papyro ſimili conchylii ſtructura; videtur autem illa eſſe, quae cognita fuit ſcriptoribus antiquiſſimis, quare etiam credimus, hanc unicam tantum fuiſſe in illis locis maritimis inuentam, quorum producta veteres ſibi maxime nota reddiderunt. De hac in praeſenti etiam nihil monendum eſt, cum praeter ea, quae iamiam ab aliis naturalis hiſtoriae ſcriptoribus fuere annotata, obſeruauerim nihil: ſed liceat de altera ſpecie quaedam adducere, quae in cameras ſiue cauitates internas maximam partem eſt diuiſa. Exterior illius nautili, cuius deſcriptionem hic exhibeo, forma ab apice ad fundum menſura ſua octo pollices, ab uno vero ad alterum latus quatuor pollices aequabat. Diſſectus nautilus cameras interiores accurate demonſtrat. Ex India occidentali fuit allatus, licet non conſtet, quonam potiſſimum in loco fuerit repertus. Interim apparet, magno eum fuiſſe in pretio, quod in poliendo eo praeparandoque ad varios uſus magna fuerit adhibita cura, magnumque artificium. Primi, qui in has, ubi inuenitur, regiones inſtituerunt nauigationes, videntur eius pulchritudine capti

non

non nullos de inquilinis coemiſſe, ut ornamento ſint muſaeorum naturae curioſorum in Europa. Quod ad naturam et ſingulares conditiones piſcis, qui hoc conchylium inhabitat, pertinet, parum huc usque nouimus. Refertur autem illum habere facultatem ſurgendi vel eleuandi ſeſe ad ſuperficiem Oceani, dum nimirum conchylium, tanquam membranaceum erigit velum, et dum tenera ſua ab utroque latere expandit brachia, remigum inſtar ipſi inſeruientia. Hac in directione retinetur conchylium, ita quidem, ut ulterius cum vento progredi poſſit, ſi vero periculum acceſſerit, protinus ſubmergi; quae tamen conditiones ulteriori egent confirmatione. Color huius nautili in naturali ſtatu ad nigricantem plerumque vergit, a quo ad pallide album deflectit; transuerſim irregularibus notatur lineis, undoſis, fuſci coloris, quae magis magisque diminuuntur, quo propius ad marginem conchylii accedunt. Nigra pars, quae cum roſtro pſittaci conuenit, videtur nomen huic ſpeciei conciliaſſe. Exteriori remota lamina ſubſtantia conchylii ipſa conſpectui ſeſe offert, optimis, ex Oriente allatis, margaritis ſimillima, qualis etiam interioris eſt ſuperficiei color, in omnibus eius cameris praeſens, illae ſi fuerint ab impuritatibus, quae caſu adhaerent, antea purgatae. Interiorem ſuperficiem perluſtrantibus in oculos incurrunt notatu digna ſemilunaria ſepta, quae conchylium in cauitates ſeu cameras diſtinguunt, in quocunque tali ſepto breuis cauusque canalis deprehenditur, qui communicationem ſingularum cauitatum inter ſe efficit, et plerumque medium illius occupat locum. Quodſi horum canalium directionem ad eorum uſque proſequamur finem, nigricantem obſeruamus lineam, ab uno canale ad alterum progredientem, atque ad finem usque conuolutionis conchylii continuatum. Ex friabili, pauliſper dura, ſubſtantia haec conficitur, et forte reliquias

liquias ſiſtit flexilis cuiusdam canalis in viuo animante, a prima camera ad ultimae finem deducti. Piſcis ipſe in anteriori tantum conchylii parte continetur. Huius animalis ſtructura, ſuperficietenus illud intuenti tantum, rudis, viſcidae ſubſtantiae et irregularis formae quamuis poſſit videri, omnino tamen verum eſt, et illud inſtructum eſſe organis, quibus propria ſibi ſtruere receptacula et quoad figuram diuerſiſſima reddere poſſit, ſed ita, ut coloris elegantia ac perfectio, et in omnibus voluptatem pariat, et maxime ignarum quoque percellat admiratione. Hac igitur facultate pollens nautilus, ab initio tenuis eſt, increſcens vero receptaculi ſui auget ſuperficiem, quantum eius incrementi ratio poſtulat. Tunc enim ab utroque latere nouas apponit cameras, communicationem ſeruans cum illa cauitate, in qua ipſe deliteſcit, mediante ſcilicet breui tubo, ex una cauitate in ſequentem et illam hiante, quae nuper effecta erat. Et hac quidem procedit ratione, uſque dum plenariam indeptus ſit maturitatem, et ad definitam ſibi deuenerit magnitudinem, vel inimicis praeda euaſerit, vel non obſtante eximia, qua pollet, nauigandi arte, naufragus in ripas fuerit expulſus. Haec, de incremento eius adnotata, quae admodum probabilia eſſe videntur, docent, quare vix duo huius conchylii inueniantur ſpecimina, quoad diuiſiones interiores ſibi ſimilia, licet naturalis hiſtoriae ſcriptores eas ſemper adeſſe deprehenderint. De utilitate autem harum camerarum plures propoſitae fuerunt coniecturae. Non nulli per tuborum, ſupra deſcriptorum, orificium piſcem aerem vel aquam admittere ſtatuunt, pro ea nempe ratione, qua velit ſubmergi aut ſurgere. Quod aqua intret, minus eſt probabile; alias enim impuritates, quibus aqua marina abundat, intus inuenirentur, quarum tamen veſtigia occurrunt nulla, prout ab illis edoctus didici, qui ſerra eosdem diui-

dere

dere ſolent. Neque veritatem prae ſe fert ſententia, quod liberiori aeri in quamcunque partem harum cauitatum ſit introitus, quoniam difficile intellectu eſt, quonam mechaniſmo haec omnia peragantur, ut animalis illius protinus inſeruiant propoſito. Mihi itaque ſupra nominatus tubus, dum piſcis viuit, flexilis et elaſticus, dilatationis aeque ac contractionis capax eſſe videtur, pro diuerſis neceſſitatibus, quas animal requirit. Forte eandem habet ac veſica natatoria in piſcibus utilitatem et eodem forte utitur mechaniſmo, ut conſtringatur in anguſtiorem tubum vel expandatur. Aer exinde diſtribuitur per diuerſas illas cameras et centrum grauitatis mutatur, prout inſtituendus illud requirit motus, quod certe tam facile fieri non poſſet, ſi aer in ſingulae camerae internam fuerit admiſſus cauitatem, deficiente hoc adiumento. Quamcunque autem de utilitate harum partium coniecturam amplectamur, licet etiam multas, huc pertinentes, ignoremus circumſtantias, ſufficienter tamen inde patet ſummi architecti ſapientia, noſtram excitans admirationem.

Huius obſeruationis, cui addita icon eſt, nautilum tum integrum, tum diſſectum accurate ſatis referens eam potiſſimum ob rationem mentionem faciendam fuiſſe autumauimus, quod nouam quandam interioris fabricae utilitatem declaret, coniecturae quidem ſuperſtructam, non tamen in uniuerſum improbabilem. Animal, quod nautilo inhaeret, cuius naturam incognitam eſſe aſſerit Auctor, a CAR. LINNAEO. in Syſt. Nat. No. 234. *ſepia* vocatur. Tubi autem, per concamerationes procedentis, ſub ſiphunculi nomine deſcriptionem delineationemque exhibet IO. PHIL. BREYNIVS in diſſ. de Polythalamiis, noua teſtaceorum claſſe, Gedani 1732. 4. edita p. 16, in eo tantum a noſtro diuerſus, quod inter ſepta diuiſionum aerem, in ipſo autem hoc ſiphun-

ſiphunculo caudam animalis contineri putet, variaque alia de hoc animali notatu digna referat.

XXI.

ALBERTI DE HALLER, Med. Anat. Chirurg. et Botan. P. P. in Academia Goettingenſi etc. Primae lineae Phyſiologiae, in uſum praleɛtionum academicarum auctae et emendatae. Göttingae 1751. 8. apud Abraham Vandenhoeck viduam. alph. 1. pl. 12½.

Si unquam de reiterata libri cuiusdam editione ad eius praeſtantiam valide ſatis colligere licet, de praeſenti certe utiliſſimo libro non fallit opinio eos, qui ita argumentantur. Qui enim quadrageſimo ſeptimo huius ſeculi anno ſolida haecce phyſiologiae fundamenta prima vice iecit, de perpolienda et adiuuanda ſalutaris rei ſcientia optime meritus DE HALLER ſecundae huic editioni, non parum augmenti et perfectionis multum addidit. De ipſa harum inſtitutionum utilitate cum inter omnes iam conſtet, id tantum nobis in praeſenti peragendum eſſe intelligimus, ut praecipua ex iis annotemus momenta, quae alteri huic editioni acceſſerunt ſcitu omnino neceſſaria.
p. 17. Ad adipis receptaculum neruorum filamenta abire, anatome docuit, ea vero ibidem manere ex eo in dubium adhuc vocari poteſt, quoniam adeps ſenſum et irritabilem etiam naturam non habet. Ipſum quod telae celluloſae ineſt inflammabile hoc liquidum, praeter oleum, acidum quoque cum lixiuio volatili coniunctum habet ſalem.
p. 25. Flexiones arteriarum mirae, iis in partibus, quarum diameter ſubinde inſigniter augetur, in facie v. c. liene, inteſtinis craſſis et utero, illae ſunt, ut alternis angulis obtuſis circa lineam rectam arteria undulata ſerpat.

ſerpat. Flexio vero repetita aeque ac diuiſio eius in latiores trunco ramos et anguli eorum cum trunco maximi velocitatem ſanguinis minuunt. Venae irritabilitate non prorſus deſtituuntur, ſed cum chemicis potiſſimum acrimoniis tentatae, magis adhuc quam ipſae arteriae ſe contrahunt. Valuulas venis conceſſas in azyga etiam, ſed rarius, obſeruauit, in caua vero, ad inſertionem hepaticarum, valuularum loco, rugas quasdam conſpexit indefeſſus HALLERVS. Pericardium, quod exigua ſui parte ſternum attingit, a coronariis etiam, quae cum bronchialibus aliisque inoſculantur, ramos habet. Ipſius cordis carneae fibrae a plexu pharyngis, quem intercoſtalis nerui molles ramuli cum gloſſo pharyngei ſurculis componunt, neruos quoque accipiunt. Apicem cordis in contractione antrorſum etiam pelli, a ſinu venoſo ſiniſtro eo in primis tempore repleto, et in exſpiratione valida vehementer ſurſum et antrorſum attolli, per experimentum cognoſci poſſe, notatur. Difficillimi porro illius phaenomeni, quod quies et ſubſequens dilatatio contractionem cordis excipiat, in ſolo ſtimuli, ſanguine expulſo, defectu quaerenda eſt ratio. Cum enim fibrae cordis omnes ſimul agere perſpiciamus in contractione, et ipſae per ramulos transuerſos inter ſe nexae ſint, peculiaribus fibris non poteſt adſcribi dilatationis officium. Neque vena caua proprium quendam habet motum, qui enim in morientibus obſeruatur, ab auricula, ſanguinem in utramque cauam tunc temporis repellente, prouenit. Maior eſt et diutius perſiſtit quam in aliis partibus irritabilis cordis natura, ex qua illud tunc adhuc irritatum mouetur, quando nullus amplius motus in aliis muſculis excitari poteſt. Ea etiam cordis vis eſt, quae quaeuis vaſa diſtendat et repleat, et cum celeritate ſanguinem per ea promoueat; eam validam ſatis eſſe in cordis vicinia, ex eo iam intelligitur, quod ſanguis ex minimis ar-

p. 46.

teriis ad altitudinem quatuor pedum proſiliens, dum ex aorta prorumpit, duodecim pedum altitudinem
p. 87. aequet. Inter ea porro quae arteriarum ſe contrahentium in ſanguinem efficaciam comprobant, non infimum locum illa tenet obſeruatio, quod ſanguis ob vinculum arteriae iniectum, a corde non actus, in illud tamen redeat, et ab arteriis artuum oſſeis factis, cum venarum tumore, ſequatur ſphacelus. Pulſus in conicis hiſce vaſis percipiendus eo quidem rarior eſt, quo magis quisque aetate creſcit. Nam qui in puncto ſaliente, in unico minuto primo numerari poterant 134 pulſus, in recens natis ad 120, in ſenibus tandem ad 60 redeunt. In motu muſculari aucto, et febribus mediocris celeritas eſt ab 110 uſque ad 120, maxima 130. 140. Varie tandem a pathematibus turbatus pulſus, quoad anni etiam tempora locumque diſcrepat, ita, ut aeſtate plures, hyeme vero pauciores quoad 10 imminuti pulſus, ſub torrida vero zona ad 120 numerentur. Ex reciproca iſta cordis et arteriarum actione in ſanguinem, et ſubſequente illius reactione, frictio naſcitur, a qua praeter alia, calor etiam ſanguinis prouenit; id, quo credamus, nobis perſuadet ſanguis calidus piſcium, quibus magnum cor eſt, frigidus contra eorum, qui illud exiguum habent, magnus calor auium, quibus cor grandius cum pulſu frequentiori, et calor auctus
p. 103. ab omni motu et frictione. Licet vero capta huc uſque experimenta illud, quod arterioſum atque venoſum ſanguinem intercedit, diſcrimen non doceant, ſplendidus tamen arterioſi ſanguinis rubor et vis attractilis ab aquea tenuitate et atra fuſcedine venoſi
p. 101. haud parum differt. Praeter eas deinde, quae in fluidis haerent, diuerſi in ſingulis temperamenti cauſas in ſolidis etiam, vis irritabilis maior et durities cum mobilitate ad cholericum, vis irritabilis minor cum modica duritie ad ſanguineum, irritabilitas contra et durities minor ad phlegmaticum, irritabilitas tandem

maxima

maxima, cum debilitate coniuncta, ad melancholicum p. 110. ſic dictum temperamentum pertinet. Arteriae exhalantes, quae liquores non coagulabiles fundunt, aeque ac glandulae folliculiue, irritabiles ſunt et laceſſitae copioſius ſecernunt. In celluloſa illa tela, quae omnia, extrema etiam, vaſa et glandulas ambit, nulla ſpatiola caua aut areolae eſſe videntur, in quas ſecretus liquor effundi poſſit, ex iis enim nulla vel difficillima certe ad ductum excretorium eſſet via. Prima p. 120. equidem et ſimpliciſſima ſecretionis machina ea eſt, ut lumen oſculi excretorii eas tantum moleculas admittat, quarum volumen diametro oſculi minus ſit, non unicam tamen hanc eſſe ſecretionis rationem, ex eo apparet, quoniam grandia animalia ſimiles cum paruis liquores generant. Ad nutritionis hiſtoriam p. 136. quod attinet, in ſolidorum reparatione aeri multum tribuendum eſſe videtur, quippe qui cum fluidis accedens et inhaerens ſolidis partibus, in iisdem uberior, pro glutine terrae et aquae eſſe videtur, nulla enim fit eorum ſolutio, niſi extracto et in elaſticas bullas reparato aere. Incrementi iuniorum animalium adeo conſpicui cauſa etiam in cordis impetu et efficacia poſita eſt, quippe quod notabili ratione maius, quo propius ab ortu eſt animal, ut in homine proportio fere in puero ad adultum ſeſqui altera ſit. In inſpiratione intercoſtales internos coſtas eleuare, p. 162. praeter alia experimentum etiam in cadauere docet, cuius thorace eleuato, hi muſculi intumeſcunt. Aer p. 167. inſpiratus in pulmone ut loco perpetuo calidiore a ſanguine incaleſcit, ita, ut in Europa ſeptentrionali, in qua medius gradus caloris atmoſphaerici eſt 48 graduum, aeris de pulmone expulſi calor ad 94 gradus adauctus reperiatur, et inſigne hocce eius augmentum, ab ipſa cute calente, dum anima ipſi afflatur, perſentiſcatur. Sanguis ipſe, per vaſa pulmonum in exſpiratione collapſa tranſire non potens, nouam inſpirationis neceſſitatem facit; Et diutius quidem in

aere denſiore quam in rariore perſiſtimus, ille namque facilius, et ſua ſponte pulmones intrat et eos diſtendit, hic contra reniſum bronchiorum aeriſque, in pulmonibus adhuc haerentis et calefacti, ſuperare non valet. Notandum interim eſt, aerem ob raritatem quoad dimidium naturalis ſui ponderis imminu-
p. 173. tum abſque noxa a nobis tolerari. Aer etiam non renouatus ob alcalinos tantum vapores nocet, ad leuitatem enim eius auctam reſpiciendum hic non eſſe, mercurius docet, quippe qui parum cadit in aere illo non renouato, qui animal occidit. Idem hoc pulmonum organon prae cordis aut reliqui corporis motu calori ingenerando potiſſimum inſeruit, docent id piſces, qui, viuidiſſimi et vehementer etiam moti, ſi abſque pulmone ſunt, tamen frigent, pigerrimi alii et ſomnolenti quaſi at reſpirantes, qui inde calent, ut homo. Denſior etiam euadit in pulmonibus ſanguis, id quod ex tenui aquoſo leuique piſcium ſanguine iterum intelligi poteſt, leue tamen eſſe hoc denſitatis augmentum, praeter alia multa, illud etiam docet phaenomenon, quo ſanguinem a ſummo frigore paululum condenſari edocemur. Neque refrigeratur ſanguis in pulmonibus. Quamuis enim ille quicquam caloris aeri inſpirato tribuat, eundem tamen, et plus adhuc, iterum recuperat; ſiniſtrum praeter ea cor dextro non eſt frigidius, vita quoque perſiſtit in aere multo calidiore, quam ſanguis ipſe eſt, amplitudo tandem arteriae pulmonalis dextrique cordis pro mora ſaepe in aucto humorum motu neceſſaria eſt, vena vero ipſa paulo anguſtior ſanguinis celeriorem motum quodammodo iuuat. Reſpirationum numerum cum pulſu non ſemper creſcere, iis in febribus obſeruari poteſt, in quibus pulmo liber
p. 200. eſt. Ex nobiliſſima cerebri functionum declaratione, dura mater, cum ea abſque omni ſenſu et neruis ſit, immo irritabilitate deſtituatur, motu quodam peculiari praedita eſſe non poteſt. Expeditum etiam,

iam, ſi ullibi in corpore, in cerebro certe ſanguini iter eſt, ita, ut carotidibus aut iugularibus venis ligatis, circuitus eius non cohibeatur. Glandulae pituitariae inſertus conus ſeu infundibulum, aliis medullaris, Cl. Auctori vero corticalis magis eſſe videtur. Miram deinde neruorum functionem per p. 238.
tenſionem eorum explicari non poſſe, praeter permulta alia, valida ſatis argumenta, cerebri ipſa medulla docet, quippe quae molliſſima licet, irritata tamen dolet, et, ita, ut neruus, conuulſionis phaenomena edit. Varia porro faſciculorum nerueorum collectio, et diuerſa earundem origo, a prouida natura eum in finem ſic ordinatae ſunt, ut actionum integritas eo facilius perſiſtere queat, verum tamen et illud eſt, quod multae ſubtiliores medullae ſtriae neruorumque imagines atque tubercula, a ſola adiacentium vaſorum pulſatione et partium incumbentium figura proueniant. Cerebrum denique ipſum inſenſile eſt, idque eam ob cauſam, quod omnis ſenſatio, per medullarem eius partem ad animam peruenit, illa itaque compreſſa et impedita, ipſe preſſionis ſenſus percipi nequit. Muſculus, qui to- p. 250.
tus vel ex parte tantum in quibusdam faſciculis mouetur, ab externa etiam cauſa in contractionem deductus, tumet. Triplicis generis vires in muſculi actione declaranda aeſtimandae veniunt. Praeter phyſicam enim, poſt mortem adhuc perſiſtentem, vim contractilem, irritabilis etiam eſt muſcularis fibra, quae a cauſis externis affecta, conſtringitur, palpitat, alterne agit et remittit. Haec irritabilis natura in celluloſa tela nulla, in membranis, ligamentis atque tendinibus debiliſſima, muſculis, cordi et inteſtinis propria quaſi eſt, diutius a morte in iis perdurat et facilius iterum excitari poteſt. In molli fibra reperiunda indureſcente vero euaneſcens haec vis, a pondere, elatere et attractione non pendet, neque per neruos explicari poteſt; a neruis enim et cerebro

 ſepara-

ſeparatae irritabiles partes eandem adhuc per tempus
retinent, in polypis etiam aliisque inſectis et plantis
denique obſeruandam. Per neruos, experimento-
rum teſtimonio confirmatam, ad muſculos aduenien-
tem motus eorum cauſam ſi conſideramus, ratio cer-
te reddi non poteſt, qua nerui muſculum in motum
cient. Per elaterem nerui, fibrae arterioſae circum-
plicati, eamque conſtringentis, obſcuram hanc actio-
nem aeque minus ac ex aliis aſſumtionibus explicari
poſſe, animalium phaenomena, quae absque cerebro
et medulla ſpinali ſunt, docent, quippe quae muſcu-
p. 269. los habent agiles et ad motum aptos. Adiuuatur
egregie muſculorum motus per cuti ſubſtratam pin-
guedinem, quam exhalare per vias pilorum Cl. Auctor
p. 282. aſſumit. Papillae nerueae, quae guſtui praeſunt, re-
liquis duriores ſunt, firma enim atque pulpoſa cel-
luloſa tela, neruos, arterias et venas in tubera con-
glomerata coniungit, quorum multa unam papillam
p. 324. maiorem conſtituunt. Circulus ille celluloſus, qui
lentem cryſtallinam circumdat, canalis Petiti plerum-
que dictus, a retina fit cum ligamento ciliari adue-
niente, recedente a vitrea membrana, quae poſte-
rius paululum retina vero anterius capſulae lentis ad-
naſcitur, ita, ut ſpatium inde fiat, quod flatu ad-
p. 327. miſſo annulum exprimit. Praeter inſignem illam,
quae a neruis ciliaribus prouenit iridis ſenſibilitatem
et occultiorem proceſſuum ciliarium motum, pecu-
liarem ſphincterem pupillae aut corneae conſtricto-
rem, vel lenti ab aliis adſcriptas motrices fibras, ex
eo aſſumendas non eſſe iudicat Cl. Auctor, quod
anatome eas non declaret, lentis etiam atque corneae
in multis animalibus eadem ſemper durities, contra-
p. 346. riari iisdem videatur. Mirabilis porro illius phae-
nomeni, quod unum obiectum duobus oculis videa-
mus et unicam eius imaginem nobis tantum ſiſtamus,
ratio ea eſt, quoniam unica ſemper et absque diſcri-
mine fiat ſenſatio, ſi ſimiles ſunt duorum obiecto-
rum

rum in idem punctum retinae utriusque oculi impreſſiones cet. Conſpicua et notabilis valde animi affectuum vis in motu ſanguinis immutando per ſphincteres et laqueos neruorum in vaſa exercetur. A varia namque neruorum ſenſilitate arterias plus minusue irritabiles reddi, hinc ab eadem ſanguinis copia vehementius aut languidius contrahi, et inde motum ſanguinis vel incitari vel elangueſcere a vero propius abeſt. Periſtalticus ille inteſtinorum motus eo facilius a ſtimulo ingeſtorum contingere poteſt, quo maior eorum ad motum eſt aptitudo; inteſtina namque, quoad irritabilem ſuam naturam, cum corde ipſo adhuc certant, et, niſi illius ſenſibilitatem ſuperent, aegre certe ab illo ſuperantur. De generationis denique hiſtoria ſi dicendum eſt, praeſentia animalculorum in ſpermate ex motu eorum vario, euitatione concurſus, retrogreſſu et mutatione velocitatis intelligitur. Amnii liquor primis certe temporibus alibilis eſt, et nutritioni fetus inſeruit, ultimis enim geſtationis menſibus, acriorem eum fieri, et ab utero aduenire, plerique exiſtimant. Cum alantois in homine deficiat, urinae quicquam in ſpongioſam et celluloſam ipſius funiculi fabricam effundi, ex eo etiam coniici poteſt, quod homo inter omnia animalia longiſſimum nactus eſt funiculum.

p. 357. p. 466. p. 515. p. 552.

Exempla tantum in praeſenti exhibuimus praeclari illius augmenti, quod illuſtris Auctor alteri huic editioni addidit. Sunt alia multa ad partium in primis fabricam pertinentia, quae ob rei dignitatem et amplitudinem repeti a nobis aut enumerari non potuerunt, v. c. ventriculorum cerebri, et plenior paulo priori unguium, glandularum itidem muciferarum linguae et muſculi circumflexi palati additae deſcriptiones, quae omnes aeque ac tota huius libri retractatio, indefeſſum Cl. HALLERI in promouenda fabricae agendique modi partium corporis noſtri cognitione poſitum ſtudium et operam felicem ſatis et abunde teſtantur.

p. 216. p. 269. p. 280. p. 394.

XXII.

Diſſert. inaug. de Carebaria. Auctore PETRO HECKERS. Lugd. Batav. 1751. 4. pl. 2.

His noſtris demum temporibus vox *Carebaria*, ex καρη, caput, et βαρυ, graue, compoſita, a non nullis auctoribus uſurpata fuit. Hoc ſpeciali titulo eum corporis ſtatum, quo *capitis grauitatem*, *per morboſam internam cauſam inductam*, ſentit aeger, tamquam ſpecialem morbum inſigniunt. In eo exponendo valde ac fere nimis breuis eſſe videtur Cl. Auctor. Humorum quantitatem, aut virium defectum, aut utramque hanc cauſam ſimul concurrentem, generales eius eſſe cauſas, curationem vero pro diuerſis eius cauſis eſſe quoque debere diuerſam, iisque reſpondere, dicit, quarum praecipuas et prae aliis facile obuias enarrat. A cephalalgia differre carebariam in eo putat, quod in hac mera cruditas ſine corruptione, quae vi vitae adhuc emendari poſſit, in illa vero quaedam acrimonia ſimul in cauſa eſſe, obſeruetur. Nihilo tamen minus inter carebariae genera illud, quod a materie melancholica oriri dicitur, cui ſine dubio quaedam ſemper acrimonia iuncta eſt, ab ipſo relatum eſſe, reperimus.

XXIII.

Quaeſtio medica: Vtrum in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio et reparatio? Praeſ. IOANNE FRANCISCO CLEMENTE MORAND, proponebat PAVLVS LE ROY. Pariſ. 1751. ½ pl.

Nutritionem in ſolidis aeque ac fluidis corporis humani locum habere, peruulgata eſt ſententia. Fluidis eandem adſcribendam eſſe tantum, Cl. Auctor opinatur, cum ex illis ſcilicet continuo quidquam perdatur, perpetuo reſtituendum, neque tamen, ut autumat,

mat, primus ſouet hanc opinionem, cnm DEIDIERIVM *, Gallum pariter medicum, deinde LISTERVM **, Anglum, eandem defendiſſe conſtet. Praecipua eius argumenta, ex humorum in minimis vaſculis lento admodum et imbecillo motu, ex vaſorum flexilitate, humorum motui cedente, hinc attritum et deſtructionem non perpetiente, internaque vaſculorum laeuitate lubricitateque deſumuntur. Impoſſibilitatem tandem urget, quae in perenni fluidorum motu ſit, ut idem, qui deſtruit, iterum reſarciat deperdita, quae reparatio ſine quiete certe fieri nequeat, ſuamque eo magis confirmari arbitratur ſententiam, quod in maioribus, vehementerque motis partibus, ut corde, oſſium articulis, muſculisque nullam laeſionem hoc ipſo induci obſeruamus. Sed haec, ab aliis iamiam non contemnendis rationibus excuſſa ſunt atque refutata argumenta, ſufficiat tantum adnotaſſe, quotidianam, ſolidas partes deſtrui et cum ſecretis humoribus excerni, vulneraque ex fluidis reſtaurari, experientiam luculentiſſime teſtari.

XXIV.

Quaeſtio medica: An minor in foetu, quam adulto, partium ſolidarum abraſio? Praeſ. BERNARD DE IVSSIEV defenſa a SIM. ANTON. BRINGAVD. Pariſ. 1751. ½ pl.

Pro aetate ſolidarum, quae certe fit, partium deſtructionem differre, declarat Cl. Auctor. Hinc ſolidorum abraſionem et veram deſtructionem in ratione motus eſſe demonſtraturus, fluidorum motum in foetu admodum lenem et temperatum, ſolidorum vero fabricam tomentoſam magis eſſe aſſerit, nec non fluido-

* Anat. raiſonnée du corps humain. p. 175.

** Liſter de humoribus. c. 1. p. 3. ed. Amſtd. 1711. 8.

fluidorum etiam deſtruentem ſimul acrimoniam deficere ex urinae bilisque natura, inſulſa fere et dulci probat.

XXV.

DANIEL GOTTFRIED SCHREBERS, *der Rechte Doctoris, hiſtoriſche, phyſiſche und oeconomiſche Beſchreibung des Waidtes, deſſen Baues, Bereitung und Gebrauchs zum Farben, auch Handels mit ſelbigen überhaupt, beſonders aber in Thüringen. Mit Beylagen und einem Anhange dreyer alter Schrifften. Halle, in Commiſſion der Buchhandlung des Waiſenhauſſes 1752. 4. mai. alph. 1 pl. 15. tab. aen. 4.*

i. e.

Hiſtorica, phyſica et oeconomica iſatidis deſcriptio. Acced. Documenta et trium antiquorum ſcriptorum appendix.

Vniuerſam Thuringiae oeconomiam aliquando in ſingulari libro deſcribendi diu iam conſilium coeperat Cl. Auctor, dum vero ad vegetabilia accederet, et collectas de iſatide relationes copioſas admodum inueniret, has ut prodromum maioris operis ſeorſim exhibere ſatius utiliusque duxit, atque hanc ipſam tractationem, nunc demum abſolutam et in ſex capita
p. 1. diſtributam, propriis ſumtibus euulgauit. *Capite* itaque *primo de iſatide in genere* agit, et enumeratis variis variarum gentium nominibus, duplicem in primis huius herbae differentiam annotat, dum ſylueſtris vel anguſtifolia alia, alia vero ſatiua dicitur; deſcriptionem porro plantae ex TOVRNEFORTIO, WEINMANNO atque LINNAEO repetit, cui, ſatiuae in primis, quippe quae ad pigmenta praeſtantior habetur, accuratam deſcriptionem ipſe adiungit, loca etiam eiuſ-

eiuſdem natalia varia commemorat et diuerſas medicatas vires ex Auctorum ſcriptis recenſet. *Caput ſe-* p. 32.
cundum de cultura iſatidis in Thuringia et commerciis, quae cum illa inſtituitur, *in genere* tractat. Hiſtorica modo continet, quae ad nos non ſpectant. In *capite* p. 46.
tertio de cultura et prima iſatidis praeparatione diſſerit. In pinguiori atque fodiendo praeparata terra laetius quidem creſcit planta, in mediocri vero, atque ſtercorata, ſi ſeritur, praeſtantior et ad tingendum aptior enaſcitur. Tempus vero, quo ſemina terrae committuntur, pro ratione agri differt, vel enim ianuario menſe in praeparatam terram, vel martii initio in requietum agrum immittuntur; qua ex re differentia quoque de hyemali et vernali iſatide eluceſcit. Sparſis itaque ſeminibus et radicalibus foliis formatis meſſis inſtituitur, quae in cauta foliorum a radice ſeparatione conſiſtit, et pro ſationis tempore ter quaterue, quando exteriora luteſcentem colorem induunt, celebratur, decerpta vero haec folia aqua lauantur, in pratis diſperguntur, ſaepeque vertuntur, ut quodammodo marceſcant. Quo facto, prima praeparatio ſuſcipitur; mediante enim molari lapide comminuuntur folia, et in aceruos, tandemque in globulos compinguntur, qui dein radiis ſolaribus expoſiti torridique facti, in locum, aeri perflanti patentem, reponuntur, ut euaporent humida, contrahantur ac indureſcant. Molam ipſam, pro comminuenda herba aptiſſimam, delineatam in fronte libri exhibuit Cl. Auctor. *Secundam praeparationem in quarto ca-* p. 81.
pite deſcribit, atque haec in putrefactione conſiſtit, qua inertes plantae partes plenarie reſoluuntur. Pilae itaque illae compactae et induratae ligneo malleo diffringuntur, et aqua aſperſa humidae redduntur. Quo maiori vero in copia haec aſpergitur, eo melior ad tingendum eoque tamen ſimul ponderoſior euadit iſatis. Facta hacce aſperſione pilae diffractae in aceruos colliguntur, ſaepeque vertuntur,

et

et ſecunda tertiaque vice aqua affunditur. Praepa-
rata hac methodo folia coeruleum pigmentum prae-
p. 101. bent, in cuius *uſum capite quinto* inquirit Auctor,
p. 131. quibus in *ſexto* varia addit, quae *cauſas* concernunt,
*cur iſatidis cultura in Thuringia prorſus fere neglecta
fuerit*, *et qua ratione ea reſtituenda.*

p. 1. In altera libri parte leguntur imperatorum man-
data et leges, quae ad culturam et in primis ad com-
mercia cum iſatide inſtituenda ſpectant. Sequuntur
deinde excerpta ex aliorum Auctorum ſcriptis. Ita
p. 42. ex WEDELII tractatu de ſale plantarum volatili, ea ca-
pita, quae deſcriptionem, praeparationem uſumque
iſatidis ſiſtunt, in germanicam linguam tranſtulit.
p. 47. Porro ex tinctoria arte, quam HELLOTVS gallice
edidit, plurima germanice repetiit, et quibusdam
p. 59. annotationibus illuſtrare tentauit. Haec ſequitur HEN-
RICI CROLACHII liber *de cultura herbae iſatidis.*
Tiguri 1555 editus, qui latino, ut antea conſcriptus
erat, ſermone recuſus integer legitur. Hunc exci-
pit LAVRENTII NISKEE germanico idiomate ſcri-
ptus et Erfordiae 1631. euulgatus liber, cui titulus
p. 91. *Waidtbedencken*, h. e. Cauſa et modi, qua ratione
commercia cum iſatide in Thuringia reſtauranda;
ultimo tandem eiusdem Auctoris alium tractatulum,
p. 109. qui Lipſiae 1633. germanice, praefixo latino titulo,
Thuringiae commercium et diuitiae, prodiit, hic re-
cuſum deprehendimus. Iconum tabula prima mo-
lam ad comminuenda folia accommodatam ſiſtit, re-
liquae vero tres plantam egregie delineatam reprae-
ſentant, atque in harum priori radicalia folia, in al-
tera caulem ſimplicem eique adhaerentia folia, et in
tertia ſuperiorem caulis partem foliis, ramis, flori-
busque ornatam, praeter ea quoque florem eiusque
partes ac fructum conſpicimus.

Cum fere ſemper gloriam reportauerint illi Viri,
qui uſum plantarum curatius docuerunt, SCHREBE-
RI etiam ſuſceptum laborem exinde magni aeſtiman-
dum

dum eſſe, quilibet facile perſpiciet. Aſt ſi rationem modumque, quo iſatidis culturam diuque celebratum uſum exponere annifus fuit Cl. Auctor, contemplemur, quicquam adhuc monendum deprehendimus. Dubitamus enim, an multa, nouiter inuenta, atque antea ignota hic tradita fuerint, et ſi quae forte horum ſunt, ea ab illis difficulter ſaepe diſcerni poſſunt, quae ex aliorum ſcriptis in omni fere pagina inſeruit. Ea namque, in prima libri parte ſi demeres, quae ex CROLACHIO, HELLOTO aliisque pluribus adduxit, multum certe a mole ſua recederet liber. Et eo magis miramur horum virorum aſſerta per partes, atque ita ſparſim repetiiſſe SCHREBERVM, cum integra appendici inſerta legantur, porro et inde praeter neceſſitatem libri pretium multum fuerit auctum. Poſſit itaque quiſquam, ſi operae pretium eſſet, in paucis plagulis ea repetere ac exhibere, quae proprie ad ipſum Auctorem ſpectant.

XXVI.

Radicis rubiae tinctorum effectus in corpore animali, proponit et defendit D. IO. BENIAMIN BOEHMER. Anat. et Chir. Pr. Publ. Subſtit. Ordin. Reſp. CHRIST. AMAND. GEBHARDO. Lipſiae. 1751. 4. pl. 6.

Inter ea, quae in corpus animale ingeruntur, corpora rubia tinctorum illud eſt, quod, digeſtionis eludens vires, minime mutatum perſiſtit, ſuique praeſentiam in variis partibus, in duriſſimis potiſſimum oſſibus, clare ſatis demonſtrat. Sed, quamuis noſtris temporibus experimenta, cum hac radice inſtituta, omnibus innotuerint, ex antiquioribus tamen, qui ad effectus hoſce attenderint, ſollicite admodum in hanc rem inquirens Cl. Auctor, inuenit neminem, praeter ANTON. MIZALDVM, qui erythro-

erythrodanum oſſa pecudum rubenti colore imbuere,
p. 7. ſi illud fuerint depaſtae oues, adnotauit. Ex Anglis deinde et ante quindecim circiter annos, IOANNES BELCHIER fortuito iterum caſu hocce detexit phaenomenon, unde demum ad exteros eius fama cognitioque deuenit, quorum in perficienda huius mutationis cognitione merita accurate deſcripta legimus. Quo facto ad ipſius radicis adhibendi methodum re-
p. 13. ſpiciens Cl. Auctor, pulueris radicis uſui, decoctum et extractum, quod vocant, aquoſum praefert. In eligendis pariter animalibus iuniora praeſtant adultioribus, et ex his quidem ipſe experimenta in canibus, porcis, gallinis atque columbis inſtituit, aliaque horum animalium bene nutriri, alia e contrario decreſcere obſeruauit. Interim non in oſſibus tingendis ſolum, quod huc uſque creditum eſt, ſed in mutandis etiam aliis partibus mollioribus rubiae
p. 17. ſeſe exſeruit efficacia, volatilium quidem pennae et roſtra, quadrupedum pili, ſetae et ungulae, cutis reliquaeque membranae, glandulae etiam, niſi quod tumidae durioresque euaderent, muſculi, deinde tendines, vaſaque, quoad colorem, a ſtatu ſano nullatenus recedebant, gula tamen in volatilibus intus colore rubro picta, et ventriculi ſcuta cartilaginea, excepta muſculari fabrica, eleganter rubere conſpi-
p. 20. ciebantur. Interna quoque viſcera paene omnia nihil, quod ab huius radicis uſu mutatum fuerit, demonſtrabant, praeter ſolum hepar et renes, quorum externa facies exuperantius colorata fuit, ex quo etiam euenit, ut poſt aliquot tempus horum viſcerum nouam inſtituens perſcrutationem, indurata illa inuenerit, non putrefacta aut corrupta, in hepate praeter ea innumerabilia tubercula, granulorum inſtar eminentia, conſpexerit Cl. BOEHMER. Nec humores intacti relinquebantur, de chylo quidem nihil dici poteſt, de ſanguinis ſero tamen comperit, illud, prout etiam urinam, rubiae colore tinctum fuiſſe.

Singu-

Singularis in bile euentus fuit, illa namque tenuis non ſolum et eleganter rubens in cyſtide ſua fuit reperta, ſed etiam aſſeruata putredinem non contraxit, quam ſane conditionem a rubiae radice comeſta fuiſſe profectam, aliud deinde, recenti nimirum bili admiſcendo huius radices puluerem, bilem a putredine praeſeruantem, docuit experimentum. Ad oſſium denique conſiderationem accedens, perioſtium immutatum, album, axungiam vero articulorum grate rubentem, nec non omne, quicquid vel per ſe oſſeum eſt, vel praeter naturam in oſſeam ſubſtantiam abiit, ſaturate rubicundum, quicquid vero cartilaginoſum aut ligamentoſum eſt, albedine ſua ſplendens repertum fuiſſe teſtatur. In ipſis tamen oſſibus quaedam partes magis, quaedam minus tinguntur, inconſtanti ordine. Quaecunque vero illa ſit oſſibus accidens mutatio, haec a ſano, quoad firmitatem duritiemque, ſtatu non receſſerunt. Praeterimus reliqua a Cl. Auctore facta, et ob ſuam bene notanda praeſtantiam, experimenta, hoc unicum adhuc adnotaturi, eum non rubiae radice ſolum, ſed alia quoque vegetabilia adhibuiſſe et ex his quidem *Cruciatae longifoliae*, *glabrae*, *bacca gemella* AMMANNI radicem elegiſſe eoſdemque in mutandis oſſibus effectus obſeruaſſe.

p. 24.
p. 31.

XXVII.

IO. BENI. BOEHMERI, M. D. P. P. S. O. proluſio ad anatomicas exercitationes, qua callum oſſium e rubiae tinctorum radicis paſtu deſcribit. Lipſ. 1752. 1½ pl. c. tab. aen.

Cum ad oſſium fibras penetrare rubiae radicis particulas adeo explorata res ſit, non ſine ratione certe hanc ſingularem nutritionis ſpeciem ad explicandam oſſium geneſin, multum conferre poſſe credidit

dit Cl. Auctor. Hanc igitur ob rationem varia in animalibus, hac radice paſtis, inſtituit experimenta, oſſa iis fregit, et ſollicite inde enati calli ſuſcepit diſquiſitionem. Triplex hic exponitur experimentum, primum in columbae crure, alterum in metatarſi porcelli oſſibus, tertium dein in eiuſdem porcelli tibia et fibula captum. Praecipua in his oſſibus fractis, data opera neglectis, nec repoſitis, ſed naturae ſolum commiſſis, notata momenta, calli naturam egregie illuſtrantia, haec ſunt: In ſede oſſium fracturae nodus, circumquaque ab intumeſcentibus oſſibus enatus, quoad externam ſuperficiem albus, perioſtioque tectus conſpiciebatur. Perioſtium ipſum album, vel non mutatum, vel craſſius paulum redditum aderat, in nodi praecipue loco laminas dimittebat, cellulas efformantes quaſi, et oſſium fragmenta, eleganter rubra, continentes ipſaque noua enata oſſium tubercula inuoluendo complectentes, ad interiores oſſium ſedes deſcendentes, cumque interno perioſtio communicantes. Extremis oſſium fractis, a latere ſibi appoſitis itidem cartilaginea intererat ſubſtantia, non oſſeſcens, nec colore rubicundo tincta, ſed eleganter alba. Ex his, quae ad calli indolem declarandam vel oſſium generationem explicandam cogi poſſunt, alio tempore ſe expoſiturum eſſe promittit Cl. Auctor, in nitida icone nobis hic ſiſtens, tibiae fibulaeque oſſa, tum integra, tum diſſecta, in quibus calli, ad oſſium fracturas enati, praeſentia et conditiones diſtincte cernere licet.

XXVIII.

Noua Medica.

In tanto corporum petrefactorum numero et inſigni, quo hiſtoriae naturalis ſtudioſi tenentur, eorum amore, non iniucundum eſſe futurum lectoribus arbitramur, quodſi arboris petrefactae cuiusdam penes

penes nos, in vico Hilbersdorf prope urbem Chemnitium, detectae, et inter cimelia rerum naturalium Sereniſſimi noſtri Regis, Dreſdae reperiundis, reconditae mentionem faciamus, in primis, cum accuratam illius exhibere poſſimus deſcriptionem. Primus eam iam anno 1751. detexit DAVID FRENZELIVS, qui lapidum pretioſorum, in terris noſtris reperiundorum, curam habet. Cum enim ille hiſce in locis varias ligni, in lapidem conuerſi, particulas inueniret, in colle, verſus meridiem ſito, terram effodere coepit, atque ad ulnae tantum quartam deueniens partem ſenſim iam maiores ligni eius modi partes obtinuit, ex quarum ſitu nexuque arborem olim hic fuiſſe ſuſpicatus, adſcitis in adiumentum operariis, duarum cum dimidia ulnarum profunditatem emenſus, arboris, in duriſſimum lapidem conuerſae, reliquias feliciter reperit. Remouendo itaque, quaecunque obueniebant, impedimenta, ad quinque ulnarum profunditatem integer arboris truncus comparuit, duas ulnas et tres quartas eius partes altitudine, duas cum dimidia ulnas diametro, octo peripheria aequans. Interim inferior, radici proxima, pars cum trunco deſcripto ulterius non cohaerebat, ſed eo ipſo, quem indicauimus, loco ad dimidiam verſus ſeptentrionalem plagam ulnam receſſerat, ita quidem, ut ad duorum pollicum diſtantiam prae trunco adhuc emineret. Extracta poſt ea arbore, quae vero integra vix poterat erui, cortice ex albo rutilante inſtructam, interius vero nigro, albis intercurrentibus ſtriis, colore imbutam eſſe conſpiciebatur. Trunci tamen inferior pars, diametri trium ulnarum, ad ſeptem tandem ulnarum profunditatem radices, circum quaque trunco adhaerentes et in lapidem mutatas, oſtendebat. Duodecim maiores numerabantur, longitudinis ſesqui ulnae, ob minorem autem denſitatem et intercedentem partium laxiorem nexum per partes

ſolum in lucem protrahebantur, accurate licet remanentibus notis, ubi olim inter ſe cohaeſerant et radices et truncus, id quod vel a terrae pondere incumbente, vel ab aliis, terram conquaſſantibus, cauſis proueniſſe videtur. Singulare hoc fuit, in illa profunditate aliquando matutino tempore aquam proſiluiſſe, ex tenui, ad occaſum vergente, fiſſura, eam vero non ſemper pari acceſſiſſe impetu. Progredientes itaque ad duarum adhuc ulnarum profunditatem, non niſi argilla ex rubro viridique colore mixta, interſperſa mica, reperiebatur. Totum, in quo deſcripta recondebatur arbor, ſaxum ex undecim diuerſis terrae componebatur ſtratis, ſequenti nimirum ordine: 1) Humus, tenerioris albicantisque margae ad unius et trium quartarum partium ulnae deſcendens; 2) marga denſa, alba, cum eiusdem coloris lithomarga commixta; 3) marga rubra et lithomarga intercedens ſimilis coloris; 4) Argilla alba, denſa; 5) marga rubra et lithomarga; 6) argilla virideſcens; 7) eadem, ſed durior; 8) argilla rubra; 9) virideſcens; 10) argilla rubri fuſcique coloris, a margacea propior natura; 11) argilla viridis, talcoſa, et interſperſa mica. Huic ultimo in primis ſtrato inhaeſerant radices, pleraeque directione ſua verſus occaſum ſpectantes, ad duas vel tres quandoque ulnas a trunco remotae, in partes quidem diuiſae, quarum tamen facili opera reſtitui poterat ſitus naturalis. Colore extus conſpiciebantur albido, ad cinereum vergente, intus albo, vel qualis eſt pyromachi, talisque erant duritiei, ut omnes ſimul cum lateralibus radicibus, mox cinerei nigricantis, mox rufeſcentis, mox atri coloris, ferro alliſae ſcintillas eliciant.

Profeſ-

Profeſſores medicinam docentes in Academia Lugduno Batauа:

BERNARD SIEGFRIED ALBINVS, Med. Doct. Medicin. Anatom. et Chirurg. Prof. P. O. Collegii Chirurgici Leidenſis Praeſes.

ADRIANVS VAN ROYEN, Med. Doct. eiusdem et Botanices ac Collegii Practici Prof. P. O. Collegii Pharmaceutici Praeſes, Societ. Londin. Sodalis.

HIERONYMVS DAVID GAVBIVS, Med. Doct. eiusque ac Chemiae et Collegii Practici Prof. P. O.

FRIDERICVS WINTER, Med. Doct. eiusque Prof. P. O. Sereniſſ. Auraſ. et Naſſov. Principis Archiater.

FRIDERICVS BERNARD ALBINVS, Art. L. M. Philoſ. et Med. Doct. Anatom. et Chirurg. Prof. P. O.

His ex Philoſophis adiungendi ſunt:

PETRVS DE MVSCHENBROEK, Art. L. M. Phil. et Med. D. Philoſ. et Matheſeos Prof.

IOHANNES ALLAMAND, Art. L. M. et Phil. D. Philoſ. et Matheſeos Prof.

Collegii anatomico chirurgici Brunſuicenſis membra:

CHRISTIANVS IEREMIAS ROLLIN, M. D. Anatomiae Profeſſor Ordinarius.

AVGVST WAGENER, M. D. Chirurgiae Demonſtrator Primus.

PHILIP. FRIDERICVS RAMDOHR, Chirurgiae Demonſtrator Secundus, Ducis Brunſuicenſis Protochirurgus.

VRBANVS FRIDERICVS BENEDICTVS BRVCKMANN, M. D. Theatri anatomici Proſector Primus.

Membra Regiae Scientiarum Societatis Anglicanae, quae Concilium, a die 30 Nouembr. 1751. uſque ad diem eundem huius anni perdurans, conſtituunt.

MARTIN FOLKES, Eques Anglic. (*Eſquire*) Societatis h. t. Praeſes.

THOMAS BIRCH, A. M. Societatis Secretarius.

FRANCISCVS BLAKE, Eques Anglic.

IACOB BVRROW, Eques Anglic.

IOHANNES CANTON, A. M.

CAROL. CAVENDISH, Dynaſtes. (*Lord*)

PETRVS DAVALL, Eques Anglic. Societatis Secretarius.

IO. ELLIKOTT.

GVILIELMVS HEBERDEN, M. D.

GOVIN KNIGHT, M. B.

GEORG. Comes DE MACCLESFIELD.

NICOLAVS MANN, Eques Anglic.

RICHARD MEAD, M. D. Medicus Regius.

HANS SLOANE, Medicus Regius, Baronetus Anglic.

CAROL. STANHOPE, Eques.

IO. WARD, L. L. D. Rhetorices Prof. Greshamens.

GVILIELM. WATSON.

IAC. WEST, Eques Anglic. Societatis Theſaurarius.

WILLOVGHBY, Dynaſtes Parhamenſis. (*Hough-Lord.*)

DANIEL WRAY, Eques Anglic.

In *Wittebergenſi* Academia ex Potentiſſimi Regis voluntate, pro paterna Eius ſcientiarum cura, ea, quae a morte ABRAHAMI VATERI vacabat, Medicinae Primaria Profeſſio Ill. DAN. GVILIELM. TRILLERO Pathologiae et Chirurgiae huc uſque Profeſſori, tradita fuit, in eius locum, qui Anatomiam et Botanicam hactenus docuit, Vir Cl. GEORG. AVGVSTVS LANGGVTH conceſſit. Tertium vero hoc, plantarum et hominis fabricam declarandi munus, ad clariſſimum et nobis amicum GEORGIVM RV-

DOL-

DOLPHVM BOEHMERVM, Philoſ. et Medic. Doctorem, per aliquot annos, in edocenda et facienda ſalutari arte, paenes nos occupatum et noſtrae florae fauentem, delatum fuiſſe indicamus.

Lutetiae Pariſiorum Regia auctoritate conſtituta chirurgorum Academia ad diem vigeſimum ſeptimum menſis Aprilis virum Illuſtrem et meritis clarum ALBERTVM AB HALLER, Goettingenſis Academiae ornamentum, Socium ſibi iunxit.

A *Goettingenſi* vero Regia Scientiarum Societate IOHANNES SLOANE, Baronetus Anglicanus et Medicus Regius, qui Londini, poſt expletum iam nonageſimum aetatis annum, de medicina et naturalium rerum ſcientia optime meritus viuit, ut membrum huius Societatis extraneum electus et nominatus fuit.

Quae noſtris temporibus augmenti multum et ornamenti non parum percepit Botanica, in Suecia etiam ſtudioſe colitur. Praeter id enim, quod indefeſſus LINNAEVS Vpſalienſis naturam, et herbas in primis, ſedulo huc usque disquiſiuerit, medicum etiam *Holmiae* ſtabilitum Collegium nuperrime praelectiones publicas botanicas in Regio Gymnaſio illuſtri Holmienſi a Cl. WAHLBOM. M. D. habendas inſtruxiſſe, legimus.

Pariſienſis Regia Chirurgorum haud ignobilis Academia, nummum aureum 500 pondera gallica aequantem, optimae diſquiſitioni ſequentis thematis conſtituit: numne ignis, ſiue cauterium actuale, a veteribus praeter modum in chirurgicis operationibus adhibitum, a recentioribus contra neglectum nimis fuerit? in quibus nam porro caſibus et quas ob rationes haec medicina aliis ſit praeferenda? Ii, qui huius, ad annum inſequentem quinquageſimum ter-

tium pertinentis argumenti diſquiſitionem ſuſcipere cupiunt, eam, quo obſeruationi et experientiae ſuperſtruant, illud praeter ea, quod in elaborando themate prae reliquis ante oculos habuerunt compendium, indicent, diſſertationes tandem in gallico vel latino idiomate confectas, ante finem menſis Ianuarii anni futuri MORANDO Academiae Secretario Perpetuo tradendas curent, leges Societatis poſtulant.

Quae *Goettingae* floret Regia Scientiarum Societas, praeter annuum illud diſquiſitioni cuidam conſtitutum praemium, de quo in prima Commentariorum noſtrorum parte diximus, encomio certe digno literarum incrementum adiuuandi ſtudio agitata, duas adhuc alias, argumenta ad oeconomiam pertinentia digne ſatis pertractantes, elaborationes, aureo ſingulam nummo duodecim ducatorum, quotannis remunerabitur. Quae hunc in finem haud ita pridem a claris viris propoſitae fuerunt ſententiae, ad ſequentia pertinent oeconomiae capita: Prima notas exigit turſi nobilis atque diutius perſiſtentis, et illa ſigna, quae loca, nobili eius modi turfo fertilia, ab aliis, viliorem eius ſpeciem exhibentibus, diſtinguunt; illae in ſimul nominandae ſunt prope Goettingam ſitae ſtationes, in quibus optimum et ad hollandicum propius accedens turfum inueniri poteſt. Diſſertationes de hoc argumento confectas ad d. 10 Novembr. praeſentis anni, ut diem natalem Regis Magnae Britanniae, examinandas ſibi ſumit Societas. Thema ſecundum ad ſalis naturam ſpectat; quaeritur nempe: cur illud permultis in locis paruas admodum cryſtallos exhibeat et unguinoſum ſemper ſit, ad condiendos etiam piſces adhiberi non poſſit; illa in ſimul indicanda ſunt auxilia, quibus mediantibus ita adiuuari poteſt huius ſalis praeparatio, ut illud in magnas dumioresque cryſtallos coactum ac ſic-

cum

cum omnibus quibuscunque piſcibus, haleci etiam, condiendis aptum atque idoneum reddi poſſit. Quae hanc materiem pertractant diſſertationes, ad d. 1 Iulii anni quinquageſimi tertii diiudicabuntur. Omnes illi, qui huic clarorum virorum Societati non ſunt adſcripti, ad has quaeſtiones reſpondere poſſunt. In lingua germanica conſcriptae diſſertationes, quae breues et per experientiam confirmatae exiguntur, ad eam expeditionem, menſe prius, quam illae examinantur, transmittendae ſunt, quae Hanouerae, ſingula ſeptimana variarum, quae nouae ſunt, rerum notitiam exhibet, (*Intelligenz Comtoir*) una cum illis duae exhibendae ſunt ſchedulae, quarum altera obſignata, nomen auctoris, altera vero theſin quandam ſeu lemma continet. Ea, quam antea deſcripſimus, Hanouerana expeditio, elaborationem, quae praemio digna iudicatur, aeque ac alias ad primam proxime accedentes, nouis ſuis relationibus inſerendas curabit; ipſum praeter ea praemium merenti tradet.

Varii etiam ſunt, clari in arte medica Viri, quorum obitum nunc indicare ipſa iubet inſtituti ratio:

Primus, quem nominamus, eſt CHRISTIANVS GABRIEL FISCHER, Phyſices Prof. Publ. Extraord. in Academia patria Regiomontana, qui menſe Decembris anni praeteriti quinquageſimi primi, vitam cum morte commutauit. Praeter alia bene et laudabiliter ab eo in re naturali et medica geſta, in itinere, aliquoties literarum cauſa ſuſcepto, hic Lipſiae ad tempus moram nectens, IO. HENRICI LINCKII librum de ſtellis marinis ille diſpoſuit, illuſtrauit et anno huius ſeculi trigeſimo tertio Lipſiae in folio edendum curauit. Excipit hunc

FRIDERICVS HASSELQVIST, M. D. Academiae Holmienſis ſodalis, qui, dum iuſſu et ſuaſu huius Academiae, a tribus ab hinc annis, ſcientiae naturalis promouendae cauſa, iter in prouincias orientales ſuſciperet, a. d. 9. Februarii huius anni, Smirnae in Natolia demortuus eſt, communi fere eorum fato, qui, ad indagandam naturam, in diſſitas regiones abeuntes, a duris itineris iniuriis opprimuntur. Spem facit ante nominata Academia, collectum ab eo, in variis Orientis locis, Aegypto in primis, rerum naturalium theſaurum omnem conſeruatum fuiſſe, in ſequentibus forte temporibus cum harum rerum amatoribus communicandum, ſicuti Vpſalienſibus actis de anno 1745 - 50 decem iam ab eo confectas, ad naturalem hiſtoriam pertinentes, diſſertationes inſertas deprehendimus. Sequitur eum

CLAVDIVS IOSEPHVS GEOFFROI, Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis et Societatis Londinenſis Sodalis, Vir in chemicis naturae diſquiſitionibus in primis verſatus, a. d. 9. Martii huius anni Lutetiae Pariſiorum demortuus, annum agens ſexageſimum ſextum.

CHRISTIANVS BERNHARD ALBINVS, Anatomiae et Chirurgiae Prof. Publ. in Academia Vltraiectina, BERNHARDI filius, BERNHARDI SIEGFRIED et FRIDERICI BERNHARDI Profeſſorum Anatomiae in Academia Lugduno Batana frater. Obiit ille a. d. 5. menſis Aprilis, anno aetatis quinquageſimo ſexto. Praeter alia ab eo publicata ſcripta, nominandum in primis eſt ſpecimen anatomicum, quod, nouam inteſtinorum tenuium hominis deſcriptionem continens, Lugduni Batauorum anno huius ſeculi vigeſimo quarto in forma octaua prodiit.

Tubin-

Tubingae porro die undecimo eiusdem menſis Aprilis rebus humanis intereſſe deſiit DANIEL HOFFMANNVS, Facultatis Medicae Tubingenſis Senior et Profeſſor Medicinae, A. N. C. Sodalis, ex editis Fracf. ad Moen. 1719. annotationibus in hypotheſes GOVEYANAS de generatione fetus et aliis, lectoribus noſtris cognitus. Spartam, qua dum viueret, functus eſt, Cl. MOEGLING traditam eſſe relatum accepimus. Deinde

Pariſiis FRANCISCVS DE CHICOYNEAV Galliarum Regis Conſiliarius et Medicus primus, Vir fama et meritis clarus, a. d. 13 Aprilis mortuus, in eius locum, qui Regis curam gerat, PETRVM SENAC nominatum et conſtitutum fuiſſe legimus. Tandem

GVILIELMVS CHESELDEN celebris Angliae Chirurgus, qui anatomen probe calluit et bene de ea, aeque ac chirurgia ſcripſit, ad d. 22 Aprilis Londini diem ſupremum obiit.

Memoria BVRCHARDI DAVID MAVCHART M. D. Medicinae, Chirurgiae et Anatomiae P. P. O. in Academia Tubingenſi, Conſiliarii et Archiatri primarii in aula Wirtembergica, A. N. C. Sodalis.

Natus ille anno praeteriti ſeculi nonageſimo ſexto XII Calendar. Maii. Marbacum, oppidum in ducatu Wirtembergico ſitum, patriam habuit. Patre uſus eſt, IO. DAVID MAVCHART Medicinae Doctore ac Phyſico oppidi et praefecturae, ob ſuam in medicina ſcientiam in numerum Academiae Curioſorum relato; Mater vero, quae eum genuit, ex ANDLERORVM gente fuit. Ea itaque noſtro contigit felicitas, ut parens ingenium eius et naturalem propenſionem ſtudioſe diſquireret, et aptum eum,

 quem

quem ſalutari arti conſecraret, deprehendens, prudenti conſilio, humanitatis non tantum atque philologiae, quae omnes et futuros in primis medicos iuuant et ornant, amorem et ſtudium in filio ſuſtentaret et adiuuaret, ſed medicarum etiam diſciplinarum ſemina ipſi traderet, eum praeter ea, quo magis adhuc illi medicinae parti, quae manuum opera curat, aſueſceret, Chirurgo veterano, cui SPVONII nomen erat, per triennium ut tironem committeret. Peracto hoc tempore, Stutgardiam, quo in Gymnaſio, ibidem florente, diſceret, miſſus, curae MOEGLINGII, clari tunc temporis illius loci medici, concredebatur. Abhinc, duodecimo huius ſeculi anno, bene praeparato animo, in Tubingenſem Academiam diſcedens, per quinque annos RVDOLPHVM IACOBVM et ELIAM CAMERARIOS, ZELLERVM atque CREVLINGIVM, praeceptores habuit. Ad Altorfinos poſt ea procedens, BAIERI, HEISTERI et IANTKII praeceptis ut imbueretur, curauit, et ita in ſalutari ſcientia profecit, ut poſt defenſam, ſub HEISTERI praeſidio, de vera glandulae appellatione, diſſertationem, ita illi ſe commendaret, ut liberalis HEISTERVS, Decani tunc temporis munere fungens, Doctoris iura, abſque ſumtibus obtinenda, ultro ipſi offerret. Renuebat noſter ſingularem hanc Cl. Viri beneuolentiam, et ad patrem reuerſus, per ſemeſtre ſpatium ſub eius auſpicio artem faciebat, animoque diſcendi cupido ad iter, ad exteros anatomiae et chirurgiae cauſa faciendum, ſe praeparabat. Eo ſuſcepto, in Argentoratenſi primo uniuerſitate IO. SALTZMANNI, viri tunc temporis clari, conſuetudine et inſtitutione utebatur. Lutetiae poſt ea Pariſiorum per biennium ſubſiſtebat, et in celebri iſta et medico apprime commoda ſtatione, viros eruditione et dexteritate claros, DVVERNAEVM, WINSLOVIVM, PETITVM, THIBAVT, BVQVOTIVM, anatomiae exactius addiſcendae, et operationes chirurgicas videndi faciendique

cauſa,

cauſa, adibat, GERARDVM praeter ea chirurgum primarium noſocomii, cui a charitate nomen eſt, ephorum, hoſpitem, amicum et praeceptorem habebat. WINSLOVIO, calculum ſecanti, frequentius aderat, WOOLHVSIVM, cuius ſe poſt ea defenſorem praebuit, quamuis in viſus theoria, et cataractae ſede determinanda, ab illo diſcreparet, oculorum morbos in priuato collegio per nouem menſes, caro ſatis pretio, exponentem, GREGORIVM etiam, in arte obſtetricia exercenda et edocenda cum laude tunc occupatum, ut praeceptores, ſequebatur, et ſub eorum praeſidio ad artis tractationem et operationes faciendas, admittebatur, xenodochia etiam in illa urbe inſtructiſſima, *la charité*, et *l' hotel de Dieu* dicta, frequentabat. Botanicam tandem IVSSIEV et VAILLANT, Chemiam vero GEOFFROY et BOVLDVC, ipſum edocebat. Peropportuna hacce proficiendi occaſione dum ſtudioſe atque feliciter uteretur noſter, comitem etiam inter alios atque amicum habuit, poſt mortem adhuc nobis velut exemplar praeſentem, beatum PLATNERVM, bene poſt ea de medicina aeque ac chirurgia promeritum, cum quo, ut alacri et indefeſſo iam tum commilitone, in una eademque ſcientiarum parte, chirurgia nimirum atque anatome, ſedulo laborabat. Meditabatur equidem MAVCHARTVS noſter iter, ad Anglos et Batauos inſtituendum, cum vero ob morbum contagioſum, qui magnam tunc temporis Galliae partem affligebat, ad eos ex Gallia deueniendi non eſſet licentia, domum reuerſus, anno vigeſimo ſecundo diſſertationem de hernia incarcerata, ſub ELIAE CAMERARII praeſidio, pro Licentia proponebat, et clinicam poſt ea praxin exercebat. Inſequenti anno poſt mortem uxoris MOEGLINGII, Archiatri Wirtembergenſis, filiae, ad exteros iterum proficiendi conſilium capiebat, promiſſis quorundam, praeſertim Pariſienſium, incitatus, ab eo tamen illum detinebat Medici aulae Wirtembergenſis in eum delatum officium,

officium, et nouae poſt ea cum ZELLERI, Profeſſoris Tubingenſis, filia initae nuptiae. Deinde quo copioſiores ex ampliſſimo eius ſcientiarum penu in patriam non tantum, ſed et in alios, redundarent fructus, anno vigeſimo ſexto anatomiam et chirurgiam publice docendi munus ipſi demandabatur, quod, habita oratione, de minutiis anatomicis magni in praxi medica momenti, auſpicabatur. Praefuit huic officio magna cum ſedulitate atque induſtria, quod ciues, auditores, et ſcripta eius academica loquuntur. Patriae praeter ea is eum tenuit amor, ut licet plus ſimplici vice ad alia, et ſplendidiora, et fructuoſiora in ſimul, munera euocaretur, ſuis tamen lubentius inſeruire, quam maiora alibi commoda ſibi conciliare vellet. Is ipſi fuit animus, et ea ciuibus ſuis et auditoribus inſeruiendi cupido, quam diu vixit, vixit vero et laudabiliter quidem uſque ad annum praeteritum. A duobus enim ab illo iam annis aſthmate et catarrhalibus morbis ſaepius, et qui illorum ſpecies eſt, catarrho ſic dicto ſuffocatiuo, una iam vice laborans, ad diem XI Aprilis dicti anni quinquageſimi primi, ſanus antea, ut videbatur, verſus veſperam ſubito iterum ab eo correptus, rebus humanis intereſſe deſiit, Medicae Facultatis Decani munere tunc temporis exornatus. Subnectimus indicem conſcriptorum ab eo, maximam partem academicorum, libellorum, ſi non perfectum, eum tamen, quem ex ſcriniis noſtris ipſi conficere potuimus.

Diſſ. de vera glandulae appellatione Praeſ. L. HEISTERO, Alt. 1718.

Diſſ. de hernia incarcerata, ſolerti delineatione illuſtrata et noua encheireſi extricata, Praeſ. ELIA CAMERARIO, Tubing. c. f. 1722.

Diſſ. de οφθαλμοξυσι nov-antiqua, ſ. Woolhouſiano Hippocratica, nobiliſſima operatione ocularia, e textu graeco eruta et bis mille annos neglecta, nunc

nunc demum emergente, Reſp. Io. Georg. Gmelin. 1726.

Progr. de iniectionibus anatomicis, 1726.

Diſſ. de butyro cacao, nouo atque commendatiſſimo medicamento, Reſp. Theophil. Hoffmann 1735.

Diſſ. de inſpectione et ſectione legali harumque exemplo ſpeciali, Reſp. Salper. 1736.

Diſſ. medicina in nuce ſ. idea compendii medici portatilis, Reſp. Lud. Theoph. Gmelin. 1737.

Diſſ. ſiſtens caput obſtipum, affectum rariorem in libris et praxi, Reſp. Georg. Frid. Iaeger. 1737.

Diſſ. lumbrici teretis in ductu pancreatico reperti, nec non aliorum p. n. obſeruatorum in femina autocheirae hiſtoria et examen, Reſp. Philip. Frider. Gmelin. 1738.

Diſſ. de cacochymiae ſpeciebus, modo agendi et therapia. 1740.

Diſſ. de inflammatione in genere, Reſp. Gallo Henr. Becher. 1740.

Diſſ. de reſolutione maſſae ſanguineae praeternaturaliter aucta et imminuta, Reſp. I. C. Weis. 1740.

Diſſ. de hypopyo (*vom Eyter-Auge*) graui et intricato oculi affectu, Reſp. Phil. Frid. Gmelin. 1742.

Diſſ. de vini turbidi clarificatione, Reſp. Io. Adam Kunzen. 1742.

Diſſ. de ſtruma oeſophagi huiusque coalitu difficilis ac abolitae deglutitionis ſingularibus cauſis, Reſp. Phil. Henr. Beuttel. 1742.

Diſſ. de fiſtula corneae, Reſp. Matth. Abr. Martin. Geiger. 1742.

Diſſ. de empyeſi oculi, ſiue pure in ſecunda oculi camera ſtagnante, Reſp. Georg. Frid. Seitz. 1742.

Diſſ. de ſetaceo nuchae auricularum ipſiusque oculi, Reſp. Chriſtoph. Dav. Zeller. 1742.

Diſſ. de ulceribus corneae, Reſp. Chriſtoph. Frieder. Gilſtheil. 1742.

Diſſ. de ungue oculi, ſeu pure inter corneae lamellas collecto, Reſp. Carl. Ferdin. Bilger. 1742.

Diſſ. Tobiae leucomata, Reſp. Carol. Dauid. Brecht. 1743.

Diſſ. corneae oculi tunicae examen anatomico phyſiologicum, Reſp. Ferd. Godfr. Georgi. 1743.

Diſſ. de maculis corneae earumque operatione, apotripſi, Reſp. Io. Wilh. Boury. 1743.

Diſſ. de hydrophtalmia ſ. hydrope oculi, Reſp. Chriſtoph. Paul Beger. 1744.

Diſſ. de paracentheſi oculi in hydrophtalmia et amblyopia ſenum, Reſp. Theoph. Andr. Sarwey. 1744.

Diſſ. de lue vaccarum tubingenſium prior. Reſp. Elwerth. 1745.

Diſſ. de lue etc. poſterior, Reſp. Klemm. 1745.

Diſſ. de mydriaſi, pupillae praeternaturali dilatatione, Reſp. Phil. Iac. Neuffer. 1745.

Diſſ. pupillae phthiſis ac ſynizeſis, ſiue anguſtia p. n. et concretio, Reſp. Chriſtoph. Frider. Fraas. 1745.

Diſſ. de oleo animali Dippelii, Reſp. Chriſtian. Ludov. Reinhardt. 1745.

Diſſ. capitis articulatio cum prima et ſecunda colli vertebra, Reſp. Henr. Gotthelff Rumelin. 1747.

Diſſ. luxatio nuchae, Reſp. Theophil. Erhard Schmid. 1747.

Diſſ. de epiplo-enterocele crurali incarcerata, ſphacelata cum deperditione notabili ſubſtantiae inteſtini ſponte ſeparati, feliciter curata aluoque naturaliter reſtituta, Reſp. Phil. Sigiſm. Palm. 1748.

Diſſ. ſtaphyloma vexatum nomen affectusque oculi difficilis ac intricatus, Reſp. Phil. Frid. Beni. Hoelder. 1748.

Diſſ. de pulſu intermittente et decrepitante, Reſp. Io. Rud. Camerer. 1748.

Diſſ.

Diſſ. de coniunctiuae et corneae oculi tunicarum veſiculis ac puſtulis, Reſp. Io. Godfr. Camerer. 1748.

Diſſ. de ſynechia ſ. praeternaturali adhaeſione corneae cum iride. Reſp. Phil. Thom. Beger. 1748.

Diſſ. de indole et vario uſu liquoris amnii. Reſp. Eberh. Frid. Blanchof. 1748.

Diſſ. oculus artificialis ἐκβλεφαρος καὶ ὑποβλεφαρος, Reſp. Phil. Adam Haug. 1749.

Diſſ. de lethalitate per accidens, Reſp. Philip. Sigism. Palm. 1750.

Diſſ. palpebrarum tumores cyſtici, caſusque ſpecialis magni tumoris ſteatomatico ſcirrhoſi, e palpebra ſuperiore et orbita feliciter nuperrime extirpati. Reſp. Chriſtoph. Theophil. Weber. 1750.

Oratio in D. Tayloris Angli merita famamque habita. 1750. 4.

Lettre critique ſur le Traité des maladies des yeux; de Mr. St. Yues; vide Supplement de Mercure de France; du Mois de Mai 1722; et in Menſe Maii 1723 eiusdem Diarii, defenſionem ad reſponſionem de St. Yues.

Eruditorum quidam, qui rerum non tantum naturam in ipſis corporibus indagare ſtudet, ſed, aliorum etiam ſolertiam diſquirendo, naturalem hiſtoriam omnium optime perfici poſſe probe intelligit, inter alios, ad hanc claſſem pertinentes, libros, in utiliſſimis illis ac eruditione plenis Tranſactionibus Anglicanis, quae ſub nomine Philoſophical Tranſactions in publicum prodeunt, colligendis, per aliquot annos iam laborauit. Vti vero huius generis per partes publicatorum operum, difficulter admodum integra ſemper et abſoluta haberi poſſit collectio, ita et noſtro etiam euenit, qui, cum ſequentibus adhuc eruditi huius diarii partibus deſtituatur, eas, ſuis numeris nunc indicandas, ab illis, qui iis carere commode poſſunt,

ex

ex aequo aeſtimatas, deſiderat. Sunt illae 137, 138, 139, 140, 141, 142, 180, 196, 197, 214, 252.

Sequentes vero, quae enumeratae hic conſpiciuntur, praeſtantiſſimae huius collectionis particulae, ut ſecunda vice una cum aliis coemtae, iis offeruntur eruditorum, qui unam forte alteramue earum in operis ſui complementum adhibere ſciunt, nimirum 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100, 177, 178, 181, 187, 190, 192, 193, 215, 217, 231, 232, 233, 234, 260, 280, 281, 282. Ad officinam Gleditſchianam transmittendae ſunt literae ad hoc, quod nobis ipſis perficiendum ſumſimus, argumentum pertinentes.

XXIX.

Addenda ad Indicem ſcriptorum An. 1750.

Philoſophical Transactions, Vol. 45. num. 491-493, Lond. c. fig. aen. 4.

Svite de la matiere medicale de Mr. GEOFFROY, par M.***. 3 Vol. a Paris, 12.

Das Königl. Wunderbad oder Gedancken von dem Stein der Weiſen, Erlangen. 8.

Traité nouveau de la venerie, Paris, 8. c. f.

An account of exploſions in the atmoſphere or air quaques their diſtinction from true earthquaques, with ſome obſeruations on the late ſhocks near this city, Lond. 8.

Nouveau cuiſinier royal et bourgeois, nouvel. edit. 3 Vol. a Paris, 12.

Traité de l'art metallique d'ALONZ' BARBA avec additions et figures, 2 Vol. Paris, 12.

Siſtema nuovo, intorno l'anima delle beſtie con la rigezione degli altri ſiſtemi ſic ora propoſta del Conte BARBIERI, Vicenza, 8.

ANTON.

ANTON. BENEVOLI due relazioni chirurgiche iſtruttive, una dell' ultime malattia del S. G. G. Panciatichi conſiſtente in un abſceſſo nella cavita dell addomine l' altra dell ultima malattia del S. Compaini cagionnata da un ernia aſſai particolare, in Florenze.

CAR. AVGVST. DE BERGEN Diſſ. qua probatur menſuram et proportionem membrorum corporis humani ſummam perfectionem et rigorem mathematicum non admittere, Reſp. *Io. Friedr. Beda*, Frft. ad Viad. 4.

Inſtitutions de medecine par Mr. BOERHAAVE avec un commentaire par Mr. DE LA METTRIE, Vol. octav. Paris, 12.

CASEDA (IOSEPH SANCHEZ) Diſſ. critico - apologetica ſur le poudre (de Mr. Ailhaud) Alcala.

Principes de phyſique rapportés a la medecine pratique, avec un traité des metaux et des mineraux et des remedes qu' on en peut tirer par CHAMBON, 2 Vol. Paris, 12.

Anatomy of the human body by I. CHESELDEN with 40 copper plates, London, 8.

ANTOINE COCCHI DE MVGELLO du regime de vivre pythagoricien à l' uſage de la medecine, diſcours traduit de l' Italien, a Geneue, 8.

FRANCISC. DE PAVLLA COMBALOVSIER Quaeſt. med. an calor animalis ab attritu in capillaribus? Reſp. *Ludou. Anna Lavirotte*, Paris, 4.

LVDOV. IO. BAPTIST. COSNIER Quaeſt. med. an praecipua in pulmonibus nutrientis ſucci praeparatio? Reſp. *Ludov. Petr. Felix Renat. le Thieullier*, Paris, 4.

Obſervations chirurgicales ſur les maladies de l' urethre traitées ſuivant une nouvelle methode par IACQVES DRAN, a Paris, 8. (reſpondet accurate editioni 1748.)

ANNAE CLAVDII DORIGNY Quaeſt. med. an ſuccorum diſſoluentium actio praecipuum ſit digeſtionis inſtrumentum? Reſp. *Io. Baptiſt. Thurant*, Paris, 4.

THOMAE FVLLERI Pharmacopoeia extemporanea, *überſezt in das teutſche von* PH. E. MAHLERN, *Baſel*, 8.

Saggio di produzioni naturali dello ſtato Saneſe che ſi ritrovano nel muſeo del GIOVANNI VENTVR GALLERANI, in Siena, 8.

LVDOV. ALEXAND. GERVAISE Quaeſt. med. an foetus in utero reſpiret? Reſp. *Petr. A. Gaeſſe*, Paris, 4.

Livro de agricultura emque ſe trata con clareza e diſtincam de modo e tempo de cultivar as terras de Pam, Vinho, azelte etc. par IEAN ANTOINE GARIDO, Lisbone, 4.

GREG. ARIAS GONZALES Opuſculo hiſtorical anatomico etc. de Heridas peligroſas, con modo breue de curarlas. Sevill. IOH. DE GORTER Chirurgia repurgata, Patauii, 8.

Some conſiderations on the cauſes of earthquaques wich are read before the royal ſociety, by STEPHAN HALES, London, 8.

THEOPH. EMAN. AB HALLER Epiſtola, dubia ex Linnaei fund. botan. hauſta continens, Götting. 4.

GEORGE ERHARDT HAMBERGER Elementa Phyſices, Ienae, c. fig. aen. 8. ed. 4ta.

Tr. de maladies les plus frequentes et des remedes propres à les guerir par HELVETIVS, 2 Vol. Paris, 12.

HIPPOCRATIS Coi Aphoriſmi a LEONICENO verſi, nunc vero recogniti et notis aucti ab ANDREA PASTA, Bergamote. Accedunt HIPPOCRATIS praeſagia, latine a COPO reddita, nunc ſimiliter recenſita et notis illuſtrata eod. Auctore, Bergom. 12.

AMBRO-

AMBROSII HOSTII Quaeſt. med. an absque bile chyloſis imperfecta? Reſp. *Io. Bapt. Baſſeville*, Paris, 4.

IO. GOTTLOB LEIDENFROST Pr. de voluulo inteſtini ſingulari, Duisburgi, 4.

Der aus dem Reiche der Wiſſenſchaften wohlverſuchte Referendarius, *oder auserleſene Sammlung von allerhand vermiſchten Schrifften und Verſuchen aus der Naturlehre, Arzneywiſſenſchafft, natürl. Theologie* etc. *Sammt den gelehrten Sachen des hieſigen Intelligenz-Weſens, zuſammen getragen von* IOH. ANDREAS ERDMANN MASCHENBAVER, I. II *Theil, Augſpurg*, 4.

CAROL. AVGVST VAN DER MONDE Quaeſt. med. an ſucceſſiua partium foetus generatio, Reſp. *Petr. Ludov. Maria Maloet*, Paris, 4.

IO. BAPT. MORGAGNI in A. Corn. Celſum et Q. Ser. Sammonicum epiſtolae decem, quarum ſex nunc primum prodierunt, Patauii, 8.

Diſcorſo chirurgico d' ANGELO NANNONI, in Florenze.

MARTIN NOVGVEZ Quaeſt. med. an retina primarium viſionis organum? Reſp. *Carol. Gillot*, Paris, 4.

Callipedie trad. du poeme latin de CLAVDE QVILLET, a Paris, 8.

IAQVES SAVARY Dictionaire univerſel de commerce etc. continué et donné au public par PHILEMON LOVIS SAVARY, ſixieme edition corrigée et conſiderablement augmentée, Tom. I - III, a Geneve, fol.

IO. CHRISTIAN STOCKII Pr. de tuenda ſanitate in meditationum laboribus, Ienae, 4.

THOMAE SYDENHAMII Proceſſus integri in morbis fere omnibus curandis, quibus acceſſit graphica ſymptomatum delineatio una cum quam pluri-

 mis

mis obſeruatu dignis, nec non de phthiſi Tr. Edinburg, 8.

FRANCISC. THIERRY Quaeſt. med. an praeter genitalia ſexus inter ſe diſcrepant, Reſp. *Edmund. Thom. Moreau*, Paris, 4.

A diſcourſe on the preparation of the body for the ſmall pox and the manner of receiving the infection, by ADAM THOMSON, Philadelphia, 4.

OLAI WORMII et ad eum doctorum virorum epiſtolae, Tom. II. Hafniae, 8.

Scientia rerum naturalium ſ. phyſica, ad uſus academicos accommodata, opera P. IOS. ZANCHI, S.I. edit. 2da, Vienn. Auſtr. 4.

Diſamina di IACOPO MARIA ZANOTTI ſopra la lettera critica ſpettante il raro fenomeno della giovane Cremoneſe datta alla luce dal Signor ANDREAS FROMOND, in Milano.

FRANC. ZIEGLER Diſſ. de morbis praecipuis ſinuum oſſium frontis et maxillae inferioris, Reſp. *Lud. Henr. Runge*, Rintel, 4.

XXX.

Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1751. prodierunt.

Philoſophical tranſactions for 1750. Num. 494, 495 and 496, London, 4.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences, An. 1746, a Paris, c. f. aen. 4 mai.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences de Berlin An. 1749, a Berlin, 4. c. f. aen.

Der Königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris phyſiſche Abhandlungen 6ter Theil, welcher die Iahre 1719 bis 22 enthält, überſezt von W. B. A. V. STEINWEHR, *Breslau*, 8. *mit Kupf.*

Eben

Eben derſelben 7ter Theil, welcher die Iahre 1723 bis 26 in ſich enthält, überſezt von eben denſelben, Bresl. 8. mit Kupf.

Eben derſelben anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen, 3ter Theil, welcher die Iahre 1707 bis 11 *enthält, überſetz von* W. B. A. VON STEINWEHR, *Bresl. 8. mit Kupf.*

Der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen auf das Iahr 1744, überſetzt von ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER, *6ter Band, Hamburg,* 8. c. f. aen.

Acta Societatis Regiae ſcientiarum Vpſalienſis ab An. 1744 ad 1750, Stockholmiae, c. f. aen. 4 mai.

Mediciniſche Verſuche zu Edimburg 3ter und 4ter Band, Altenburg, 8. mit Kupf.

Hamburgiſches Magazin des 6ten Bandes 4, 5 und 6tes Stück, Hamb. 8. m. Kupf.

Eben deſſelben 7ter Band, Hamb. 8. mit Kupf.

Eben deſſelben 8ten Bandes 1 - *3tes Stück, Hamb. 8.*

Acta Heluetica phyſico mathematico botanico medica, Vol. I. Baſil. c. f. aen. 4.

Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel 6tes Stück, Baſel, 8.

Danziger Nachrichten nebſt gelehrten Anmerkungen allerley nützlicher Dinge und Seltenheiten, Danzig, 4.

Leipziger Sammlungen von wirtſchaftlichen Policey Kammer und Finanzſachen, 7ter Theil, Leipz. 8.

Oeconomiſche Nachrichten 3ter Band, Leipzig, 8.

Oeconomiſch phyſicaliſche Abhandlungen, 1 *und 2ter Theil, Leipzig, 8. mit Kupf.*

Gründliche Auszüge aus den neueſten mediciniſchen Diſputationen, welche auf den hohen Schulen in Deutſchland gehalten worden, 2tes Stück, Stuttgard, 8.

Iournal oeconomique ou memoires, notes et avis ſur les arts, l'agriculture, le commerce etc. IX parties, a Paris, 12.

 Speci-

Specimen noui medicinae conſpectus, ed. altera plurimum aucta, Paris, 8.

Ad V. C. Richard Mead Epiſtola varias lithontripticum Ioannae Stephens exhibendi methodos indicans, Londini, 8.

Clauicula hermeticae ſcientiae ab Hyperboreo quodam conſignata An. 1732. Amſtelod. lat. et gall.

Programma funebre ſacrum memoriae Io. Chriſtoph. Richteri, Lipſ. fol.

Nouvelles Vues ſur le ſyſteme de l' Vnivers, a Paris.

Lettres a un Americain ſur l'hiſtoire naturelle generale et particuliere de Buffon, a Hambourg, 3 Vol. 12 mai.

Deſcription et uſage d' un nouvel inſtrument, pour obſerver la latitude ſur mer, appellé le nouveau quartier anglois, a Paris, 12.

Explication des premieres cauſes de l'action dans la matiere, et de la cauſe de la gravitation trad. de l' Anglois, a Paris, 8.

Hiſtoire generale des Voyages, Tome IX, a Paris, 4.

Hiſtoire de la Iamaique, traduite de l' Anglois, 2 Vol. a Paris, 8. c. f. aen.

Critique d'un medecin du parti des ſpiritualiſtes ſur la piece intitulée les animaux plus que machines, a la Haye, 8.

Dictionaire botanique et pharmaceutique, Paris, 8.

Dictionnaire univerſel d' agriculture et de iardinage, de fauconnerie, chaſſe, peche, cuiſine et manege, 2 Voll. a Paris, 4 mai. c. f. aen.

Aedologie ou tr. du roſſignol franc ou chanteur, a Paris, 12.

Abrégé de l' hiſtoire des inſectes, pour ſervir de ſuite a l' hiſtoire naturelle des abeilles, Tome III et IV, a Paris, 12. c. f.

Le manuel des dames de charité, nouvelle edition, a Paris, 12.

Recueil de pieces importantes ſur l'operation de la taille, faite par le lithotome caché, avec une memoire concernant la retention d'urine cauſée par l'embarras du canal de l'uretre, a Paris, 12 mai.

La metallurgie ou l'art de tirer et de purifier les métaux, avec les diſſertations les plus rares ſur les mines et les operations metalliques, 2 Vol. a la Haye, 12.

Recherches critiques ſur l'etat préſent de la chirurgie, traduit de l'Anglois, a Paris, 12.

Nouveau reglement pour l'Academie royale de chirurgie donné par le Roy. d. 18 Mars, a Paris, 4.

Selecta phyſico oeconomica, *oder Sammlungen von allerhand zur Naturforſchung und Haushaltungs-Kunſt gehörigen Begebenheiten*, 4*tes und* 5*tes Stück, Stutgart*, 8.

Some remarks towards a full deſcription of upper and lower Lough Lene near Killarny in the County of Kerry, Dublin, 4.

A dialogue concerning ſome things of importance to Ireland, Greland, particularly to the County of Ardmagh, being part of a deſign to write the natural, civil and eccleſiaſtical hiſtory of that County, Dublin, 4.

Iatro-rhapſodia, Londini, 8.

Animadverſioni critiche ſopra il notturno congreſſo delle lamie, Venezia, 4.

Vollſtändiges oeconomiſches und phyſicaliſches Lexicon, 4 Theil, Leipzig, fol.

Lucina ſine concubitu, *aus dem Engliſchen ins Deutſche überſetzt, Franckf. und Leipzig*, 8.

Der über zwölf Monathe des Iahres verſtändige Garten-Meiſter, ſo da lehret und unterweiſet, wie Baum-Kräuter und Blumen-Gärten auf das beſte zu pflanzen und zu beſaeen ſind, 8.

Phyſicaliſche Beluſtigungen 1*ſtes bis* 10*tes Stück, Berlin*, 8.

Anweiſung, wie mit Säung des Maulbeer-Saamens, Pflanzung und Wartung der Maulbeer-Bäume, desgleichen Wartung und Fütterung der Seiden-Würmer etc. *zu verfahren ſey*, Berlin, 8.

Sinceri Anthropophili *Gedancken über die im Schwange gehende Markſchreyerey der Pillen-Aerzte, nebſt einem Exempel eines raren Vorfalls der Gebährmutter ſammt ihrer Scheide, auch einem Anhang von dem Misbrauch der Purgier-Mittel bey Kindern und Erwachſenen, beſonders zur Zeit graſſirender Seuchen, Frft. und Leipzig*, 8.

Nachricht von einem monſtröſen Schweine, ſ. Hälliſche Zeitungen Num. 32. *c. f. aen.*

CHRISTIAN DAVID ACKERMANN Animaduerſiones de reſoluentibus, Lipſ. 4.

MICH. GOTTLIEB AGNETHLER Diſſ. de lauro, Halae, 4. c. f. aen.

MICH. ALBERTI Noli me tangere medicum ſ. de morbis quos tangere non licet, Reſp. *Io. Frider. Mez*, Halae, 4.

IACOB. LVDOVIC. ALEAVME Quaeſt. med. an idem ſudoris et perſpirationis organum? Reſp. *Claud. Ioſeph. Gentil*, a Paris, 4.

HENRICVS ALLEN Diſſ. de fluoris albi charactere et notis quibus cum gonorrhoea conuenit, vel differt et utriusque curatione L. B. 4.

THEODOS. EVGEN. SILVIA (P. THEODOS. D' ALMEIDA) Recreaça on filoſofica etc. 2 Voll. Lisbon. 12. c. f. aen.

IO. GEORG. ALTMANN *Beſchreibung der Helvetiſchen Eisbergen, Zürch*, 8. *mit Kupf.*

Diſſertation ſur les maladies de l'urétre, qui ont beſoin de Bougies, par Mr. ANDRE, a Paris, 12.

A. I. D. d' ARGENVILLE Enumerationis foſſilium, quae in omnibus Galliae prouinciis reperiuntur, tentamina, Paris, 8.

Nouvel-

Nouvelle lettre de Mr. BAGIEV, précédée de pluſieurs choſes neceſſaires pour l'intelligence de cette lettre et auteur de la lettre d' un chirurgien aide maior, ſur pluſieurs chap. du tr. de la gangrene par Mr. Queſnay, a Paris, 12 mai.

Metallurgie, ou l' art de tirer et purifier les metaux, trad. de l'Eſpagnol d'ALPHONS. BARBA, 2 Voll. a Paris, 12.

CAROL. BARBEIRAC Medicamentorum conſtitutio ſ. formulae, Lugduni, 12 mai.

Trattato dell' origine delle ſorgenti e de fiumi del Conte BARBIERI, in Venezia, 8.

L. BARBOW Obſeruationes *von dem bekanntgewordenen* Phaenomeno, *unter dem Namen vom Nordlicht, Frft. und Leipzig*, 8. c. f. aen.

DANIEL EBERHARD BARING *neue Nachrichten und Zuſätze von den in Hannover zu erſt erfundenen Weisbier Breihan, Hannover*, 4.

THEODOR. BARON Quaeſt. med. an ſalubritatis alimentorum optima indicatrix chemia? Reſp: *Petr. Ludovic. Maria Malöet*, Paris, 4.

Diverſes obſervations anatomiques, tirées des ouvertures, d'un grand nombre de cadavres, propres à découvrir les cauſes des maladies et leurs remedes par PIERRE BARRERE, à Perpignan, á Paris, 8. c. f. aen.

IO. MICHAEL BARTH Pr. de ſomno a prandio, Lipſ. 4.

Lectures in natural philoſophy deſigned to be a foundation, for reaſoning pertinently upon the petrifications, gems, criſtals and ſanative quality of Lough Neagh in Ireland etc. by RICHARD BARTON, Dublin, 4. c. f. aen.

Obſervations on the inhabitants, climate, ſoil, rivers, productions, animals and other matters worthy of notice made by IOHN BARTRAM, to wich is annexed a curious account of the cataracts

at Niagara, by Mr. PETER KALM, London, 8 mai.

De principiis animalibus exercitationes, habitae a GVILIELMO BATTIE, Londini, 4.

IO. HENR. IOSEPH. BAVER Diſſ. de cholera, Altd. 4.

Eiusd. Diſſ. de metallorum noxa in ciborum, potuum et medicamentorum praeparatione ac aſſeruatione cauenda, Pragae, 4.

FR. PAVL. BEDINELLI Epicriſis in errores quosdam vulgi ad veritatis amatores, Peſaro.

GEORG HEINRICH BEHR Medicina conſultatoria, *oder Sammlung einiger ſchweren und ſeltenen Zufälle, ſamt denen von ihm darüber verfertigten Berathungen und eingeſchickten Beantwortungen, Augſpurg*, 4.

GEORG HEINRICH BECKMANN *Beſchreibung der Cur- und Mark-Brandenburg, 1ſter und 2ter Theil, Berlin.*

PETR. BERCHER Quaeſt. med. an noſtris in regionibus a potu glaciali abſtinendum? Reſp. *Paul le Roy*, Paris, 4.

IOSEPH. EXVPERII BERTIN Quaeſt. med. an condimenta ſanitati noxia? Reſp. *Iacob Gourtez de la Motte*, Paris, 4.

IO. GOTTL. BIDERMANNI Aes ſeminatum Pr. eruit, Freibergae, 4.

Nouveau voyage fait au Perou par l'Abbé COVRTE DE LA BLANCHARDERIE, a Paris, 12.

IO. ADRIAN. BLOCK Diſſ. de morbis grauidarum Traiect. ad Rh. 4.

IO. BENIAMIN BOEHMER Diſſ. de radicis rubiae tinctorum effectibus in corpore animali, Reſp. *Chriſtian Amand. Gebhardo*, Lipſ. 4.

PHILIPP. ADOLPH. BOEHMER Inſtitutiones oſteologicae, Halae Magdeb. 8. c. fig.

HERM. BOERHAAVE Praelectiones de lue venerea, Franequerae, 8.

Eiusd. Methodus ſtudii medici, emaculata et acceſſionibus locupletata ab ALB. AB HALLER, Tom. I. II. Amſtel. 4 mai. c. fig. aen.

Eiusd. Conſultationes medicae, ed. noua, Goetting. 8.

FRIDER. BOERNER de Alexandro Benedicto, medicinae poſt literas renatas reſtauratore, acc. eiusd. elogium Auct. ANDR. CHIOCCO, Brunſwigae, 4.

Eiusd. de Coſma et Damiano, artis medicae diis olim et adhuc hodie hinc illincque tutelaribus, Helmſt. 4. c. f. aen.

Eiusd. de Vita, moribus, meritis et ſcriptis Hieronymi Mercurialis Comment. acc. eiusd. Elogium ab IAN. NIC. ERYTHRAEO et LAVR. CRASSO ſcriptum, Brunſwigae, 4.

Eiusd. Spec. I. Bibliothecae librorum rariorum phyſico medicorum, Helmſt. 4.

Eiusd. Vita et merita MARTINI POLLICHII. MELLERSTADII, primi in Acad. Viteb. Rect. et Prof. Medic. Wolffenbüttel, 4.

Eiusd. Super locum Hippocratis in iure iurando maxime vexatum meditationes, Lipſ. 4.

IO. CHRISTIAN BELTEN *Gedancken von pſychologiſchen Curen*, *Halle*, 8.

R. IO. BOSCOVICH Diſſertatio de centro grauitatis, Romae, 4.

Recherches anatomiques ſur la poſition des glandes et ſur leur action par M. THEOPHILE DE BOVRDEN, a Paris, 12.

Elemens d'hippiatrique, ou nouveau principe ſur la connoiſſance et ſur la medecine des chevaux, par Mr. BOVRGVELAT, Tome II. Pars I, a Lyon, 8.

IO. BAPTIST. BAYER Quaeſt. med. an pharyngis muſculi ipſum dilatent, conſtringantue? Reſp. *Honorat. Peliot*, Paris. 4.

IO. GOTTFR. BRENDEL Pr. de calculi veſicae urinalis reliquumque natalibus, Goetting. 4.

Eiusd. Pr. de herniarum natalibus, ibid. 4.

Eiusd. Pr. Ariſtae chemico-pharmaceuticae, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. obſeruationum chirurgicarum tetras, Reſp. *Erneſt. Gottlob Schmidt*, ibid. 4.

VRB. FRIEDR. BENED. BRÜCKMANN *Abhandlung von Sego*, *Braunſchw.* 4.

ANDR. ELIAS BÜCHNER Diſſ. de adminiculis, ex aeris temperie in morborum curatione petendis, Reſp. *Io. Carol. Foerſter*, Hal. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſalutari et noxio ellebori nigri eiusque praeparatorum uſu, Reſp. *Io. Anaſt. Chriſtian Stegmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de fame, Reſp. *Beniamin Ludouicus Hintus*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de inflammatione oculorum a rachitide cum tuberculis in interiori palpebrarum tunica, Reſp. *Georg. Henr. Koenigsdörffer*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de clauo hyſterico, Reſp. *Henr. Dauid Brockmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de damnis, ex nimio calore externo in ſanitatem redundantibus, Reſp. *Io. Daniel Brockmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de cautelis, circa theoriam et curationem haemorrhagiarum obſeruandis, Reſp. *Io. Chriſtian Corvinus*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de nauſea et vomitu eorum, qui curru vehuntur, Reſp. *Emanuel Ludovic. Roſa*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de morbis pharmacopoeorum et chymicorum, Reſp. *Samuel Prieur*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de morborum recurſu, Reſp. *Daniel Pfeiffer*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de reliquiis variolarum tam praeſeruandis quam curandis, Reſp. *Io. Baptiſta Gſchwend*, ibid. 4.

ANDR. ELIAE BÜCHNERI Diſſ. de naturali conſtitutione ſaliuae, Reſp. *Io. Andr. Ruyſch*, Hal. 4.

IO. PHILIPP. BVRGGRAVIVS de Aere, aquis et locis urbis Francofurtanae ad Moenum acc. diſquiſ. de origine et indole animalculorum ſpermaticorum, Frft. ad Moen. 8.

IVLIAN. BVSSON Quaeſt. med. an cibus deterior, ſed iucundus et aſſuetus meliori, ſed ingrato et inaſſueto, potior? Reſp. *Ludovic. Anna La Virotte*, Paris, 4.

Tr. ſur les apparitions des eſprits et ſur les vampires ou les revenaus de Hongrie, de Moravie etc. par le R. P. Don AVGVSTIN CALMET, edit. revue, a Paris, 2 Voll. 12.

ANDR. CANTWEL Quaeſt. med. an ſex rerum non naturalium effectus ad quatuor praecipua poſſint reduci capita? Reſp *Honorat. Petiot*, Paris, 4.

IO. FRID. CARTHEVSERI Fundamenta materiae medicae tam generalis quam ſpecialis, Tom. I. II. rec. Paris, 12 mai.

Eiusd. Diſſ. de febrium intermittentium vulgarium et epidemicarum differentia, Reſp. *Io. Chriſtian Münſter*, Frft. ad viad. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſalibus mediis, Reſp. *Henr. Gottlieb Hoppe*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de paſſione hypochondriaca, Reſp. *Mendel Aaron Colobri*, ibid. 4.

AVR. CORN. CELSI de Medicina libri octo, cum notis variorum, cura et ſtudio TH. I. AB ALMELOVEEN, Roterod. 8.

DE LA CHAMBRE *Betrachtungen über der Thiere Erkenntnis, Naturtrieb und Abſcheu, mit Anmerkungen, Leipzig*, 8.

IOHN CHESHIRE Goutyman's companion, or a dietetical and medicinal regimen, Lond. 8.

GODOFRED. CHRISTELL Diſſ. de partu gemellorum coalitorum, Argentor. 4. c. f. aen.

CIGA-

GIGALINO Tentamen nouae de odoribus theoriae cum phyſicis theſibus, Scena, fol.

Obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca from the year 1744 to 1749, by GEORGE CLEGHORN, Lond. 8.

PAVL PHILIPP DV CLOVX Diſſ. de menſtruatione, L. B. 4. mai.

SALENT. ERNEST. EVGEN. COHAVSEN Diſſ. in ſummi Pontificis Benedicti XIV. epiſtolam encyclicam de ieiunio quadrageſimali cum directorio medico de dandis, pro diſpenſatione ieiuni atteſtatis, Frft. ad Moen. 8.

CONNALLVS Ô CONNELL Diſſ. de optima tutiſſimaque luem veneream radicitus extirpandi methodo, cui acc. Diſſ. altera de neceſſitate ac poſſibilitate operationis caeſareae in partu deſperato, L. B. 4 mai.

Eſſay ſur la fiſtule a l'anus ou l'on prouve qu'une gentilleſſe fort a la mode eſt une cauſe frequente de cette maladie, par Mr. COSTE, a Berlin, 4.

DALE INGRAM Cas praticables et obſervations en chirurgie, Lond. 8.

IO. MICHAEL DALY Diſſ. de venae ſectione et de uſu ac abuſu eius in praxi medica, L. B. 4. mai.

CHRISTIAN FRIEDRICH DANIEL *Beyträge zur mediciniſchen Gelehrſamkeit, 2ter Theil, Halle.*

IO. GEORG DEGGELLERS Materia medica externa, ſ. *Abhandlung aller in der äuſſerlichen Heilungs-Kunſt üblichen Arzneyen* etc. *Herborn*, 8.

IO. IAC. FRID. DEINLEIN Diſſ. de medico inter ſententias medico legales diſcrepantes arbitro tertio, germ. *Obman*, Altd. 4.

HENR. FRIDER. DELII Diſſ. de vena caua plena malorum, Reſp. *Io. Georg. Albert. Holtzſchuber*, Erlangae, 4.

Eiusd. Diſſ. phantaſmata ante oculos volitantia oculorum adfectus ſingularis, Reſp. *Chriſtian Wilhelm Rothkeppel*, Erlangae, 4.

HENRIC.

HENRIC. FRIDERIC. DELII Diſſ. de ſugillatione quatenus infanticidii indicium, Reſp. *Ignatius Berger*, Erlang. 4.

DENSO *Phyſicaliſche Briefe, erſten Bandes erſter Theil, 1 bis 12ter Brief, Stetin*, 4.

Cours de phyſique experimentale par I. T. DESAGVLIERS, trad. de l'Anglois par le P. PEZENAS, 2 Voll. a Paris, 4. c. f. aen.

ALEXAND. DIONYSII DIENERT quaeſt. med. an pars fibroſa ſanguinis ab eiusdem attritu ſoboleſcat? Reſp. *Iac. Gourlez de la Motte*, Paris, 4.

CAROL. DIONIS Quaeſt. med. an ad ſanitatem equitatio? Reſp. *Claud. Thom. Guillelm. Guilbert de Preval*, Paris, 4.

Tr. des eaux et des fontaines minerales de Forges par Mr. DONNET, a Paris, 12.

FRANCISC. IOSEPH. DVTOY Diſſ. continens obſeruationes mehodico rationales, neceſſarias ad formandam veram prognoſin in febribus acutis, Reſp. *David Becher*, Pragae, 4.

ISAACVS BREBERENVS VAN DYK Diſſ. de chylificatione in ventriculo et inteſtinis, L. B. 4. mai.

D. I. M. V. E. *Gründliches und ſicheres Arzney-Kunſt-Wunder-und Geſundheit-Buch* etc. *Frft. und Leipz.* 8. edit. 2da.

IO. PETR. AEBERHARD Diſſ. I. de mutationibus fluidorum a qualitatibus vaſorum in c. h. dependentibus, Reſp. *Iac. Frider. Sander*, Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. II. Reſp. *Henric. Arnold Malinkrot*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de legibus phyſicis caute in medicina applicandis, Reſp. *Chr. Henr. Schütte*, Hal. 4.

GVILIELM EDDOWES Diſſ. de hydrope, L. B. 4.

A natural hiſtory of birds etc. Part. IV. and laſt; by GEORGE EDWARDS, Lond. 4. c. fig.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

1. HEBENSTREITII Anthropologia forenſis p. 365
2. EIVSDEM Exegeſis nominum graecorum quae morbos definiunt p. 378
3. MANETTI Viridarium florentinum p. 379
4. Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin. an. 1749 p. 385
5. POTT *Fortſetzung der chymiſchen Unterſuchungen von der* Lithogeognoſie p. 404
6. Obſeruationes de morbis quibusdam ſingularibus p. 409
7. WALLERII Bref om chemiens raetta beskaffenhet, nytta och waerde p. 418
8. *Oeconomiſche Nachrichten 2ter Band* p, 421
9. *Oeconomiſch phyſicaliſche Abhandlungen 1 Theil* p. 433
10. Acta helvetica p. 448
11. KLEINII Quadrupedum diſpoſitio p. 461
12. Otia metallica, *oder Bergmænniſche Nebenſtunden* p. 469
13. PYRAVX Traité de la pharmacie moderne p. 473
14. VITALIANO della ſtoria marina dell' adriatico ſaggio p. 475
15. Commentarii academiae ſcientiarum imperialis Petropolitanae Tom. XI et XII p. 485
16. FOTHERGILL, account of the fore throat attended with ulcers p. 493
17. Pharmacopoea leidenſis, editio tertia p. 495
18. DV TOY Diſſ. obſeruationes ad formandam veram prognoſim in acutis p. 497
19. LINNAEI Diſſ. noua plantarum genera p. 499
20. Obſeruationes de nautilo p. 502
21. DE HALLER Primae lineae phyſiologiae p. 506
22. HECKERS Diſſ. de carebaria p. 514
23. MORAND Vtrum in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio et reparatio p. 514
24. DE IVSSIEV An minor in foetu quam adulto partium ſolidarum abraſio p. 515
25. SCHREBERS *Beſchreibung des Waidtes* p. 516
26. BOEHMERI Diſſ. radicis rubiae tinctorum effectus in corpore animali p. 519
27. EIVSDEM Pr. callus oſſium e rubiae tinctorum radicis paſtu p. 521
28. Noua medica p. 522
29. Addenda ad indicem ſcriptorum an. 1750 p. 538
30. Index ſcriptorum phyſico-medicorum an. 1751 p. 54.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS I PARS IV.

LIPSIAE
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
MDCCLII.

I.

Monita et praecepta medica. Auctore RICHARDO MEAD, Colleg. Medicor. Lond. et Edinburg. Socio, Reg. Societat. Sodali, et Medico Regio. Londini apud Ioan. Brindley. 1751. 8. mai. pag. 272. ſine praef.

Titulus apprime conuenit libro, quippe qui non omnes, qui huc uſque a medicis obſeruati ſunt, morbos cum ipſorum cauſis, et reliquis, ad intelligendam eorum indolem atque naturam neceſſariis, expoſitionibus continet, ſed utiles tantum obſeruationes de arte plerisque morbis medendi, et de auxiliis, quae contra eos profuiſſe, aut aegris nocuiſſe, longa ſua, qua iam huc uſque celeberrimus fuit, experientia Cl. Auctor animaduerterat. Apparet iam inde, quidnam ſibi promittere queant lectores. Accedit et hoc, quod, cum ſimplex erroris confeſſio in laudum parte, quae viro probo atque honeſto competunt, omni plane iure ponenda ſit, ſingularem hunc laudare debeamus candorem, quo ipſum, ubi quandoque perperam fecerit, aperte monere non pudet, id quod, uti CELSVS iam dixit, *praecipue in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur, omnino conuenit.* Praeter hanc, quae inde naſcitur, utilitatem, dictionis quoque elegantia, qua, dum

CELSVM, quem imitaretur, ſemper ante oculos ſe habuiſſe dicit, conſcriptus eſt liber, ita delectando attrahit lectorem, ut eum perlegiſſe neminem poenitere queat. Vt vero conſtet, de quibus nam morbis in hoc libro aliquid dictum ſit, capitum eius argumenta tranſcribere liceat: *Cap.* 1. *de febribus*, earumque non nullis generibus; *Cap.* 2. *de morbis capitis; Cap.* 3. *de inſania; Cap.* 4. *de angina; Cap.* 5. *de morbis pectoris; Cap.* 6. *cordis; Cap.* 7. *ventriculi et inteſtinorum; Cap.* 8. *de hydrope; Cap.* 9. *de iecinoris morbis; Cap.* 10. *de morbis renum et veſicae; Cap.* 11. *oculorum; Cap.* 12. *de podagra; Cap.* 13. *de doloribus articulorum; Cap.* 14. *de morbis cutis; Cap.* 15. *de ſtrumis; Cap.* 16. *de ſcorbuto; Cap.* 17. *de malo hypochondriaco; Cap.* 18. *de animi affectibus; Cap.* 19. *de morbis mulierum; Cap.* 20. *de morbis venereis;* et *Cap.* 21. *de morbis, qui aliis ſuperueniunt, aut in alios mutantur.* Omnia nunc quidem, quae Cl. Auctor docet, enarrare non poſſumus, aliqua tamen adduxiſſe iuuabit, quae et noua nobis atque in primis utilia, vel Auctori tantum propria, eſſe videntur. *Introductionem de corpore humano* praemiſit ille libro ſuo,
p. 1. cuius ſumma haec eſt: Corporis noſtri machina, quae, uti conſtat, eſt hydraulica, ope ſpirituum animalium, vi inſigniter elaſtica praeditorum, et fibris tum carneis, tum neruoſis, quae ipſorum ſunt receptacula, incluſorum, mouetur atque ſentit. Mens vero noſtra, in quauis demum corporis parte
p. 3. habitet, motus omnis et ſenſus eſt effectrix. Diſcrimen ergo inter motus vitales et reliquos eſt nullum, cum illi aeque, ac caeteri omnes, ab animo regantur, licet illi nobis parum conſciis, et ſine attentione noſtra, promte fiant, ut volentes etiam impedire eos haud facile poſſimus. En ſimilis rei exemplum! Valida lux noſtros perſtringat oculos. Conniuemus, mente ſic iubente, licet quoque con-
p. 5. niuere nollemus. Nonne in omnibus morbis a men-

et,

te, nobis id non ſentientibus, motus excitari videmus, quibus profligatur illud, quod machinae inſidias ſtruit? Sed non toti ſolum corpori proſpicit mens, ſed ſingulis eius quoque partibus, idque eo in primis officio, quo liberiore ſanguinem curſu per alias vias circumfert, quando in aliis tranſitui eius impedimenta obiiciuntur. Illos reſpice caſus, in quibus obſtructionum metus eſt, ſiue interueniat is a morbo, ſiue ab ipſius corporis actionibus. Vinolenti atque libidinoſi ſuppeditant exempla. Illis plus turgent arteriae capitis, his partium genitalium. Alia porro res in hac, ſtupendo artificio conſtructa, p. 8. machina ſummam meretur attentionem. Verum enim eſt perpetuum mobile, cuius conſtructio ſemper ab omnibus mathematicis fruſtra ſuſcipietur, ſolius rerum conditoris opus. Cum igitur potentiarum eius, quae omnes ſemper ac ſimul agunt, et quarum una alteram iuuat atque mutuo reficit, haud interruptus ſit circulus, patet inde, quod corpus ipſum non per partes, ſed totum ſimul et una vice conformetur. Animalcula igitur ſpermatica, in ſe- p. 9. mine humano reperiunda, veri ſunt homunculi, in uterum muliebrem ſaltem recepti, ut foueantur atque creſcant. Notemus adhuc, quod partium cor- p. 10. poris, in fila nimirum tenuiſſima abeuntium, quaedam eſſe debeat infinitas, ut vita peragi, et alimentis ſuſtineri queat. Machina vero haec, cuius motus, ſi legitime procedunt, ſanitatem ei praeſtant, ſin autem a ſuis legibus aberrant, morbis eam faciunt obnoxiam, perpetuo motu eam ob cauſam gaudere nequit, cum fibrae eius rigidae fiant, uſibusque ſuis ineptae, id quod duobus ſatis illuſtribus exemplis hominum ſenio confectorum probat, cuius unius deſcriptionem dedit SCHEVCHZERVS in Actis Philoſophicis *, alterius autem immortalis ille famae,

* Num. 376.

HARVAEVS, * et quod utrumque multas corporis
partes internas oſſea quadam materie obductas oſten-
p. 12. dit. Vir ille, quem HARVAEVS diſſecuit, anno
1635. e vita deceſſit, poſtquam centum et quinqua-
ginta duos annos cum nouem menſibus vixerat.
Cerebrum huic viro fuerat firmiſſimum et ad tactum
ſolidiſſimum, reliqua autem omnia ſana. En Cl.
Auctoris de homine ſententiam, cui vero omni nec
ſubſcribere, neque vero iam aliquid opponere con-
uenit. Ad ipſa nunc potius *monita* properamus.
p. 20. In febribus, etiamſi morbus iam conſiſtat, dummo-
do urgeant ſymptomata, ſanguis mittendus eſt, id-
que ſi propter vires iam debilitatas per ſcalpellum
fieri nequeat, per cucurbitulas aut hirudines, quas
quidem ultimas, premente delirio, ſaepe iuuaſſe
p. 21. aegros, Cl. Auctor obſeruauit. Furores non nun-
quam compeſci vidit a pulmonum aliqua portione
calente, ex agno recens mactato, capiti impoſita.
p. 24. Inclinato iam febris miliaris morbo, ad reliquias pu-
ſtularum foras euocandas, balneo tepido lauari con-
uenit, et in eo caſu, ubi veſiculae exiguae, pelluci-
dae, innumerae apparent, quae vim ſoluendi febrem
non habent, ſed longam et difficilem plerumque
aegritudinem indicare ſolent, lenioribus aluus duci
debet, nondum tamen intermiſſo veſicatoriorum uſu.
p. 30. Non alius quiuis morbus acutus iteratam purgatio-
nem, cum lenioribus remediis ſuſceptam, facilius
fert, quam febris, quae ſecum eryſipelas coniun-
ctum habet, praeſertim ubi cum tumore inflamma-
p. 33. tio caput obſidet. Camphora quidem utitur Cl. Au-
ctor in febribus malignis, ſed non niſi medicamen-
tis refrigerantibus adiectis, ideoque hanc eius exhi-
bendae formam commendat: *Camphorae drachma*
una, cum paulo ſpiritus vinoſi trita, ſacchari puriſſimi
unciae dimidiae perfecte admiſceatur; tum aceti cale-
facti

** Vid. Anatomiam THOMAE PARRI, ad finem libri IO. BETTI, de ortu et natura ſanguinis adiunctam.

facti libra una ſenſim affundatur. Item moſchi vires, p. 34.
urgentibus praeſertim conuulſionibus, ad grana decem cum aequali quantitate confectionis cardiacae et cinnabaris antimonii, ſub boli forma, iteratis vicibus dati, extollit. Corticis peruuiani vires, ad- p. 36.
dito leni aliquo carhartico, minui prorſus negat, quin imo a multis iam annis rhabarbarum ei adiicere in uſu habuit, tantumque abeſſe obſeruauit, ut eius virtus inde frangeretur, ut eam potius feliciter auctam fuiſſe, ideoque malum corporis habitum et hydropem, morbos, alias non ſine inani metu expectandos, auerruncatos tum fuiſſe animaduerteret. Vna vero alteraque rhabarbari drachma data, corticem ſolum adhibuit. Cum in febribus p. 39.
aliis, quam intermittentibus, hunc corticem non prodeſſe exiſtimet, in bilem ſolum modo eum agere autumat; bilem enim maxime in hiſce morbis peccare credit. Quandoque vero, viſceribus aut glan- p. 41.
dulis abdominis obſtructis, medicamentum hoc nihil valuit, niſi praemiſſis purgationibus, et datis medicamentis amaris, additoque marte. Febres quoque, quas eo cortice fugare non potuit, puluere ex floribus chamaemeli, myrrha, ſale abſinthii, adiecto paulo aluminis, pluries depulit. Lentarum non p. 47.
nullae febrium ex primis morbi cauſis ſuas habent acceſſiones atque circuitus, quibus ante illud tempus, quo recurrere ſolent, uti et aliis eodem modo recurrentibus haemorrhagiis, opponi debet cortex peruuianus, qui vero, pulmonibus iam exulceratis, plurimum nocet. Quando lactis uſus corpori neceſ- p. 49.
ſarius eſſe videtur, propter inteſtinorum tamen laeuitatem aeger illud ferre nequit, medicamenta leniter adſtringentia in eo coquere iubet Cl. Auctor, ſaepiusque, dum ebullit, frigidam aquam affundere, donec eadem portio, ac affuſa fuit, auolauerit. Liquorem tum colatum et ſaccharo commiſtum aeger quotidie bibat. In caſibus non nullis fumum ex thu- p. 52.

 re,

re, ſtyrace, ſuccino, benzoino, per tubum aptum in pulmones inſpiratum, humores acres et ſalſos deli-
p. 52. nire, Cl. Auctor exiſtimat. Eodem quoque modo fumum, ex balſamo tolutano inſpiratum, praecipue in ſanguinis ſputo, profeciſſe dicit. Tantum periculi, quantum minores pulmonis exulcerationes afferunt, a vomica non eſſe extimeſcendum obſeruauit, aegris talibus viſis, qui, reiecta foetidiſſima materie, diaetae lacteae et balſamicorum uſu ſanitati
p. 61. reſtituti ſunt. Quod MORGAGNIVS obſeruauit, *in oppoſita ſaepe cerebri parte ſe ſectis apoplecticorum cadaueribus, perſpexiſſe morbi cauſam*, confirmat etiam
p. 68. Cl. MEAD. Frequentiſſima quidem inſaniae cauſa in cogitatione nimis in aliqua re defixa conſiſtit, animi vero commotionibus morbus fit grauior, et in primis ſuperſtitioſa religione et amore: hinc *amantes* magis cum *furore*, *ſuperſtitioſi* vero cum *moerore* inſaniunt, ideoque auctores illam inſaniam vocare ſolent *maniam*, hanc vero *melancholiam*, duo quippe ſumma diri illius mali genera, re vera tamen gradu a ſe diſcrepantia; quare omnes quoque furibundos timidos eſſe et puſillanimes, Cl. Auctor monet. Cauſa eius morbi proxima in ipſo fluido nerueo, ceu ipſius inſtrumento, a natura ſua diuerſa ratione alienato, et vi imaginandi peruerſa, haeret. Inſani ſaepius ab aliis morbis non immunes ſolum eſſe ſolent, ſed, ſi quo morbo antea laborauerint, ut plurimum ab eo liberantur; id quod inſignibus, quae
p. 112. adducit, exemplis Cl. Auctor comprobat. In dyſenteria, ſi propter malum corporis habitum medicamenta, aduerſus eam cognita, parum profecerint, exiguam mercurii dulcis, ſexies ſublimati * portionem

* Sine dubio ex grauiſſimo typographi errore vocabulum *dulcis* eſt omiſſum. Quis enim, quod unum ex venenis eſt fortiſſimum, daret aegris? Hunc ipſiſſimum quoque errorem p. 133. linea, quae eſt ante finem ter-

nem addere rhabarbaro, conuenientiſſimum eſſe iudicat. Vomicam ventriculi, ſeu ſuppurationem in eo ortam, non ſemel obſeruauit, aegro tum magnam ſanguinis et purulentae materiae copiam euomente. Magnum quidem is morbus, in quo, ad glutinandas exulceratas membranas balſamus Locatelli commendatur, periculum haud affert. De vermibus cum CLERICO iudicat, illum, qui *latus* dicitur, plurium vermiculorum eſſe catenam, totum vero coniunctum caput unum ſortiri, acutum, roſtro haud abſimile, quod eiici debet ex corpore, ſi cura debeat eſſe tuta atque perfecta, quae a multis iam inde annis Auctori feliciter ceſſit, uſu pulueris, ex ſtanno raſo et aequali portione corallii rubri parati, cuius drachmam unam, cum conſerua ſummitatum abſinthii maritimi in bolum redactam, bis die aegris dedit. In capite octauo, quod obſeruationes de hydrope continet, permulta ſatis curioſa atque utilia inuenimus, v. c. in illa ſpecie, quae dicitur aſcites, aquam vel inter tendines muſculorum abdominis transuerſalium et peritonaeum, vel inter medias peritonaei tunicas, vel ſaepius adhuc in ipſam infimi ventris cauitatem effundi, docet. Duplici enim peritonaeum, eaque vera componi membrana ex ſequenti probat obſeruatione, qua in viduae duorum et quadraginta annorum, hoc morbo extinctae, cadauere aperto, poſtquam magna vis aquae ex cauo, quod muſculorum iam dictorum tendines confecerant, primum effluxerat, ſecta fuerat membrana, quae tum ab ipſo Auctore pro peritonaeo toto habita fuit, tumque viſcidi humoris libris octo emiſ- p. 116. p. 127.

 ſis,

tertia, et p. 186. lin. 1. p. 216. lin. quae eſt ab initio 5.; p. 246. lin. penultima, tandemque p. 249. lin. ante finem ſeptima, inuenimus. Illud in genere monemus, quod inſignem ſphalmatum typographicorum copiam in hoc libro, alias nitide expreſſo, miremur.

ſis, multis glandulis corruptis intermixtis, nulla apparuerant inteſtina, donec altera, quae nunc conſpiciebatur, craſſa inſtar corii, altera quippe peritonaei membrana, fuiſſet diſſecta, ventriculo tum cum omnibus inteſtinis et omento ſimul, in anguſtum ſpatium coactis, tandem in conſpectum pro-
p. 145. uenientibus. In ipſa paracenteſi omnem non nunquam aquam una vice emiſit, ſine metu, ne mors illico ſubueniret, ea tamen obſeruata enchireſi, ut abdomen, dum aqua proflueret, a ſuperioribus ad inferiora manibus, ſupra umbilicum ab utroque latere poſitis, comprimeret, illudque deinde faſciis ſatis vehementer adſtringeret, quo ipſo phaenomeno ea iam olim tradita confirmatur opinio *, quod mors, ſubito ſaepius huic operationi ſuperueniens, a ſanguine ad vaſa inferiora, huc uſque compreſſa atque debilitata, impetu inſolito et celeriore nunc irruente
p. 148. proueniat. Quamuis autem hanc operationem hydrops iterum ſubſequi non nunquam obſeruetur, ea nihilo tamen minus ad vitam tolerabilius degendam plurimum facit, id quod inſigni ſatis exemplo confirmatur: viduae nimirum, quinquageſimum annum iam egreſſae, ſingulis per unum annum menſibus humor ex ventre fuit eductus ad menſuram librarum quadraginta quatuor, altero tum anno ſingulis quoque menſibus tanta eius copia profluxit, ut per quamque ſeptimanam ad duodecim libras colligeretur, tertii deinde anni menſe uno quoque ad libras viginti quatuor, quarto autem et quinto anno ſextique ſeptem menſibus, aqua tricies educta, ad ſedecim libras ſingulis vicibus emanauit, ita ut per totum morbi decurſum librae mille nongentae et viginti

* Iam anno huius ſaeculi quinto in eius rei cauſam ſe inquiſiuiſſe, Cl. Auctor monet: Confer. medical eſſays, Edinburgh, 1737. Vol. I. p. 214, ubi faſciae vel potius cinguli quoddam genus, huic fini aptum, a Cl. MONRO deſcribitur.

viginti ex uno hocce corpore effluxerint, donec tandem languere coeperit, placidaque morte ex hydrope pectoris occubuerit. Interdum accidit, ut venter ſponte ſua rumpatur, quale exemplum, quod felicis praeter omnium opinionem fuit euentus, ſatis memorabile narrat Cl. Auctor. In alio caſu omnis aqua, poſtquam ante aliquot ſeptimanas ope chirurgi ea iam fuerat educta, una nocte, ſine praegreſſa exinanitione, per exiles peritonaei vicinarumque membranarum meatus ſponte fuit abſorpta, abdomine molli flaccidoque facto. Famoſum illud remedium lithontripticum a femina illa STEPHENS inuentum et praedicatum candide diiudicat, atque damnat. Guttae ſerenae aliquando mederi potuit ope mercurii dulcis, quando ea nimirum ab arteriis, tunicam retinam perreptantibus, ſanguine viſcido obſtructis, orta fuit. Subindicare videtur, quod ipſe primus ſit, qui in eum, in hoc capite traditum, diuerſa huius morbi genera exponendi, eaque, quantum fieri poteſt, curandi modum inciderit *. Ipſam ſuffuſionem aliquando, ſed rariſſime, vera conſtare membranula, exemplo docet ex infantis corpore, in quo talis, pupillae obducta, reperta fuit. Infantis vero aetatem ſimul indicare merito debuiſſet. Dubii enim ſumus, num vera fuerit cataracta, an illa forſan tunica, *pupillaris* dicta, quam foetuum pupillam claudere, Viri Clariſſimi, WACHENDORFFIVS et HALLERVS, his noſtris temporibus docuerunt **.

p. 152.
p. 154.
p. 175.
p. 182.
p. 187.
p. 189.

A

* An illud verum ſit, nos quidem dicere non poſſumus. Eandem certe theoriam iam olim tradidit ARCH. PITCARNIVS. Vid. Ei. diſſertat. med. Edinburg. 1713. p. 14. ſequ. Efficaciam quoque mercurii in iis caſibus multi iam diu ex medicis noſtratibus cognouerunt, prout modo ex Cl. HEISTERI et PLATNERI *Inſtitutionibus chirurgicis* apparet.

** Vid. Commerc. Noric. A. 1740. hebd. 18. et *Ill.* HALLERI Opuſcula anatom. Götting. 1751.

p. 206. A mali iſchiadici inueterati cruciatibus femoris ca-
put extra coxam interdum elabitur, ipſumque fe-
p. 210. mur protinus contabeſcit. Animalculis, ſua in ſul-
cis cuticulae ouula deponentibus, ſcabiem ſuum
debere ortum, cum Italo illo BONOMO exiſtimat.
Sit fides penes Auctorem, quamuis experientia do-
cti probe ſciant, quantum ſaepius damni ex ſolo ex-
ternorum, quae commendat is, remediorum uſu,
ſine internis, diuerſam ſanguinis acrimoniam emen-
p. 218. dantibus, medicamentis oriatur. Strumae non nun-
quam per aetatis corporisque habitus mutationes
ſponte euanuiſſe obſeruatae ſunt, qua re famoſus
ille *tactus ſanans regius* in uſum veniſſe videtur.
p. 221. Σπλην μεγας, lien magnus, ab HIPPOCRATE dictus,
fuit is morbus, quem hodie appellant auctores ſcor-
butum, et in viro, hac aegritudine extincto, lien
ingentis molis quinque libras cum quarta unius par-
te pendens caeteroquin non mutatus, ab Auctore
p. 226. noſtro repertus fuit. Humorum in ſcorbuto tanta
adeſt ad putredinem diſpoſitio, ut inter nautas an-
glici ducis, hac noſtra aetate celebris, ANSONII,
cum totum terrarum orbem circum nauigaret, multi
eſſent, quibus hoc morbo correptis etiam calli oſ-
ſium, quae iam diu fracta fuerant, atque indurue-
p. 246. rant, diſſoluti ſunt. Sanguinem in ſexu ſequiore,
per uterum ſuo tempore exire ſolitum, non per
ipſas uteri arterias, ſed per canaliculos ductusque
proprios, a natura in hunc finem comparatos, ſuis-
que ſphincteribus inſtructos, prorumpere autumat
p. 247. Cl. Auctor. Singularem inter emmenagoga virtu-
tem, quae vix unquam fallat, helleborum nigrum
p. 248. habere deprehendit. Fluxum menſium iuſto co-
pioſiorem a ſanguinis feruore ortum, omnium opti-
me compeſcit cortex peruuianus. Sufficiant haec,
quae adduximus, ad commouendos medicos, ut ipſi
hunc librum perlegant, quem regulae eleganter
conſcriptae finiunt, quo modo et quo obſeruato vitae
regimine ſanitas conſeruari queat. II.

II.

Diſſert. inaug. de optima tutiſſimaque luem veneream radicitus extirpandi methodo : Cui accedit diſſert. altera de neceſſitate ac poſſibilitate operationis caeſareae in partu deſperato. Auctore CONNALLO Ô CONNEL. Lugd. Batav. 1751. 4. pl. 4½.

Noui alicuius reperiundi cupiditate ducti, diſſertationem hanc perlegimus, ſed, quamuis nihil in ea noui inuenerimus, Cl. tamen Auctoris, recte de hoc morbo diſſerentis atque iudicantis, ſententiae facile ſubſcribimus, quod optimus eum curandi modus ille ſit, quo mercurius per frictiones quidem, ſed caute, et, quam ut plurimum fieri ſolet, parcioribus doſibus, et longiori temporis interuallo, ita adhibetur, ut nec iuſto copioſius ſaliuae profluuium, neque alui nimis cita atque larga ſubſequatur excretio, ſed ut eius remedii vis, protracta nimirum curatione, lente potius in omnia corporis puncta agat, obſtructa reſeret, atque excretione fere inſenſibili virus venereum ex corpore expellat.

In altera, quae illi ſubnexa eſt, diſſertatione partum a caeſo parturientis utero dictum, caeſareum defendit Cl. Auctor. Abdominis quidem muſculos, peritonaeum, ſecari debere concedit, ſed vulnus longe eſſe et fieri breuius, ac primo aſpectu eſſe videtur, inde probat, quod partes illae antea valde diſtentae, nunc exemto partu, illico ſe contrahunt. Nec metus, ne nimis largam parturiens faciat ſanguinis iacturam, terrere debet chirurgum. Naturale enim eſt, in omni partu ſatis notabilem ſanguinis copiam profluere. Vtero etiam ſtatim collabeſcente vulneris labra coeunt, mutuoque contactu ſanguinem, e diſſectis vaſis erupturum, coercent. Nec ſpaſmorum eſt periculum. Reliquas enim par-

tes,

res, quae incidi debent, quin et ipſum peritonaeum, in aliis operationibus ſine conuulſionum metu laedi immo et abſcindi poſſe, obſeruatione conſtat. Quod argumentorum autem eſt praecipuum, experientia, ſola harum rerum magiſtra, quae iudicii de aliqua re lati confirmare debet veritatem, illius per ſe quidem ſemper periculoſi tentaminis euentum ſaepe felicem comprobauit. In partu tamen alias prorſus impoſſibili, matre adhuc vegeta, illam tantum ſuſcipiendam eſſe operationem per ſe patet.

III.

Diſſertatio inaug. de Cortice Peruuiano. Auctor PHILIPPVS SILVESTER LVRSENIVS. Lugd. Batav. 1751. 4. pl. 7. tab. aen. 1.

Poſtquam in *Sect.* I. multa, quae ad *botanicam* huius corticis *hiſtoriam* ſpectant, ex auctoribus optimae notae, in primis ex illa, quam Cl. DE LA CONDAMINE de ſuo, ante hos quindecim annos in Americam, uti iam inter omnes conſtat, facto itinere, publicam fecit, deſcriptione collegerat Cl. Auctor, addita icone, quae ramum illius arboris, cuius corticem laudat haec diſſertatio, repraeſentat, ex *actis Pariſinis* an. 1738, quae *Commercio* etiam *Norimbergenſi literario* an. 1744. inſerta fuit, depromta: fatis, quae tum in America, tum in Europa, cortex ille quoad uſum, primo poſt ipſum detectum tempore, habuit, enarratis, externos, qui de eius bonitate teſtantur, characteres ſedulo exponit, *chemicum* eius *examen* tum methodo DE LA GARAY, in *Chemia* ſua *hydraulica* olim tradita, tum GEOFFROY ſubnectens. In *Sect.* II. *uſus* eius *ſalutaris in febribus intermittentibus* earumque recidiuis, *noxius* autem in iisdem morbis, in *Sect.* III. eius tandem in *multis aliis morbis uſus egregius* in *Sect.* IV. exponitur.

Recte

Recte omnino Cl. Auctor coniicere nobis videtur, p. 21.
quod in neruos agat ille cortex, eorumque motus
inordinatos compeſcat. Variis multorum auctorum
de modo, quo ille agat, ſententiis multo cum iudi-
cio perpenſis, variam aegris eum propinandi me-
thodum proponit. Exempla proſtare dicit, quod p. 34.
infuſa eius cum vino parata, clareta dicta, febres
inflammatorias induxerint. Somnolentiam circa ve- p. 37.
ſperam ab eius uſu ingraueſcentem, inter bona, quae
effectum eius indicant, ſigna referendam eſſe putat.
Vti in febribus intermittentibus autumnalibus inter p. 41.
dies paroxyſticos, ita quoque inter hebdomades qui-
dam eſt conſenſus, cur reuoluantur. Tertianae de-
cimo quinto die, quartanae aut quotidianae, hebdo-
made prognoſtica exeunte tertia, aut ineunte quar-
ta, ſaepius redire obſeruatae ſunt; quae obſeruatio
eam ob cauſam utilis eſt, ut eo in primis tempore
corticis uſum adhuc neceſſarium eſſe intelligamus.
In illa quoque ſpecie febrium plerumque quotidi- p. 43.
anarum, quae non nunquam obſeruatae fuerunt ab
auctoribus, et *topicae* forſan dicendae ſunt, in qui-
bus una alteraue corporis pars tantum afficitur, pul-
ſu quoque in illa tantum febrili facto, reliquo cor-
pore a febre prorſus immuni manente, cortex ad-
modum prodeſt. In hemitritaea autem febre noce- p. 46.
re illum, obſeruatio docuit, uti etiam a Cl. MEAD
idem fuiſſe annotatum, ex eius *monitis medicis* per-
ſpeximus. In iis quoque febribus, quarum genius
fixus eſt, vel, ſi aeſtatem breuem humidam valde
humidus ſequatur autumnus, vel in regionibus ca-
lidis earumque locis paludoſis, ab eo abſtinendum
eſſe Cl. Auctor exiſtimat. Cum in genere ſyſtema
neruoſum firmet, facile patet, quod in multis aliis
quoque morbis eximiae virtutis eſſe debeat, cuius
rei quoque permulta, ab aliis quoque auctoribus
narrata, exempla a Cl. Auctore adducuntur.

IV.

IV.

ANTONII GVILIELMI PLAZII Organicarum in plantis partium hiſtoria phyſiologica, antehac ſeorſim accurate expoſita, nunc curatius reuiſa et aucta. Lipſiae apud Langenhemium. 1751. 4. pl. 16.

Illorum omnino laudatur opera, qui ea, quae vel ipſi, vel alii ſparſim ediderunt, ſcripta, in primis ſi ad unam eandemque ſcientiae partem ſpectant, coniunctim nunc proponunt atque euulgant; hinc etiam eſt, cur Cl. Auctoris conſilium merito approbemus, fidemque diu datam non vanam fuiſſe, laetemur. Eas itaque nunc in uno libro collectas offert diſſertationes et programmata, in quibus vegetabilium partes declarat, et quae variis occaſionibus conſcripſit ediditque. Haec vero non noua modo eſt opuſculorum editio, ſed praeter ea non nulla, quae veritati rei et demonſtrandae et illuſtrandae conducere poſſe exiſtimauit, addidit, Cl. Auctor, et ita in quibusdam locis illa aucta ſiſtit, Habetur in hac collectione.

1) Programma, quod an. 1733 euulgatum, radicum hiſtoriam continet. Deſcriptione radicis praemiſſa, primam eius conſiderat formationem, eamque in partibus plantae formandis primum tenere locum, non vero ſemper terrae affixam eſſe, oſtendit. Faciem deinde, colorem et ſitum varium deſcribit, eiusque neceſſitatem atque uſum, dum et formandae plantae conducit, et nutritionem inchoat, expendit, et an per attractionem ſucci a radice reſorbeantur, explicat, tandemque partes radicis varias, nodum, corpus, huiusque variam figuram atque radicales fibras diſquirit.

p. 21. 2) Seminum diſquiſitio, haec primum an. 1736. ut programma, prodiit. Plantarum propagatione per

per ſemina ſtabilita, eorumque neceſſitate demonſtrata, ipſam ſeminis deſcriptionem addit, eiusque integumenta, corpus et ſeminalem plantulam ſeorſim deſcribit, dubia, de nudis ſeminibus oborta, ſoluit, et eius a fructu differentiam docet. Semen flori, non vero ſemper ſuccedere monet, ac modum nutritionis declarat. Specialiorem deinde profert differentiam, dum vel capſulis ſiccis vel ſucculentis tecta vel nuda inueniuntur ſemina. Quantitatem etiam et conceptaculi differentiam, ſeminum conſiſtentiam, ſuperficiem, marginem, ornamenta, tandemque figuram variam commemorat.

3) Foliorum hiſtoria. Haec diſputatio an. 1740. p. 36. ventilata fuit. Illis, quae ad originem nominis, variumque foliorum ſignificatum et ſpeciatim ſeminalis folii habitum ſpectant, praemiſſis, ipſam exhibet folii deſcriptionem, partes poſtea, quae folium conſtituunt, ut petiolum, neruum, utriculos, cuticulam, poros et a ſe inuicem ſtudioſe diſtinguit, et accurate deſcribit. Foliorum vero praeſentiam non ſemper neceſſariam, et ſtructuram atque colorem eiusdem ut plurimum a planta diuerſum eſſe exiſtimat, nec locum, ubi adhaerent, conſtantem, nec tempus, quo prodeunt, ſemper idem eſſe tradit, dum vero nunc foliorum uſum expendit, ſpeciatim diſquirit, an folia auricularum cordis, an vero pulmonum aemulentur functiones, et hic in tranſitu quaſi de foliorum morbis quoque diſſerit. Ab hiſce uniuerſalibus ad particularia tranſit, ac diuerſitatem eorundem ratione ſtructurae, ſuperficiei, figurae, craſſitiei, marginis, ſitus, numeri, coloris motus etc. eleganter oſtendit.

4) Diſſertatio de caule plantarum. An. 1745. p. 67. primum edita. Varia, quae ad dignitatem plantarum in genere et earundem cum animalibus analogiam

giam ſpectant, in prooemio docte exponit. In ipſa vero tractatione primo de variis caulis nominibus ſermonem inſtituit, eumque plantae partem diſſimilarem eſſe oſtendit. Partes porro eius integrantes, cuticulam, corticem, interiorem compagem atque medullam deſcribit, ex quibus ipſam caulis propriam ſignificationem et deſcriptionem deducit, eamque plantae partem organicam eſſe demonſtrat. Cur vero ille extenſionem perpendicularem fere ſemper habeat, et plerumque praeſens ſit, rationibus commonſtrat. Vſum tandem caulis primarium in nutritione inchoanda ponit, qua occaſione in actionem uſumque vaſorum ſpecialem huius partis ſtudioſe ſimul inquirit, praeter ea vero et acceſſorios uſus, dum plantas a frigore defendit, et bono ordine digeſtas reliquas partes conſpectui offert, et ſub finem differentias caulium plures ſpeciali examine proponit.

p. 90. 5) De flore diſſertatio an. 1749. defenſa. Auctorum de floris dignitate diſſenſum, eiusque etymologiam, locum, quo erumpere ſolet, et perfecti aeque ac imperfecti partes primum explicat, deinde definitionem addit, cuius membra ſingula ſeorſim ac diſtincte expendit, dum illum organicam partem, eamque non in omni planta praeſentem, et ſtructura a reliquis partibus diuerſam eſſe affirmat, ac uſum commonſtrat. Hac occaſione MALPIGHII in primis de uſu floris ſententiam examinat. Cum vero flores figura aliisque proprietatibus inter ſe differant, ſingulari tractatione et in genere eorundem varietatem, ac in ſpecie perfecti et imperfecti, regularis et irregularis, compoſiti et aggregati differentiam indicat, ac incidenter de colore et odore florum, ſtaminum diſcrimine, et apicum diuerſitate ſermonem inſtituit, multisque adductis exemplis omnem hanc rem illuſtrat. Index breuiſſimus primaria indicat opuſculi contenta.

V.

V.

Acta ſocietatis regiae ſcientiarum Vpſalienſis ab anno 1744 ad 1750. Stokholmiae typ. et ſumt. L. Saluii 1751. 4. mai. alph. 1. tab. aen. 4.

Regia ſcientiarum Vpſalienſis ſocietas ab huius ſeculi anno vigeſimo acta ſua edere primum incepit; cum vero eo tempore academiae ſecretarius ANDREAS CELSIVS apud exteros eſſet, factum eſt, ut quae poſt illius reditum exierunt acta, aliquot annis ſerius ederentur, quam oportuerat, et operis titulus requirebat. Vt autem hoc euitaretur et temporum ſeriem ſequi poſſet ſocietas, decreuit, paulo maiori volumine includere, quicquid ab an. 1744 ad annum 1750 edendum fuerat, hac lege continuatura, ut ad finem proximi cuiusuis anni prioris acta edat. Phyſico medica huius indicati voluminis capita ſequentia ſunt, quorum plurium, cum deſcriptiones corporum naturalium exhibeant, breuem modo, ne integra inſerantur, dabimus recenſionem.

1) De uſu electricitatis in rheumatiſmo, Auctore DE SAVVAGES *. Electrico igne plurimis aegris, paralyſi laborantibus, opem attuliſſe Cl. Auctorem, inter omnes iam conſtat; in hoc vero commentario porro docet, non minori cum ſucceſſu alios, qui rheumaticis, podagricis et iſchiadicis doloribus vexati fuerant, et nullum a medicamentis fructum reportauerant, nouo hocce medicinae genere feliciter ſanatos fuiſſe. Nouem hic recenſet morborum hiſtorias, ex quibus non nulla modo annotabimus phaenomena: 1) plurimis aegris, primam electricitatis energiam expertis, noctu artuum titillationes, aut puncturas, aut artuum vibratorios ſubſultus ſuperueniſ- p. 1.

 ſe,

* Scripſit Commentarium Monſpelii d. 26. Mart. 1750.

ſe, nec non 2) ſudores viſcidos in macilentis profuſiores tum noctu tum inter electriſandum erupiſſe indicat Cl. Auctor; 3) in arthriticis et paralyticis artus rigidi et immobiles nocte inter dormiendum flectuntur, explicantur, mouentur, licet die ſequenti rurſus fiant immobiles; 4) vidit duos homines, in quibus rheumatiſmus dimidiam a capite ad calcem corporis partem occupabat, quorum alteri dolor in formicationes abibat, unde in eam fere opinionem deductus fuit Cl. Auctor, rheumatiſmi ſedem eſſe eandem forte ac paralyſeos et eadem methodo utrumque morbum ideo ſanari; 5) Electriſationem eximium diaphoreticum in conualeſcentibus nec non, ſi ex parotidibus ac lingua ſcintillae eliciantur, exquiſitum ſialagogum et 6) in acuendo viſu nullum huic remedio anteponendum eſſe, ultimo tandem hanc medicinam ſaepiſſime et non ſemper cum debitis cautelis adhibitam, nemini tamen rheumatico vel paralytico nocuiſſe, nulli, niſi phthiſico, non profuiſſe, adeoque terrorem a NOLLES aliisque incuſſum, pro panico habendum eſſe, affirmat.

p. 9. 2) FRID. HASSELQVIST *deſcriptio mimoſae foliis pinnatis, foliolis oblongo ellipticis, petiolis obuerſe clauatis.* Pinnulae foliorum latere aduerſo conuexo, auerſo vero perpendiculari, et harum coſta lateri perpendiculari magis approximata eſt. Petioli breuiſſimi ſunt, dimidia parte inferiore craſſiores, altera dimidia ſubangulati, anguſtiores, hoc eſt obuerſe clauati, horum baſi ſtipulae duae minimae, lanceolatae adſtant. Calix et corolla ex albido parum flaueſcunt. Florem fructumque omnino cum mimoſa conuenire aſſerit Cl. Auctor, filamentis vero ſtaminum, baſi fere dimidia parte in cylindrum coalitis, ab eadem differre, ſimul monet.

3) *Sca-*

3) *Scabioſa floſculis quadrifidis, foliis pinnatifidis laciniis lateralibus erectiuſculis*, deſcripta a CAROLO LINNAEO. Planta, cuius ſemina e Siberia allata fuiſſe Cl. Auctor exiſtimat, radice fulcitur bienni, ex qua ſurgit caulis brachiatus, altitudinis nouem pedum, ſtriatus, pilis raris minutiſſimis ſetisque rigidioribus, et pilis quadruplo longioribus, ex tuberculoſo purpureo puncto prodeuntibus, adſperſus. Rami oppoſiti ſunt, caule multum breuiores, bis ſaepe dichotomi; folia illi oppoſita, ſemi amplexicaulia, pinnatim ſecta, pinnis lateralibus, utrinque duabus vel tribus ouato lanceolatis adſcendentibus, impari maiore ouata. Florum color albus eſt. Et integra planta diminuta, et partes eius naturali magnitudine in tabula exhibentur. p. 11.

4) *Penthorum Gen. plant.* 457. idem Cl. Auctor accurate definit, plantamque integram deſcribit. Radix fibroſa atque perennis caules emittit decumbentes, radiculas agentes, inſtante floreſcentia a medio ad apicem aſcendentes, foliis lanceolatis, ſerratis, baſi petiolorum decurrentibus ornatos. Corymbi terminantes ex racemis undique diuergentibus conſtructi ſunt, et foliola linearia integerrima breuiſſima ſolitaria ad alterum latus pedunculorum communium poſita deprehenduntur. Calix ſaepe in quinque, aliquando plures, ad decem ſaepe, lacinias diuiditur, laciniis ipſis aequalibus perſiſtentibus. Petala ſunt lanceolata, alba, calycis folioli magnitudine, rariſſime quinque, ſaepe unum aut duo, communiter nullum; ſi quinque aut quatuor adſunt petala, minuitur ſegmentorum calycis numerus. Stamina numerantur decem, erecta, calice breuiora; ouarium album, quinquangulare, terminatum ſtylis quinque perſiſtentibus, ſtigmatibusque pulpuraſcentibus. Florem ſequitur capſula quinquelocularis, calyce maior, roſtris quinque conicis diuergentibus, in- p. 12.

 trorſum

trorſum ſulcatis extrorſum carinatis dehiſcens, et ſemina numeroſa paleacea continens. Solum amat planta ſpongioſum umbroſum.

p. 15. 5) *Ceruus camelopardalis*, *ſiue ceruus cornibus ſimpliciſſimis*, *pedibus anticis longiſſimis* LINN. Syſt. nat. p. 13. deſcriptus a FR. HASSELQVIST. Obſcura hactenus fuit huius animalis hiſtoria, quod zoologorum forte nullus vidit. Caput eius prominens eſt, oblongum, lateribus parum compreſſum; labium ſuperius craſſum, inferius tenuius; nares amplae in apice ſuperioris labii; pili rigidi, ſparſi in utroque labio; ſupercilia rigida, ex una pilorum ſerie compoſita; oculi ad latera capitis, vertici quam roſtro, ut et fronti quam collo propiores; cornua in vertice capitis ſita, breuiſſima, baſi craſſiora, verſus apicem tenuiora, piloſa, baſi ipſa pilis breuiſſimis rigidis tecta, apice longioribus, erectis, rigidiſſimis, apicem ſuperantibus, cincto, apex cornuum intra hos pilos obtuſus, nudus; eminentia in fronte, infra cornua, oblonga, breuis, ſuperficie inaequalis; auriculae pone cornua, illis paulo inferius poſitae; collum erectum, compreſſum, longiſſimum; dorſum ſubconuexum, latera fere aequalia, vix protuberantia; linea pilorum rigidorum per dorſi cacumen integrum, et per collum uſque ad caput extenſa; pedum crura cylindrica, anteriora poſterioribus plus quam dimidio longiora; tuberculum craſſum, durum, in flexura genu; cauda teres, non iubata; color totius corporis, capitis et pedum ex maculis fuſcis et ferrugineis variegatus.

p. 17. 6) Eiusdem Auctoris *deſcriptio muris aegyptii*, qui *mus pedibus poſticis longiſſimis*, *cauda corpore longiore*, *extremo villoſa* nominatur. Caput huius eſt oblongum, vertice fere conuexum, lateribus parum protuberans; roſtrum breuiſſimum, apice truncatum, cylin-

cylindraceum; myſtaces copioſiſſimi, in tres ſeries diſpoſiti; pedes anteriores breuiſſimi, terram non attingentes, ſub collo reconditi, hinc poſterioribus ſolum incedit et ſaliendo ambulat animal, quieſcens poſteriores pedes abdomini applicat et ſupra genua inflexa ſedet; cibum non ſolum, ut glires, manibus apprehendit, ſed et aquam digitis incuruatis haurit; die integro dormit, nocte ſemper vigil.

7) *Turdus ſolitarius* miſſus ab Cl. HASSELQVIST. p. 21. Roſtrum habet conico ſubulatum, lateribus compreſſum, longitudine capitis; maxillam ſuperiorem inferiore paulo longiorem; linguam membranaceam, apice in tres lacinias, quarum media longior, laceratam; ſupercilia nuda, pupillam nigram, iridem ruffeſcentem; rectrices ſucceſſiue a primis breuiores; digitos quatuor, anteriores tres, poſticum unum. Color totius corporis obſcure cinereus eſt; cantat elegantiſſime.

8) Idem Auctor porro deſcriptionem *fulicae* LINNAEI Syſt. nat. p. 28. exhibet. p. 22. Roſtrum eius compreſſum eſt, rectum, maxilla ſuperior verſus apicem conuexa, parum decliuis, verſus baſin dilatata, fronti quoad dimidiam partem, inſtar laminae, impoſita, hinc frons exiſtit calua. Maxillae edentulae, denticuli in fauce molles, poſterius 4, in medio 3, verſus apicem 2. Lingua glabra, in apice obtuſa, membranacea, leuiter laciniata, denticulata, denticulis in extremitate baſeos ad latera utrinque duobus, maioribus, acuminatis, inter quos alii minores conſpiciuntur. Pedes ſupra genua ſpatio pollicis dimidii nudi, lumbi ad anteriora non flexiles. Digiti 4, diſtincti, lobati, lobi in quouis anteriore 3 utrinque, ſemicirculares, in poſtico modo unus. Remiges 19. quarum prima reliquis breuior, ſecun-

da et tertia longiſſimae, ſequentes ſucceſſiue breuiores; rectrices breuiſſimae, circiter 20, molles.

p. 24. 9) Eiusdem *Viperae Aegypti et officinarum* deſcriptio, quae ab ipſo *coluber ſcutis abdominalibus* 118, *ſquamis caudalibus* 40 dicitur. Caput vertice parum, inter oculos valde depreſſum, lateribus multum protuberans, roſtro terminatur breuiſſimo, obtuſo. Maxilla ſuperior emarginata eſt, inferior integra, foſſula longitudinalis in gula ſatis profunda. Nares ante oculos collocatae, proxime ſupra marginem roſtri, tranſuerſales. Prope roſtrum in ſuperiore capitis parte oculi apparent, quorum pupilla perpendicularis, anguſta; in utriuſque maxillae anteriore parte dentes plures haerent, parui et ſcabri, praeter ea in ſuperiore duo longiores, acuminati, arcuati, retractiles, baſi vagna tecti, in qua abſconduntur; linguae apex bicuſpidatus. Abdomen planum, mediante ſulco longitudinaliter fit plicatile; cauda infra anum poſita, conica, apice aculeo parum incuruato terminata. Abdomen ſcutis degitur 180 *, quae in medio ſulcata, in lamellas diuiſibilia, lateribus prope apicem linea eleuata notata, primum horum et ultimum minima. Caput et corpus ſupra tegunt ſquamae ouatae, vagina ad baſin cinctae, angulo longitudinali eleuato medio. Dorſi, colli, capitisque color ex ferrugineo albidu, abdomen albidum, cauda dorſi colorem refert, huius extremum vero tribus nigris annulis cingitur.

p. 27. 10) Alia quoque, *colubri cornuti*, ſpecies, *coluber ſcutis abdominalibus* 150, *ſquamis caudalibus* 50, *aculeis in vertice duobus*, *denticulis in palato*, appellata, ab eodem Auctore deſcribitur. In plurimis cum priori

* Vitium typographicum hic in numeris adeſſe, nomen ſpecificum docet, ibi vero illud forte quaerendum.

priori conuenit, habet vero haec oſſicula duo in palato, parallela, denticulis utrinque decem inſtructa, qui acuminati ſunt ac verſus gulam reflexi; denticuli in maxilla inferiore ab utraque parte apicis 3 vel 4, in apice vero nulli nec ad baſin; utrinque porro unus adeſt aculeus in margine ſuperiore orbitae oculi ſitus, erectus, cute tectus, baſi ſquamis minimis cincta. Pro venenata habetur ab Aegyptiis, licet dentibus maximis careat.

11) Porro Cl. HASSELQVIST *anguis*, *ceraſtes* vulgo dicti, deſcriptionem proponit. Nominatur ille *anguis ſquamis abdominalibus* 200, *caudalibus* 15, *dentibus magnis maxillas perforantibus.* Caput eius ſubtriangulare eſt paruum, roſtrum obtuſum, maxilla ſuperior inferiore parum longior acutiorque; nares ſupra apicem roſtri, oblique ſitae, lingua breuis apice truncata, extremitate ſtigmate atro in medio notata, ſub lingua prodeunt binae ſetae flexiles. Vtrinque ad baſin maxillae ſuperioris dens haeret inſignis, maxillam perforans, et ex illa egreſſus, aculeum in vertice formans. Mobiliſſimi hi ſunt, et facillime ex ſuis foraminibus poſſunt tolli, hosque pro lubitu et eleuare et deprimere poteſt anguis, reliqui dentes minimi ſunt, acuminati, in utraque maxilla anterius et ad latera poſiti. Color eius ex albido nigroque variegatus. Pro venenata non habetur. p. 28.

12) Reptile animal, quod *ſcincum* auctores nominarunt, nunc zoologus noſter deſcribit, illudque appellat *lacertam cauda ſupreme cylindrica, apice attenuata, compreſſa, pedibus pentadactylis, digitis lobato ſquamoſis.* Caput corpori eſt contiguum, hinc collum nullum; maxilla ſuperior inferiore triangulari longior, integra, lateribus ſupra inferiorem extenſa; in utraque dentes breues aequales. Corporis p. 30.

 dorſum

dorſum angulatum habet, angulo longitudinali eleuato, paulo infra caput incipiente et iuxta poſteriores pedes terminato. Digiti pedum ſunt quinque, fiſſi, articulati, ab extimo ad interiorem ſucceſſiue breuiores, poſteriores anticis longiores, ſquamis ſuperius tecti, quae ad latera in lobum extenſae, imbricatae, et in margine ſinu triangulari diſtinctae apparent; apex digitorum nudus eſt, parum ſupra conuexus, ſubtus concauus. Caput, corpus pedesque ſquamae tegunt nitidae, laeues.

p. 33. 13) *Octopodia*, *ſepiae ſpecies* ultimo tandem a Cl. HASSELQVIST deſcribitur loco. Corpus depreſſum eſt, breuiſſimum, in baſi ſemicirculare; abdomen ſuperius apertum, quadriloculatum, maiores duo loculi perpendiculari, minores tranſuerſali diſſepimento ſeparati; foramen tranſuerſale in ſuperiori abdominis margine habet, quod orificium eſt, intra tunicas abdominis ſpatio dimidii pollicis decurrentis; ſupra hoc tubus membranaceus ſuperiori margine corpori adnexus, inferiore liber, utrinque apertus, utrinque ad latera lobum emittit, corporis lateribus poſterius annexum, anterius liberum; collum breuiſſimum, corpore multo anguſtius; caput durum, quaſi tuberculatum, ad cuius latera utrinque oculus magnus; roſtrum capite duplo longius, tentaculis octo terminatum; haec longiſſima ſunt aequalia, glabra, tuberculata, in baſi intercedente membrana nexa, apice tenuiſſimo; tubercula in quouis duplici linea diſponuntur; foramen in medio cuiusuis annulis quatuor cingitur; maxillae corneae in apicis roſtri medio intra tentacula ſitae, quarum altera multo maior, baſi triloba.

p. 35. 14) *Cyprinus pinnae ani radiis XI, pinnis albentibus Faun. Suec.* 325, deſcriptus a CAROLO LINNAEO. Longitudine pedem unum, latitudine uncias

cias quatuor aequat. Caput latum eſt, laeue, ſupra fuſcum, lateribus argenteum; maxilla ſuperior paulo longior; iris oculorum pallida; narium foramina duplicata; pinna dorſalis radiis 10, quorum duo primi ſimplices, pectorales pinnae radiis 17, quorum primus modo ſimplex, ventrales radiis 9, primo ſimplici, ante dorſalem pinnam collocatae; ani pinnae radii priores duo ſimplices, primo breuiſſimo, collocata haec eſt in ſulco intra ſquamas; pinna caudae bifurca, radiis 18. Color in dorſo fuſcus, in ventre argenteus, in pectore rufeſcens, ſquamae latae ſunt et ſtriatae, linea lateralis vix conſpicua. Ipſe piſcis, quem ex Finnlandia Auctor accepit, in addita tabula delineatur.

15) *Duorum* quoque *piſcium* deſcriptionem IO. FR. GRONOVIVS communicauit; quorum prior nunc dicitur *ſcomber linea laterali curua, tabellis oſſeis loricata, corpore lato et tenui;* a RAIO vero *trachurus braſilienſis* nominatur. Branchiae utrinque quatuor, quarum opercula rotunda, ſplendentia, membranae vero oſſiculorum ſeptem, ſupremo maximo. Squamae exiguae a cute vix ſeparandae, linea lateralis ad aperturam operculorum bronchialium pone oculos curua, longitudine pinnae pectoralis, ad medium corpus reflexa, recta in ipſam caudam extenditur; haec ubi curua, ſemicirculum fere format, et laeuis eſt, ubi vero recta procedit, loricata eſt tabellis oſſeis imbricatis, utrinque radiatis, in medio munitis tuberculo aculeato, caudam ſpectante, tabellae hae exiguae primum, ad caudam magnitudine creſcunt, hinc caudam verſus quadratum redditur corpus. Pinnae in toto piſce octo cum cauda. Color capitis, dorſi ac laterum coeruleo viridis, ventris albidus ſplendens. Alter deſcriptus piſcis ille eſt, qui *perca radiis pinnae dorſalis ſecundae* 13, *ani* 14 ab ARTEDO dicitur; et nunc nouo nomine *perca pinnis dorſa-*

p. 36. p. 39.

dorſalibus diſtinctis, ſecundae radiorum 14, appellatur. Huius vero facies omnium optime ex addita icone cognoſcitur.

p. 42. 16) Inſectum, quod *pediculum piſcium* FRISCHIVS appellauit, nomine *monoculi cauda foliacea plana* deſcribit PETRVS LOEFLING. Animal eſt membranaceum, diaphanum, oblongum, cuius caput tenuiſſimum cum alis poſtice cohaeret; oculi duo nigri, ſimplices, aeque ſubtus ac ſupra conſpicui, reliquae capitis partes ob tenuitatem non apparent. Ala utrinque una eſt, trunci initio affixa, venis purpureis picta, cauda plana alis non adhaerens, bifurcata, verſus baſin duobus punctis nigris notata. Inter oculos et trunci initium artus ſunt, ſiue columnae duae, breuiſſimae, tubuloſae, apicibus concauis, nulla intercedente articulatione corpori annexae, prope has columnas pedes duo, difficile conſpiciendi, poſt hos vero, verſus caudam ad latera trunci pedes utrinque quatuor, parum geniculati, apice bifidi. Ad inceſſum haec animalcula non pedibus, ſed modo columnis iſtis utuntur, quarum ope ſe piſcium branchiis affigunt, et tarde ſeſe mouent, ad natandum vero adhibent pedes octo poſticos, reliquis et columnis quieſcentibus. Alimentum forte columnis iſtis hauriunt animalcula. Cum figura, quam FRISCHIVS dedit, minus ſit accurata, perfectiorem Cl. Auctor exhibuit.

p. 47. 17) *Plantae Coldenghamiae in prouincia Nouerobacenſi Americae ſponte creſcentes. Pars ſecunda;* * Auctore CADWALLADER COLDEN. Ad methodum ſexualem LINNAEI diſponuntur plantae, et praeter ſpecificum nomen, quod vel ex alio auctore deſum-

* Prima pars huius florae legitur in Actis ſoc. Vpſal. An. 1743. p. 80. ſqq.

deſumtum eſt, vel recens conſtructum, etiam ſynonyma adducuntur et fere ſemper breuis totius vegetabilis exhibetur deſcriptio; quod eo magis certe laudandum, cum ex florum fructuumque accurata in ſingulis ſpeciebus deſcriptione tandem ad genuinos et proprios generis characteres eruendos peruenire queamus. Plantis 141 in prima parte deſcriptis, nunc a didynamiis gymnoſpermis incipiendo, reliquas addit, et ita numerus omnium eſt 237. Inter has plures deprehendimus nouas ſpecies, et duo noua forte genera, quae *anonymorum* modo nomine Cl. Auctor deſcribit; quorum altera planta eſt cruciformis, cuius vero deſcriptionem imcompletam adhuc tradit, altera eſt perſonata, cuius characteres annotaſſe non poenitebit. Huius calix eſt monophyllus, paruus, quadripartitus, corolla monopetala tubuloſa, limbo compreſſo, clauſo, figura capiti piſcis ſimili, labium ſuperius concauum integrum, inferius integrum planum, filamenta quatuor, corollae inſerta, duo breuiora, antherae coalitae. Stylus ſimplex, capſula orbicularis unilocularis, ſemina tria vel quatuor, lucida.

VI.

CAROLI LINNAEI Diſſ. de plantis hybridis. Reſp. IOHAN HAARTMAN. Vpſal. 1751. 4. pl. 4. c. fig. aen.

Viuentia corpora ex ſemine propagari, foetusque eandem ac parentes viuendi rationem inire, et ſingula intra ſuas ſpecies multiplicari, ita, ut qualia in principio erant, talia etiam in poſterum ſine ſpecierum vel mutatione vel mixtione permaneant, unanimi fere conſenſu hactenus aſſumtum fuit. Rariſſime enim animalia extra ſuam gentem ſe miſcent, multoque adhuc rarius eſt, ut hac ratione ſoboles pro-

procreetur, quae tum partus hybridus vocari ſolet. Eius modi vero hybridos partus poſſibiles eſſe, non modo mulus ſed et alia exempla probant. An eius modi quoque in regno vegetabili exiſtant, hactenus non ſatis perſpectum habuimus, neque an nouae plantarum ſpecies per duarum diuerſarum miſcelam oriri poſſint ac quotidie oriantur, ex theoreticis principiis explicare ſe velle ac poſſe libere fatetur Cl. Auctor, videtur tamen ipſi ea res a poſteriori ſatis corroborata. Notum enim eſt, botanicos innumeras collegiſſe in Europa nouas plantas, veteribus ignotas, ſed quoad maximam partem veterum herbis ſimiles. Atque haec ſunt, quae ad problema deduxerunt LINNAEVM, utrum nempe duae diuerſae plantae tertiam producant, an ut hybridae illae conſiderandae ſint. Quando itaque ſpecies quaedam, antea incognita, duabus aliis ſimilis deprehenditur, ita ut omnes notae, quibus ab una dignoſcebatur, in altera inueniantur, et e contrario, ut omnes characteres, quibus haec dignoſcitur, in illa oſtendi poſſint, ſuſpicatur hanc ut hybridam ex duabus illis originem duxiſſe, et, quem ad modum hoc in variis euictum eſt ſpeciebus, illam ut matrem agnoſcit, quae in fructificatione cum planta, nouiter detecta, conuenit, illam vero patrem, quae flore et fructu ab hac differt. Plantarum itaque, ex ſpecierum copula et miſcela genitarum, catalogum, in certas phalanges diſtributum, exhibet Cl. Auctor, et 1) *bigeneres*, ex diuerſis generibus ortas; 2) *congeneres*, ex diuerſis eiusdem generis ſpeciebus enatas; 3) *deformatas*, odore et criſpatura conſpicuas; 4) *obſcuras*, quibus parens difficile aſſignatur; 5) *ſuſpectas*, quae veriſimiles eſſe videntur, nominat atque deſcribit. Inter bigeneres itaque 1) adducit *veronicam hybridam*, Vpſaliae in horto academico an. 1750 et 1751 lectam, cuius matrem *veronicam floribus ſpicatis fol. ternatis Fl. Suec.* patrem vero *verbenam officin. eſſe exiſtimat.*

Radix

Radix nouae huius plantae perennis ac fibroſa eſt, caulis incanus, erectus, ramis lateralibus inſtructus, articulatus, folia inferiora caulis oppoſita, petiolata, lato lanceolata, pinnatim vero inciſa, laciniis inaequaliter ſerratis, inciſis, ſinubus patulis, lateribus approximatis, ſubincana, margine deflexo, vaſis ſupra profunde exaratis; petioli inſeruntur articulis, ut coeant ab utroque latere caulis, ſuperiora folia per tria quatuorue genicula terna fere. Spicae terminantes floſculis numeroſis, reliquis veronicis ſimilibus, praeditae ſunt. Breuis haec deſcriptio ex addita icone perfectior redditur. 2) *Anemonoſpermos afric. iacobaeae maritimae foliis flore ſulphureo. Commel.* mater cenſetur *anemonoſpermos afra foliis et facie taraxaci incanis. Breyn.* et pater *calendula africana humilis flore intus albo, foris violaceo. Herm.* 3) *Delphinium hybridum*, quod ex matre *Delphinio nectariis diphyllis foliis peltatis multipartitis acutis Cliff.* et patre *aconito* originem duxit. Caulis fructificatio, immo color matrem, folia vero exacte aconitum referunt; ſunt enim glabra, atrouirentia et ad baſin in profundas lacinias fiſſa. Huius plantae ſemina non cum reliquis delphinii ſpeciebus ex Siberia in Europam allata ſunt, exorta tamen ea in horto Petropolitano, unde in Vpſalienſem miſſa, ubi feliciter ex ſeminibus propagatur.* 4) *Poterium agrimonoides H. Vpſal.*

* Planta, quam ut matrem adducit LINNAEVS, ſtaphyſagria alias dicta, diu in horto Ludwigiano floruit, eaque ſeminibus ſparſis ſeſe ipſam propagauit. Non ſine admiratione vero aliquando vidimus, non priorem modo, ſed aliam adhuc ſpeciem in eadem area enatam fuiſſe, quae nouiter nunc enata foliorum in primis figura et inciſuris a priſtina multum erat diuerſa; praeter ea etiam calcar corollae, quod bina illa nectaria cingit, non, ut in priori, rugoſum ſed laeue erat. An et haec apud nos ex miſcela cum aconito orto fuerit, nondum definimus, ſufficit certo ſcire, ex ſeminibus ſatis non progerminaſſe eam primum, licet nunc ex illis multiplicetur.

Vpſal. matrem agnoſcit *poterium inerme filamentis longiſſimis Roy.* et patrem *agrimoniam officin.* 5) *Aſclepias nigro flore C. B. P.* nata ex *aſclepiade flore albo C. B. P.* et *cynancho caule volubili, foliis cordato lanceolatis glabris Cliff.* 6) *Saponaria concaua anglica C. B. P.* huius matrem *ſaponariam calycibus monophyllis cylindraceis foliis ouato lanceolatis, H. Vpſal.* patrem vero *gentianae* quandam ſpeciem eſſe arbitratur. 7) *Primula foliis petiolatis ſublobatis crenatis*, huius nouiter exortae plantae origo *primulae foliis glabris carnoſis integerrimis Hall.* et *cortuſae foliis cordatis petiolatis* adſcribitur. 8) *Aquilegia canadenſis* ex *aquilegia vulgari* et *fumaria canadenſi* orta eſſe dicitur. 9) *Papauer corniculatum violaceum C. B. P.* mater eius *argemone capitulo breuiore C. B. P.* et pater *chelidonium hiſpidum pedunculis unifloris H. Vpſal.* cenſetur. 10) *Tragopogon calycibus corollae radio longioribus, foliis integris, ſeminibus laeuibus, diſci pappoſis, radii calyculatis H. Vpſal.* ad cuius formationem conſpirauit *tragopogon purpureo coeruleum* et *hieracium falcatum C. B. P.* 11) *Blitum capitellis ſparſis lateralibus H. Vpſal.* cuius hybridi foetus mater *blitum capitellis ſpicatis terminalibus H. Vpſal.* pater vero *chenopodium rubrum Fl. Suec.* habetur. 12) *Dracocephalum floribus verticillatis, bracteis longis ouatis, integerrimis, corollis calyce multoties maioribus. H. Vpſal.* ex miſcela *dracocephali floribus verticillatis, bracteis oblongis integerrimis, corollis vix calycem aequantibus H. Vpſal.* et *nepetae corymbis geminis pedunculatis axillaribus, foliis cordato oblongis acuminatis ſerratis H. Vpſal.* enata dicitur. 13) *Cochlearia foliis caulinis cordato ſagittatis amplexicaulibus H. Cliff.* cuius mater *cochlearia fol. radicalibus ſubrotundis caulinis oblongis ſinuatis H. Cliff.* et pater *braſſica orientalis perfoliata* nominatur. 14) *Braſſica foliis lyratis caule hirſuto ſiliquis retrorſum hiſpidis H. Vpſal.* genitores huius ſobolis ſunt *braſſica foliis lyratis caule hirſuto ſiliquis glabris H. Vpſal.* et *ſinapis*

ſiliquis

ſiliquis hiſpidis roſtro obliquo longiſſimo H. Cliff. 15) *Arundo foliorum lateribus conuolutis acumine pungente Fl. Suec.* quam ex copula *arundinis panicula coarctata, erecta, integra, foliis inferne glabris Fl. Suec.* et *ſecali ſpiculis geminatis Fl. Suec.* genitum fuiſſe creditur. 16) *Syringa foliis lanceolatis integris H. Cliff.* cuius mater *ſyringa foliis ouato cordatis H. Cliff.* pater vero *iaſminum foliis oppoſitis pinnatis H. Cliff.* commemoratur. 17) *Chriſtophoriana Americana racemoſa baccis niueis Moriſ.* cui *chriſtophoriana vulgaris* et *rhus trifoliatum virginicum Gronov.*, ut parentes aſſignantur. Hae ſunt ab Auctore adductae hybridae et bigeneres quidem plantae; reliquas congeneres, deformatas, obſcuras atque ſuſpectas, quarum prolixior habetur recenſio, lubenter omittimus. In fine tandem diſſertationis botanicos excitat LINNAEVS, ut ad prolixiora, et ſuſpecta plantarum genera, curatius attendant, qualia ſunt ſaxifragae, ſalices, gerania, ſolana ſpinoſa, aſtragali, allia, artemiſiae etc. Ianuam itaque aperuit Cl. Auctor, ut in aliis plurimis, ita et in hac re botanicis, et ſi ſcrutatores ab illa non aberrant, videbunt facile, quae ſit ratio, quae cauſa difficultatis determinandi ſpecies diſtinctas plantarum. Optatam etiam attigit ſane metam LINNAEVS, dum hoc ſcripto incitat alios, ut ad minima exacte attendant ac diſpiciant, an eius modi generationes, quae in regno animali rariores ſunt, in vegetabilibus frequentius inueniantur.

VII.

IOANNES BAPT. BOHADSCH, Med. D. Diſſertatio de veris ſepiarum ouis. Pragae Bohemorum 1752. 4. pl. 4½ tab. aen. 3.

Accurata haecce diſquiſitio haud obſcurum edit documentum, quanta cum ſolertia in peregrinationibus, in exteras regiones inſtitutis, naturali

ſtuduerit ſcientiae Cl. Auctor. Forte enim in maris littore corpus obſeruans glutinoſum, eiusque ſtudioſius rimatus naturam, ſepiae eſſe oua comperit. Eorum itaque exhibiturus deſcriptionem, veterum primo de iis opiniones recenſet, ſuamque deinde addit. Ex illis autem plerique ARISTOTELIS, antiqui ſcriptoris, auctoritati innixi, falſam dedere ſepiae ouorum deſcriptionem, licet ille non buccini, ut non nulli autumant, oua, ſed racemum marinum aut uuam marinam, cuius utriusque iconem exhibet Cl. Auctor, pro ouis habuerit ſepiarum, ita quidem, ut etiam in illo iuniores ſepias ſe conſpexiſſe ſcribat. In quem forte errorem eam ob rationem delabi potuit ARISTOTELES, ſi uuae marinae, quod aliquando ipſe conſpexit Auctor, minores adhaeſerint ſepiae. Ex recentioribus praeter ea nemo eſt, qui ſepiarum oua vel diſquiſiuerit, vel rite tantum cognouerit, quae enim NEEDHAMVS profert, ita comparata ſunt, ut in loligine adhuc deliteſcentia, nondum vero excluſa videatur conſpexiſſe ouula. Copioſa illa reperiuntur in omni, quod belgium ab oceano defendit, littore poſita oua, quae pluribus ſeriebus connexa, non inconcinne ab Auctore *iuli*
p. 14. *gelatinoſi* appellantur. Acerui tamen eius modi iulorum magnitudine ſaepe variant, aliquando paucio- res pollices, aliquando unum alterumue pedem aequantes, quae magnitudo a maturis intus contentis foetubus potiſſimum dependet. Ipſorum enim iulorum magnitudinem pro ratione matris, quae illos deponit, differre nondum exploratum eſt, in primis, cum aues maritimae illos deguſtare et partem plerumque deuorare ſoleant. Horum iulorum connexio ope communis, gelatinoſi, tenacisque peragitur ligamenti, quod latum magis quam teres, ad duorum iulorum adhaeſionem ſinum ſiue arcum format, quisque praeter ea iulus propria membrana cingitur, varii coloris, quae in interna iuli facie

caecas

caecas conſtituit cellulas. Hae autem humore pellucido, ſalſo plenae, albicans ſimul et globoſum continent corpuſculum, quod tandem in ſepiolam mutatur. Adhaerent hae tranſeunti per medium iulum proprio, elaſticoque ligamento, variis tamen intercapedinibus diſtincto, quibus veſiculae illae annectuntur, quas ab eo ſeparatas, nullum cum humorem fundant, caecas eſſe demonſtratur. In his latitantes ſepiolae diuerſae ſunt magnitudinis, maiores corpuſculum album ſuis amplexantur brachiis, minores iisdem nudis incedunt. Quae tenerae admodum et albicantes, coccineis notantur punctis, corpus tres lineas longitudine, unam latitudine aequat, altera parte obtuſiore, altera truncata, haec caput illa cauda eſt. In capite inter oculos nigros brachia duo, pari modo coccineis punctulis notata, procedunt. Num vero eo iam tempore motum quendam exerceant, omni data opera non potuit detegere Cl. Auctor. Creſcunt tamen et a parua mole in immenſum augentur, a reſorpta, quae hos aceruos alluit, aqua marina; non enim gelatinoſum, quod unicuique ex analogia ita videri poſſet, in hiſce veſiculis contineri ſuccum, ab igne coagulabilem, ſed tenuem, fluidumque coctio in aqua ebulliente, diu etiam continuata, manifeſtauit. Poſtquam vero ex veſiculis excluſae ſunt ſepiae, nondum magnitudine omnes inter ſe conueniunt, *truncus craſſus eſt, in dorſo maculis coccineis notatus, in ventre albus, ad utrumque latus pinnis natatoriis carnoſis inſtructus, in capite prominent duo oculi ampli, ex anteriori parte pedes octo, ab initio craſſiores et lati, deinde in acumen gracileſcentes, interius duplici acetabulorum ſerie inſtructi.* Brachia eorum ſenſim prolongantur, et in baſi latiora verſus apicem attenuantur, quo ipſo ab adultarum ſepiarum brachiis differunt, quae ab initio rotunda et leuia ſunt, in extremitate acetabulis tantum inſtructa. In ventre atramento plena veſicula conſpicitur, a qua

p. 21.
p. 26.

fiſtula caua, cylindrica, ex craſſa et tendinea membrana compoſita, continuatur, qua mediante, ſi hoſtem inſequentem effugere velint, atramentum effundunt. Haec exterior iamiam conſpectus docet, in diſſecta deinde ſepia ob mollitiem corporis, et quod aetate prouectiores Cl. Auctori non ſuppetebant, pauca diſtinguebantur, nec niſi gyrus canaliculi albicantis, cui filamentum tenue albicans iungebatur, in os ſepiae deſinens, oeſophagus forte cum ventriculo et inteſtino, detegebatur. Notum autem vulgo os ſepiae proceſſus eſt verſus caput acutus, ad caudam obtuſus, in dorſo poſitus. A latere utrinque apophyſis eſt tenuis, cum corpore crenam formans, ut pinnas ſuſtineat natatorias. In iuniori ſepiola candidiſſimum habet colorem, in medio tenerum, intus vero ſpongioſum, exterius ex permultis, ſquamarum ad inſtar ſibi impoſitis, lamellis conflatum eſt. Haec itaque ſunt, quae noua ſane nullique hucuſque cognita de ouis ſepiarum proponit Cl. BOHADSCH, quibus non nullas de nutrimento earum ſubiungit animaduerſiones. In veſiculis adhuc latitantes earundem ſucco veſcuntur, qui, licet tandem viſcidior fiat, increſcentibus tamen ſepiis ſatis adhuc accommodatus eſt; ſed hiſce ex clauſtris egreſſa ſepia, ſolidiorem requirit cibum, et uuam marinam, quam exinde falſo non nulli ſepiarum oua eſſe antumarunt, appetit, quale etiam mucilaginoſum cibi genus adultis ſepiis uſitatum eſſe naturae perhibent ſcrutatores. Satis elegantes, huic opuſculo adiunctae, icones, praeter Buccini oua et uuam marinam, tum integrum iulorum ouulorum ſepiae aceruum, tum omnes huc usque deſcriptas partes ſigillatim ſiſtunt.

VIII.

VIII.

An Eſſay on the vital and other involuntary motions of Animals, by ROBERT WHYTT, M. D. fellow of the royal College of Phyſicians and Profeſſor of Medicine in the Vniverſity of Edinburgh. Edinburgh, printed by Hamilton, Balfour and Neill. 1751. 8. pag. 392.

Hoc eſt:

Tentamen de vitalibus et aliis inuoluntariis motibus animalium per ROBERTVM WHYTT.

Si quid eſt in corporis humani actionibus obſcurum aut abſconditum, actiones certe illae ſunt, quas vitales vel inuoluntarias appellare ſolemus. Quibus difficultatibus tollendis operam nauantes ſolertiſſimi phyſiologi, varias introduxerunt hypotheſes, ex quibus nunc illam Cl. STAHLII adduxiſſe ſufficiat, qui animae imperio illas adſcribendo, facili ſeſe extricaſſe opera videbatur. Huius autem eam in primis ob rationem mentionem hic iniicimus, quod Cl. Auctor ex eodem fonte illas maximam deriuauerit partem. Qua in re ſe ita etiam felicem p. 3. fuiſſe credidit, ut ſimplicem eſſe ſuam ſententiam, legibus naturae cognitis conuenientem, atque omnia, quae circa involuntarios motus notari merentur, phaenomena facile ſoluentem, aſſeuerauerit. Cum vero non vitales tantum, quas vulgo vocant, actiones perpendere ipſi animus fuerit, ſed demonſtrare etiam annitatur, inuoluntarias ex eodem manare fonte, in tredecim tractationem diſtribuit ſectiones. Praemittit nimirum cognitu maxime neceſſaria principia, aliorum deinde de motu cordis conſiderat opiniones, quo facto ſuam de ſyſtole et diaſtole eius exponit, hisque motus, a canali inteſtinorum et

veſica urinaria, nec non a vaſis ſanguiferis perficiendos, ſubiungit. Sequuntur poſt ea pupillae, aurisque internae motus. Circa reſpirationis alternos motus explicandos fuſius verſatur, et in primam reſpirationis cauſam in ſpecie inquirit, quae actio, cum per muſculos praeſtetur atque a ſtimulo proueniat, rationem, quare muſculi animalium, applicata irritatione vel ſtimulo, contrahantur, diſquirit. Porro, quid in excitandis vitalibus et inuoluntariis motibus animalium, mentis praeſtet acceſſus, declarat, continuatos tandem per ſomnum vitales motus, nec non illos, qui poſt mortem, vel in animalium muſculis, vel in partibus, a viuo corpore ſeparatis, obſeruatur, conſiderat. In ſingulorum horum momentorum et alios conſulit eosque recentes plerumque ſcriptores, et eorum quoque obſeruationibus, quantum neceſſe eſt, utitur. Praemiſſa principia ſeu *poſtulata* ad muſculos pertinent, fundamenti loco reliquis inſeruientia demonſtrationibus. Aſſumit itaque vim vel influxum, a cerebro et medulla ſpinali prouenientem, in neruis haerentem et ad muſculos deductum, vel immediatam eorum contractionis cauſam eſſe, vel maxime neceſſariam: arterioſum ſanguinem ad eam praeſtandam, ut ſecundariam vel remotam accedere cauſam: muſculos viui animalis niti continuo in contractionem: eam vero naturalem, praeter influxum fluidi neruei, a vaſculorum per fluida diſtentione, fibrarumque diſtractione, dependere: naturalem, admodum moderatam, contractionem ſine duritie et notabili intumeſcentia, quae in muſculis, a voluntate motis, conſpiciuntur, fieri: ſi fluidum vero nerueum copioſius in eos deriuetur, fortiorem concitari contractionem, eamque violentam: huius fluidi influxum augeri per voluntatem, aut per ſtimulum, nudo muſculo viui animalis applicatum: pro ſtimuli ratione variare contractionem: ſingulare tamen hoc eſſe, quod muſculus, a ſtimulo contra-

contractus, non continuo, licet ſtimuli actio non ceſſet, ſed alterne contrahatur relaxeturue: idque remoto etiam fieri ſtimulo: omnesque motus muſculorum a ſtimulo involuntarios eſſe: hinc eum maiorem ac voluntatem exſerere vim: modos contractionis muſculorum triplices eſſe, naturalem, voluntarium et involuntarium: naturalem manifeſto conſpici in ſphincteribus et iis, qui antagoniſtas non habent, muſculis: hinc cordis actionem directe a voluntate mutari non poſſe: ergo hanc et involuntariam eſſe, et cum contractione a ſtimulo conuenire: animam tandem deſueſcere actionibus quibusdam, niſi adhibeatur, et vim eas producendi perdere. His autem per exempla robur addit ſententiis. In motu cordis, difficillime explicando, deſudarunt multi, ex quibus GALENI, CARTESII, HARVEI, BOERHAAVII et GORTERI opiniones proponuntur diiudicanturque. Contra Boerhaavianam praecipue p. 29. monet, nec omnes cardiacos neruos inter arterias auriculasque decurrere, neque tantam, quae ſupponitur, eorum fieri poſſe compreſſionem, ob partium mollitiem, pinguedinisque, in his locis deprehendendae, copiam. Immo breuiſſimam aliquam compreſſionem neutiquam muſculum mox paralyticum reddere, quid quod a compreſſione nerui illa, p. 31. quae in neruis eſt, ſpirituum pars, antrorſum in non compreſſam urgeri partem debeat, nouamque vel maiorem producere contractionem cordis. Deinde auriculas contrahi, neruis iam compreſſis, et relaxari, dum ventriculi ſunt in ſyſtole, in moribundis etiam dextrum contrahi ventriculum, ſiniſtro iam ab actione ceſſante. Contra GORTERI vero p. 35. ſententiam, qui in muſculis voluntariis eius modi aſſumſit ſtructuram, ut fibras eorum, per ſpiritus dilatatas, neruulos, inter eas contentos, comprimere, hinc fluidi neruei influxum intercipere, muſculique relaxationem producere, hoc facto autem

nerᵘos a compreſſione liberare et ad nouam contractionem diſponere, autumet, varia monenda ipſi occurrunt. Hanc ſcilicet ſtructuram tantum ſupponi, diaphragmatis motum pro voluntate noſtra accelerari aut remitti poſſe, in obſtructis pulmonibus atque in ſomno voluntarios etiam muſculos, ut intercoſtales, moueri, pupillam tandem a luce quidem contrahi, non vero iterum mox relaxari. Ex hiſce, et quae de elaſtica fibrarum virtute diſpicit, hypotheſibus nullam cum ſufficientem inuenerit Cl. Auctor, aliam et rationi et analogiae, omnibusque phaenomenis, ut ſibi videtur, reſpondentem, in
p. 39. ſequentibus proponit. Conſiderato vero diuerſo cordis, in contractione, relaxatione et dilatatione, ſtatu, aſſumtaque HVNALTI ſententia, cor nempe contractum breuius fieri, ſyſtolem primo loco expendit. Elegit itaque, refutatis aliis opinionibus, eam, quae ſanguinem, ut ſtimulum, in has partes
p. 46. agere ſtatuit, quam quidem vim a compoſitione ſanguinis, calore, inteſtinoque eius motu deducit, easque qualitates probabili ratione ab aere et vi, qua ſanguis in caua cordis fertur, excitari credit. Ex alimentis ſanguis in corpore humano praeparatur, haec autem, tum ſalia, tum olea continent, quae ſtimulantes eorum partes ſanguini ſimul communicantur, et in eo, ſuae naturae conuenientes, exſerunt virtutes. Sanguis quidem ſani hominis guſtu ſalſus eſſe non deprehenditur, inde tamen non ſequitur, alios ſenſiliores, a teneris admixtis ſalinis particulis, affici non poſſe neruos, quod v. c. viperae venenum ventriculo innoxium ſanguini admixtum lethale eſſe obſeruamus. Calor, in vibratione tenuiorum partium conſiſtens, hanc ipſam papillis cordis neruoſis communicat, et irritando ad actionem eas concitat. Inteſtinus motus ab aceſcente chylo, et alcalina volatili parte ſanguinis mixtis, exortus, maiorem adhuc ſtimulum efficere debet. In aere deinde, acti-

uus

uus et viuificans continetur ſpiritus, qui forte in pulmonibus ſanguini admiſcetur et conſumtus mortem inducit. Vis, qua ſanguis in cor fertur, diſtendit eius caua et irritationem producit, id, quod actiones, motum ſanguinis cordisque augentes, confirmant. Nec non a fluido, tum ſanguinis, tum chyli, tum aeris reſuſcitatur cordis motus, ut inde pateat, a ſtimulo cordis, per venoſum ſanguinem redeuntem, pendere contractionem. Haec ad ſyſtolem pertinent, relaxationem et diaſtolen venoſus ſanguis perficit. Contracti enim muſculi fibrae in p. 66.
ſtatu violento verſantur, et ad naturalem ſtatum redire continuo nituntur, ipſae itaque dilatanti cedunt cauſae, ſponte ſua relaxantur, tandem a ſanguine diſtenduntur. Haec ſimili modo in auriculis aeque ac ventriculis fiunt. Aſt, cum ventriculus ſiniſter, ob ſuam fortitudinem, maiorem requirat vim, HALESII, IO. BERNOVLLII et SANTORINI p. 70.
utitur rationibus, quibus maiori vi per pulmonales, quam per cauas, venas redire ſanguinem euincitur. In foetu, licet ventriculus dexter ſiniſtro paulo ſit p. 76.
fortior et quaedam tantum ſanguinis pars in pulmones pellatur, vis tamen redeuntis ſanguinis per cauas minor ſit, cum libere poſſet per foramen ouale in ſiniſtrum deuenire ſinum. Sanguis ergo, ſtimuli vice agens, non ſimplicem, ſed alternum poſt ſeparationem ex viuo animali et mortem adhuc durantem, producit cordis motum. Difficillime tantum p. 81.
reſpondetur ad quaeſtionem, quando et quare cor in animalibus pulſare incipiat; nihil enim niſi hoc intelligimus, in non incubato ouo minimum foetum, mortuo ſimilem, deliteſcere, calore vero incubationis excitari demum et viſibilem incipere motum. Praeter cordis motum alii quoque inuoluntaria peraguntur ratione, ex quibus canalem alimentorum et urinae veſicam primo contemplatur loco. In deglutitione larynx et os hyoides leuatur, horum itaque

muſculorum actionem, ſpontaneam eſſe aſſerit, exortam ab irritatione membranae ſenſilis faucium, dum alimenta per hanc progrediuntur viam. Pari modo oeſophagum ab alimentorum ſtimulo contrahi autumat, quippe cum et alimenta, fibras muſculorum extendendo, tubum diſtrahant. Alimenta, in ventriculum delata, calore eius et motu intumeſcunt, aer, in iis contentus, expellitur, hinc papillae nerueae ventriculi, nec non muſculoſae fibrae extenſae
p. 86. ad contractionem ſtimulantur. Expulſa quadam alimentorum parte noua diſtentioni paratur via, contractio tamen noua non fit, niſi accedat, praeter ſtimulum, irritatio in diſtractis enata fibris. Stimulum autem ventriculi producere contractionem confirmant acria, nec non opium, quod motus eius coercet, ſimplicem tamen ſufficere diſtentionem clarum eſt, ex nimio celeriterque aſſumto potu, qui vomitum excitat. In inteſtina eaedem agunt cauſae, accedit tantum his bilis, aer et alimenta digeſta; id quod ulterius comprobant purgantia, periſtalticum augentia motum, opium, ſtimulo vim demens, eumque debilitans bilis iners. Quae, ab alimentis relictae, ad inteſtinum rectum ducuntur, faeces acrimonia ſua partim, partim pondere ſuo diſtendentes fibras ad contractionem ſtimulant, et omne acre teneſmum generare conſtat. Diſtenditur tandem ab urina veſica urinaria, hinc contractio eius euenit; acrimonia enim ob mucum in ſtatu naturali parum
p. 94. praeſtat. In vaſis ſanguiferis, ut in corde, duplex motus obſeruatur, dilatatio arteriarum ab irruente ſanguine fit, ſyſtole, ab elaſticitate partim fibrarum muſculoſarum, partim a ſtimulo ſanguinis et fibris diſtentis. Minimis autem vaſculis, virtutem cordis non experientibus, oſcillationem quandam adſcribit, quae a ſtimulo circulantium humorum proueniat,
p. 96. immo microſcopio poſſit diſtingui. In venis motus non deficit, et illae afficiuntur a ſtimulo, ſed debilius

bilius, in vena tamen caua euidentior obſeruatur contractio. In penis erectione, quam muſculis plerumque erectoribus adſcribunt, ſed absque ratione, ſtimulus tantum agit, a ſemine in veſiculis ſeminalibus contento; hic autem maiorem ſanguinis ad minores penis arterias producit affluxum, ita quidem, ut ſeroſae etiam extenſae rubrum admittant ſanguinem, cuius quidem aliqua pars ad venas redit, aliqua vero per aperta minima oſcula in contextum cauernoſum emittitur, nec reſorberi potens a minus dilatatis venis, eum expandit et erectionem producit. DVVERNOI vero et HALLERI ſententias reiicit, qui a conſtrictis neruis huius actionis repetunt originem, licet ſuam omni nondum reddiderit exceptione maiorem. Deinde et alia, ab animi pathematibus in circulo humorum mutata, phaenomena ex oſcillatione minimorum vaſculorum aucta deducit. In coitu acceleratorum muſculorum motus ob- p. 105.
ſeruantur, quos a ſtimulo ſpermatis, in urethram effuſi, prouenire ſibi perſuadet Cl. Auctor; motuum enim frequentiam ſeminis copiae reſpondere ait. In coitu praeter ea rugas vaginae titillari, hinc uterum affici, tubas fallopianas erigi, has ouum in ſe receptum per tunicam muſculoſam propellere, ab ouo extenſam et ſtimulatam. In motu pupillae decla- p. 107.
rando occupatus, duplex cum aliis fibrarum eius ſtratum aſſumit, circulare nimirum et longitudinale, ſine quo mechaniſmo nihil intelligi poſſit. Naturalem pupillae ſtatum dilatationem eſſe, per ſtimulum vero eandem, luminis ſcilicet, quod retinam afficit, contrahi autumat, ut etiam, quicquid radios lucis intercipit, ne retinam afficiant, praeter naturalem eius dilatationem excitet, prout in cataracta et amauroſi obſeruatur, in quo poſteriori morbo lucem non afficere circulares iridis fibras, ob non mutatam pupillam, clarum eſt. Quodſi quaeratur, quapro- p. 115.
pter lux, in iridem agens, non utriuſque generis fibras

fibras afficiat, lucem collectam, non vero radios eius diſtractos, in pupillam agere praeſupponit, hinc felim viuam, ſub aqua pupillam oſtendere dilatatam; opticum deinde neruum et pupillam ab eodem loco neruos non habere, et pupillam ab ingrata ſenſatione, a radiis lucis in retina producta, affici, longitudinales tandem fibras eam non auertere, ſed augere potius, hinc circulares ſtringi demonſtrat. Maximopere tamen notandum eſt, haec perfici per *ſentiens principium*, ſiue animam. Diuerſorum poſt ea refutans auctorum hypotheſes, WINSLOWI amplectitur opinionem, poſt mortem nempe pupillam a circularibus, nunc ſibi relictis coarctari fibris, eamque experientia confirmat. Motu pnpillae autem efficitur, ut diſtinctus etiam viſus ſit, quare illa a voluntate mentis ſola in clara luce non magis contrahitur ac in debiliori, ſed utraque cauſa debet eſſe
p. 138. coniuncta. Ad corroborandam hanc ſententiam, neophytorum pupillam ampliorem eſſe ſtatuit, quia cornea in iis craſſior eſt, retinaque minus afficitur, et quia facultate, per habitum demum acquirenda, contrahendi pupillam carent, ſenum e contrario pupilla magis fit immobilis, ut a ſtimulo lucis minus afficiatur, fibraeque eius vim perdant contractilem, cornea tandem et retina varie mutatae ſint. Diſtinguit ergo contractionem pupillae in eam, a ſtimulo lucis, quae ſpontanea eſt, et illam ad viſum diſtin-
p. 146. ctum, quae a voluntate pendet. Pari ratione quoque de muſculis internae auris differit, qui, cum diuerſis eos adaptari ſonis conſtet, partim neceſſarios et involuntarios, partim ex voluntatis nutu motus perficiunt.

p. 150. Ad reſpirationis conſiderationem deueniens pulmones pleurae contiguos eſſe primum aſſumit, et inſpirationem contractis, exſpirationem relaxatis fieri muſculis contendit. BREMONDVS in Acad. Reg. Scient. Pariſ. an. 1739. non pulmones pati tan-

tum

tum, ſed etiam agere ex inſtitutis a ſe experimentis euincere voluit, contra hunc igitur veſiculas pulmonales, ob elaſticas ſuas fibras, vi quidem ſe contrahendi non deſtitui monet, illa vero ſe iterum dilatandi carere. Deinde in viciſſitudinis actionum in p. 166.
reſpiratione cauſas inquirit, praecipue BOERHAAVII, ſatis notam exinde refellens ſententiam, quod cordis actio ſemper perſiſtit, pulſus non mutatur, cerebelli etiam ſecretio, ligatis carotidibus arteriis, non intercipitur. Inconuenientem quoque explicationem compreſſionis neruorum phrenicorum, a MARTINE p. 172.
adductam, eſſe iudicat, ſuamque proponit: Durante p. 176.
videlicet in et exſpiratione ſanguinem per pulmones facile, completa in et exſpiratione difficulter progredi. Hinc ob difficilem tranſitum minora vaſa diſtendi, ſanguinem in iis, ut ſtimulum, agere, intercoſtales muſculos et diaphragma ad contractionem irritare. Hunc deinde ingratum ſenſum a virtute entis ſentientis dependere, quae ad muſculos intercoſtales et diaphragma copioſiores determinet neruorum ſpiritus. Exſpirationem vero non opus habere mentis acceſſu, quippe quae ab elaſticitate cartilaginum coſtarum renitente, a pericardio peritonaeoque diſtentis, nec non a muſculis abdominalibus, a deſcendente diaphragmate expanſis, ceu ſtimulo affectis, perficiatur. Verum, cum inſpirationis muſculi poſt inſpirationem relaxentur ſtatim, tenendum eſſe, ingratum illum ſenſum diuerſi eſſe generis, in inſpiratione eum ſemper augeri, hinc ab anima ſuſcipi ad illum removendum idoneas actiones, id eſt, exſpirationem inſtitui. Maior tamen ſtimulus, ut de minori non cogitet, animam diſponit, ipſaque, in morbis conſpicua, phaenomena hoc declarant, quae vel intercipiunt, vel accelerant reſpirationem, quorum quaedam adduntur exempla. p. 191.
Interim, cum pro lubitu mutari reſpiratio queat, a ſpontaneis quidem differt motibus aliquantum, ſed

non

non in uniuerſum, quod et ſponte in ſomno et tali, quo nobis ipſis non ſumus conſcii, ſtatu peragitur. Idque fit eam ob rationem, quod paruus ille ſtimulus, muſculos, inſpirationi inſeruientes, afficiens, non immediate mouendo organo, ſeu pulmonibus, applicatur, ut alias quidem ſatis magnus, ad actionem inſtituendam, voluntate tamen poſſit coerceri. Satis autem magnum eſſe pateſcit ex eo, quod in ſomno varias ſuſcipimus actiones, nobis etiam non aduertentibus. Haec in homine reſpirante contingunt, quaenam vero prima et praecipua, reſpirationem incipiens, cauſa ſit, alia eſt quaeſtio, in qua enucleanda multum poſuere laboris phyſiologi. Alimenta, fame et ſiti ducti, tanquam monitoribus, aſſumimus, reſpirationis igitur deſiderium in foetu
p. 208. ab ingrato ſenſu, ſeu *appetitu reſpirandi*, ut vocat, naſci Cl. Auctor autumat. Si vero appetitu reſpirandi tenetur embryo, cur liquorem amnii non inſpirat? ex eo nempe, quod aquae, ad reſpirationem ſuſtentandam ineptae, guttula etiam vehementiſſime laryngem
p. 211. afficit. Forte etiam, ſic enim coniicit Auctor, appetitus reſpirandi in foetu locum non habet ante partum, aut circa eum inſtantem demum fortior euadit, ob inconuenientem circulationemque perturbantem ſitum; ob aeris conditiones, ad vitam neceſſarias, quippe qui non ſine probabilitate ſanguini quidquam ſuppeditare videtur, quod vigorem eius conſeruet, qui ſuppletur per ſuccos matris, dum in utero haeret infans, in ſoluto vero a matre infante deficiens, neceſſitatem reſpirationis facit, quo ingratus, nondum perceptus, auertatur ſenſus. Et haec melior Cl. Auctori videtur aliorum explicationibus, refutat itaque PITTCARNIVM, BOERHAA-
p. 222. VIVM atque HALLERVM, ultimo tandem loco HARVEI problema, quare cum ſecundinis natus infans viuat, ex iis vero exemtus ſine reſpiratione pereat, ita ſoluit, ut in priori ſtatu foetum vitam eandem ducere

ducere ac in utero, in poſteriori vero, ob ſanguinem, in pulmone accumulatum et ſtimulantem, ad reſpirationem continuandam cogi, affirmet.

Declarata itaque reſpirationis hiſtoria muſculorum actionem vitalem, ſeu a ſtimulo excitatam, eodem proſequitur ordine, aliorum de motu fibrarum muſculoſarum adducens cogitata, de quibus vero plura hic non adducere licet, monentibus tantum, in ea eſſe Cl. Auctorem opinione, ac ſi materia, quaecunque illa ſit, motum per ſe habere non poſſit, idque ſtatuere aeque eſſe abſurdum ac cogitandi ipſi vim tribuere. p. 241. Cum itaque effectus ſtimuli in muſculares fibras nequeat deduci a ſpeciali quadam proprietate, inhaerente ipſis fibris, *ſentienti principio*, fibras has animanti, illos adſcribendos eſſe ſtatuit. Illud autem eo magis verum videri, ſi obſeruemus, applicatum nudo muſculo ſtimulum, non unam, ſed reiteratam producere contractionem relaxationemque, nec non cum augmento irritationis motus ipſos incitari. Mechanica cauſa unicam tantum produceret contractionem, diutius durantem, prout plantarum, ut ſenſitiuae, folia docent. Obiici quidem p. 245. poſſet, elaſticas fibras ipſas vel intus contentum fluidum oſcillantem quendam accipere poſſe motum, aſt reſpondet tunc Cl. WHYTT, non conſtare, quare acre oſcillationem producat; quare non omnes muſculi alternatim, ſed conſtanter quidam, ut pupilla, contrahantur; quare oſcillatio muſculorum ea ratione ſingularis et ab oſcillantium corporum lege aliena ſit, ut fortiores lentioresque inſtituat ſimul vibrationes. Muſculi deinde ſine ſtimulo, illo tantum in remota parte applicato, in actionem deducuntur, immo ab idea et recordatione, omnique animi affectu et toties quidem alternatim mouentur, quoties ingratus perdurans ſenſus illud requirit, quo demum remoto motus hi ceſſant. p. 266. Quapropter quid anima in producendis eius modi valeat motibus videndum

dendum eſt. Ex HALESII euincitur experimentis,
cor in quacunque circulatione $\frac{9}{10}$ perdere illius vir-
tutis, quae ipſi per ſiniſtrum communicatur ven-
triculum, haec autem cum reſtituenda ſit, a mate-
ria vero dari nequeat, aliunde debet reſarciri, ab
anima nimirum: fluidum enim nerueum, utpote
materiam, nec hunc quidem effectum producere
poſſe, nec in corde eſſe principium motus quaeren-
p. 274. dum. Verum tamen virtus animae obſcura eſt, cum
natura eius et motus agendi ignoretur; qui hoc ob-
iiciunt, ſimile, quod regeri poſſit, in actionibus
voluntariis exemplum habent. Dantur praeter ea
actiones, quae aliquando cum, aliquando ſine men-
tis nutu fiunt, ut diaphragmatis in reſpiratione vo-
luntaria et ſingultu. Actiones autem animae ple-
rumque irritationi tam celeriter reſpondent, ut mox
ſubſequantur motus, quare non videtur anima de
hiſce conditionibus iudicare poſſe; ex qua difficulta-
te, ut ſeſe extricet Cl. Auctor, putat quidem, ſed
videant alii quo iure, animam eſſe tum rationalem,
p. 289. tum ſentientem, in eius modi vero caſibus animam
agere, ut ſentiens principium. Neque conſcientia
quidem requiritur, cum conſuetudo illam quaſi de-
leat, neque vis quaedam in corpore percipitur,
quod et illa in voluntariis actionibus diſtingui ne-
queat, neque ſub imperio animae hae actiones invo-
luntariae ſemper ſunt conſtitutae, quod continuus
ſtimulus agendi neceſſitatem inducit.

p. 328. De vitalibus, ſub ſomno adhuc continuatis, actio-
nibus opinionem fouet Cl. Auctor, ab aliis haud
leuibus oppugnatam iamiam argumentis, neruos ſci-
licet vitalium actionum a cerebello prouenire, quod
ſub ſomno non comprimitur. Et cum in tenebris
nos adhuc verſari in totum inficias ire non poſſit,
duplex neruorum ex cerebro cerebelloque genus ad
partem quandam deduci, ita tamen ab anima affici
poſſe credit, alterum ut agat, alterum vero non tur-
betur.

betur. Poſt mortem aliquando et in ſeparatis a cor- p. 243.
pore partibus motus ſupereſſe obſeruantur, quos
plerumque ab intrinſeca fabrica alii deriuant, quae
vero phaenomena, cum inſufficienti ratione decla-
rata eſſe videantur WHYTTIO noſtro, et hic ſtimu-
lum locum habere autumat, cuius vices vel ipſa
ſubeat exſectio vel aeris acceſſus. Immediata ergo
motus cauſa poſt mortem ſupereſt, a principii ſen-
tientis praeſentia dependens. Nam poſt mortem p. 369
et illam ſupereſſe, per reuiuiſcentia a calore inſecta
conſtare putat, eam tamen non diuidi, ſed, prout
Deus dicitur in *ubi* quodam eſſe ſine extenſione, ita
et animam indiuiſibilem praeſentem eſſe in hiſce par-
tibus, cum decollata animalia, v. c. teſtudines apud
REDVM, diu poſt mortem vixerint et pulſans cor p. 386
obtinuerint. Difficultates itaque omnes in ignoran-
tia, quae penes nos eſt, naturae quaerendas eſſe af-
firmat, quas vero, niſi fallimur, ita auxit, ut multo
minus dubius et iure quodam vacillans, aequus re-
rum arbiter ſeſe expedire nunc poſſit. Videmus ſa-
ne et hac ratione Cl. Auctorem ſuae nimis tribuen-
tem hypotheſi, cuncta ad eam detorſiſſe, cuius ſum-
ma capita paullo plenius adduxiſſe eo minus taedet,
quo magis et inde clarum eſt, quod in hypotheſium
auctoribus vituperari plerumque ſolet, ex phaeno-
menis concluſiones diiudicandas eſſe, non vero illa
ad has vi quaſi adigenda. Nulli tamen negamus, alio-
rum obſeruationibus feliciter ſatis uſum fuiſſe Aucto-
rem, variasque propoſuiſſe, ulteriori indagationi di-
gniſſimas.

IX.

Quaeſtio medica: An pharyngis muſculi ipſum dilatent conſtringantue? Praeſ. M. IOANNE BAPTISTA BOYER, M. D. Proponebat HONORATVS PETIOT. M. D. Monſpel. Pariſiis 1751. 4. pl. ½.

Muſculorum actionem ex fibrarum directione, partiumque, quibus adhaerent, mobilitate declarandam eſſe, nemo facile noſtro tempore ibit inficias. Huic inſiſtens legi Cl. Auctor, ex ſaepius diſquiſitis diſſectione pharyngis muſculis ſe cognouiſſe aſſerit, omnes, ad pharyngem accedentes, muſculos conſtrictioni, nullum dilatationi, inſeruire. Quapropter in tres claſſes illos diuidit, cum alii poſteriori, laterali alii pharyngis parti adhaereant, aut ab anteriore loco ad illum dimittantur, retentis iis, quae a Cl. WINSLOW impoſita iis fuerant, nominibus. In horum muſculorum praeter ea praeparatione, cum ob fibrarum inter ſe factum contextum difficilis illa ſit, membranam muſculorum ſollicite tollendam, leuiterque pharyngem coquendum, vel, goſſypio prius molli infarctum, in ſtigiatam immergendum eſſe aquam ſuadet. Quamuis autem breuiter hic cuncta et conciſe admodum ſint propoſita, liceat tamen notare, ſtylopharyngaeis muſculis, quos, WINSLOWI auctoritate commotus, conſtrictoribus accenſet, non improbabili forte ratione dilatandi poteſtatem eſſe adſcribendam, ut de ſphenoſalpingopharyngaeis nihil moneamus. Illorum enim pars ea, quae thyroideae inſeritur cartilagini, nec leuandi, nec dilatandi impedire poteſt facultatem, quod eo potiſſimum tempore, quando dilatandus in deglutitione pharynx eſt, larynx quoque cum oſſe hyoide ſurſum tollitur. Idque eo magis, ſi cephalopharyngaeus, de cuius tamen vera praeſentia recentiſſi-

mi dubitant anatomici, pharyngis poſteriorem retineat partem, prout et ipſe Cl. Auctor intellexiſſe, ſibique ipſi quodam modo repugnaſſe videtur, dum conſtrictores ALBINI ſuperiores conſtringendi vim §. 3. tunc demum exercere aſſumit, ſi a ſtylopharyngaeis et cephalopharyngaeis muſculis pharynx poſterius non retineatur. Nonne et conſtrictores omnes in ſublato pharynge ſuam ex directione exercere cupientes actionem, utut poſterius ſibi iuncti, lateralem quodam modo diducere poſſunt partem? Certe ſubſidente potius pharynge conſtringunt. Dilatantes autem, a Cl. Auctore adductae, vires vix ſuperandae conſtrictorum efficaciae pares ſunt; aequalis enim illa eſt, ni maior, actione alimentorum, in pharyngem agentium, et oſſis hyoidis, linguaeque, quae dilatant eundem, potentiis, quid, quod nobis etiam dubium eſſe videatur, num digaſtricus maxillae muſculus ad actionem hancce multum conferat.

X.

Quaeſtio medica: An noſtris in regionibus a potu glaciali abſtinendum? Praeſ. M. PETRO BERCHER, M. D. Proponebat PAVLVS LE ROY. Pariſiis 1751. 4. pl. ½.

Ex aliis hanc indicandam nobis ſumſimus Lutetiae Pariſiorum praeterito anno ventilatam diſſertationem, quo, breuiter de argumento illius dicentes, occaſionem nanciſcamur, peſſimam atque nociuam paenes noſtrates etiam obſeruandam conſuetudinem iterum iterumque iisdem diſſuadendi. Naturali certe corporis temperie frigidior per glaciem redditus potus ventriculi vires motrices valdopere infringit, et dum calorem eius naturalem imminuit, ipſam alimentorum diſſolutionem et fluidorum inquilinorum actionem impedit, hinc calidiſſimarum regionum in-

colis forte concedendus, nunquam vero a nobis in uſum trahendus, et ne aeſtiuo quidem tempore, in deliciis tunc potiſſimum habitus, aſſumendus eſt. Quae enim aeſtate debiliores iam ſunt ventriculi vires magis inde infringi neceſſe eſt. Grauiſſima mala inde oriuntur, ſi iam imbecilliori tunc temporis ventriculo et multis variisque, ex ingluuie, alimentis repleto inter commeſſationes, ut moris eſt, frigidior potus infunditur. Ipſum praeter ea ſanguinem corporisque humores coagulare poſſe eius modi potum, aſſerit Auctor, *quod frigore ex iis extrudatur et auolet coeleſtis materia, ipſiusque imminuatur motus, quo fluidi moleculas agitat et voluit*, ſeu, quod idem nobis eſſe videtur, calor naturalis eorum pereat, hinc craſſiores et viſcidae ſanguinis partes coadunatae ſpiſſeſcant. Teſtantur obſeruationum medicarum ſcriptores, quam atroces morbi ex potus niuati uſu prouenerint, inter quos, praeter ſubitaneam mortem, ſyncopen, colicos, aliosque ſpasmodicos affectus, faucium laeſiones neruoſique generis paſſiones in uniuerſum notaſſe ſufficit. Licet vero veterum, inter quos etiam HIPPOCRATES atque GALENVS eſt, et recentiorum non nulli niuem glaciemque potui aeque ac cibis refrigerandis adhibuerint, ad regiones tamen calidiores robuſtumque corporis habitum reſpiciendum eſt. Pueri certe ſenes atque mulieres aegre plerumque ferunt ſic praeparata alimenta. Ipſi praeter ea iuuenes habent cur ſibi caueant, ne progrediente aetate ipſorum articuli, nerui et viſcera morbis abinde afficiantur, vix aut nunquam ſanandis. Praeter aquam, e puteis profundis hauſtam, cum vino e cellis ſubterraneis depromto remixtam, ſi aeſtus et ſitis urget auctor RIVERII * conſilium laudat, qui lagenas, potulentis repletas, in puteos profundos demittere ſuadet, ita tamen,

* Inſtit. medic. lib. IV. c. 24.

tamen, ut illae aquam ipſam non attingant. Aerem enim aquae vicinum, ob frigiditatem ab illa contractam, liquorem magis penetrare et intimius quam aqua, potentiusque ſuſpenſas lagenas refrigerare, ventriculi praeter ea efficaciam a potu ſic praeparato non laedi ſtatuit, quod ultimum tamen, num iure quodam aſſumi poſſit, nos dubitamus.

XI.

Quaeſtio medica: an ſex rerum non naturalium effectus ad quatuor praecipua reduci poſſint capita? Praeſ. M. ANDREA CANTWEL D. M. Proponebat HONORATVS PETIOT, D. M. Monſpelienſis. Pariſiis 1751. 4. mai. pl. 1.

Res illae, quae proximam quidem corporis compoſitionem non ingrediuntur, ita tamen neceſſariae ſunt, ut ſine iis homo viuere non poſſit, non naturales dicuntur. Harum rerum ope ſanum ſe conſeruat homo, abuſu aegrotat, uſu debito morbos auertit, eosdemque praeſentes profligat. Et ab abuſu quidem ad veram eas adhibendi methodum colligit Auctor, et effectus praeternaturales, ab iis prouenientes, ad quatuor ſequentia reducit capita; nimiam primo fluidorum inſpiſſationem, partium deinde fluida componentium malam mixtionem, et exſuperantiam ſeri cum notabili vaſorum laxitate, fluidorum porro ſiccitatem cum aliquali acrimonia et nimia vaſorum tenſione, humorum tandem acrimoniam cum aliquali ut plurimum eorundem inſpiſſatione. Secundum has claſſes de aere, cibo et potu, motu et quiete, ſomno et vigilia, animi pathematibus, tandemque de excretis et retentis breuiter et ita differit Auctor, et eorundem inſalubres, quos edunt, effectus recenſet, ut aerem humidum, aſſumta viſcoſa, diluentia, frigida, nimiam quietem, longio-

rem ſomnum, ſeroſa excreta parciora, vel uberiora ſanguinea et languida animi pathemata, duarum priorum claſſium effectus cauſari, contrarias vero harum rerum affectiones, reliquas duas indicatorum effectuum ſpecies producere, oſtendat. Dictis porro de varia combinatione et agendi modo rerum non naturalium ſequentes ſubnectit regulas: Si omnes illae, quae unum eundemque edunt effectum, ſimul agunt, eadem, et celerior illa in corpore obſeruatur mutatio, ſi numero minores concurrunt, tardius ſequitur effectus: Inter ſex res non naturales ad effectum producendum ſufficit una, licet aliae quinque non peccauerint: Res non naturales, non in eundem ſemper combinantur ordinem, ſed in diuerſum ſaepe et contrarium, unde multiplex effectus a varia proportione rerum concurrentium determinatur, hinc harum cauſarum effectus per earundem oppoſitum et contrarium deſtrui poteſt, immo non deſtrui tantum, ſed ex continuato rerum non naturalium determinato quodam uſu contrarius produci poteſt, ut v. c. poſt ſuperatam ſeri abundantiam et laxitatem vaſorum, ſiccitas fluidorum et ſolidorum tenſio ſequatur. Quatuor illa plerumque ſtabilita ſumma temperamentorum genera cum dictis de effectibus rerum non naturalium congruunt ita, ut efformatio atque mutatio eorum intelligi inde et explicari poſſit. Ex abuſu rerum non naturalium praeparatur et fit cauſa morbi continens, quae ex uſu earum mitigatur, debilitatur, deſtruitur. Quoties cunque non urget morbus per hygienem magis, quae naturalis tuta et fere ſemper certa eſt, quam per remedia, quae artificialia, dubia ſunt atque incerta, inſtituenda eſt curatio. Omnium optime etiam de morbi cauſa continente iudicabit, feliciterque in diagnoſi aeque ac prognoſi formanda verſabitur medicus, ſi aeger, quem fecerit rerum non naturalium uſum, disquirit.

XII.

XII.

Obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca, from the year 1744 to 1749. To which is prefixed a ſhort account of the climate, productions, inhabitants, and endemial diſtempers of that Island. By GEORGE CLEGHORN, Surgeon to Brigadier General Offarrell's Regiment. London. Printed for D. Wilſon. 1751. 8 mai. pl. 19.

i. e.

Obſeruationes de morbis epidemicis in Minorca, cum breui commentario de climate huius inſulae, de rebus naturalibus in ea productis, eius incolis, atque morbis in ea endemiis.

Eo maiori omnino iure libri huius, optime conſcripti, rationem lectoribus noſtris dandam eſſe putamus, quo minus commodam huc uſque habuimus occaſionem, inſtituti cuiusdam valde utilis omnique laude digni, quod chirurgorum, in Angliae Regis claſſe artem ſuam exercentium, ſocietas ante hos duos annos ſuſcepit, mentionem in commentariis noſtris faciendi. Notum illud fecit haec ſocietas in ſchedula eam ob cauſam anno 1750 publica facta, * ut conſtaret, quemnam ſibi finem propoſuerit. Ex ſuis nimirum ſeptendecim elegit ſocios, qui concionem priuatam conſtituant, quibus illa in mandatis dedit, ut commentarios, obſeruationes atque caſus ad medicinam, chirurgiam, anatomiam, oeconomiam animalem, pharmaciam, chemiam, botanicam atque hiſtoriam naturalem pertinentes, a quocunque demum auctore proueniant, ſiue ſocieta-

* Vid. ea de re Diarium Britannicum, (Iournal Britannique) Auctore Cl. MATY. Menſ. Octob. 1750.

tis membrum ſit, nec ne, colligant, examinent, eorumque, quae vere utilia ſunt, delectum adhibeant, ne, quae ſocietati traduntur, in nimis magna, ſi typis exprimi deberent omnia, excreſcant volumina, quae ſuo tempore, quando nimirum materiei ad unum in forma octaua edendum volumen ſufficiens copia aderit, publica faciet ſocietas. Cum chirurgi vero, qui in Regis nauibus merentur, prae aliis multiplici obſeruationes faciendi gaudeant opportunitate, haec iis quoque ſingulariter commendatur, ut in uſus ſuos eam vertant, ideoque morbos obſeruent, quatenus diuerſitas loci, maris atque terrae, faciem eorum mutent; quosnam effectus edant remedia, contra eos in mari adhibita; quosnam praecipuae operationes chirurgicae in mari habeant ſucceſſus, ut obſeruent effectus, quos aer maris atmoſphaericus, et diaeta a nautis in variis morbis ſeruata, producant, ut, ſi quando ſe in aliquem portum recipiant, ex incolis illius loci ſciſcitentur, quinam morbi in eo ſint endemii, et quinam eorum ibi ſint effectus, et quanam medici indigenae contra eos utantur medendi methodo, aut quibusnam remediis in iis quoque locis, ubi ars medendi non excolitur, incolae ſeipſos contra morborum vim iuuent; ut cuiuslibet regionis, in quam iter faciunt, hiſtoriam naturalem explorent, eius temperiem, animalia, foſſilia, in primis quorum uſus aliquis eſſe poſſit in arte medica, ſedulo notent, variorum, qua ibi praeparantur, rationem indagent, et omnibus, quae iis in locis inueniuntur, colligendis ſtudeant. Quodlibet ſocietatis membrum ante, quam nauem conſcendat, priuatae illi concioni iter ſuum renunciabit, ab eaque, quid ipſi nunc agendum ſit, accipiet. Quae vero ſocietati mittuntur ſcripta, nomen ſimul auctoris, qui quidem, id ſi is poſtulauerit, publice haud nominabitur, atque locum domicilii continere debent, ut, ſi quid in iis a priuata illa

concio-

concione deprehenſum fuerit mancum, aut ulteriore probatione egens, ad illum remitti, et, quae adhuc deſiderantur, ab ipſo ſuppleri queant. Omni quoque anno nummus aureus ei donabitur dono, cuius commentarius prae aliis utilis eſſe ab illa iam dicta concione priuata iudicatus fuit. En illius inſtituti rationem, quod inſignes nobis fructus promittit. Ex eorum primis nunc quoque praeſens Cl. CLEGHORNII liber eſſe videtur, cuius quidem materies ante iam, quam illud a nobis enarratum inſtitutum notum factum fuit, ab Auctore collecta fuerat, ita tamen deinde ab ipſo diſpoſita, ut ſocietatis chirurgorum regiae claſſis, cui etiam dicatus eſt liber, recenſitis finibus apprime reſpondeat. Poſt breue enim tempus, cum in inſula illa Minorca degeret, intelligebat, quam valde ſaepius illi morbi, qui prae aliis in iis regionibus ſaeuiunt, ab iis, qui in Anglia obſeruantur, differrent, et quantum utilitatis inde capi poſſet, ſi quis iam medicorum eos obſeruaſſet atque deſcripſiſſet. Qua re commotus, ut et in genere rei publicae commodis, et in primis quoque iis medicis, qui poſt ipſum in illa inſula artem ſuam olim exercebunt, inſeruiret, ab an. 1743 omni ſtudio, omnique fide ephemerides conſcripſit, in quibus aeris tempeſtates, eiusque per annum viciſſitudines, et quos hae produxerant morbos ad annum uſque 1749, in quo de inſula diſcedere iuſſus fuit, ſedulo annotauit. Introductionem igitur, p. 1-77, quae naturalem huius inſulae hiſtoriam continet, diarium illud ſequitur, quod tempeſtatum per ſex modo dictos annos quotidie obſeruatam varietatem, p. 79-118, ſatis accurate deſcribit, adiecta tabula, quae ſummam, infimam, et quae inter hanc utramque media eſt, mercurii in barometro ſingulis menſibus notatam altitudinem indicat: excipit eam breuis commentarius de ortu et progreſſu morborum epidemicorum, per idem temporis ſpatium cum aeris

 ris

ris viciſſitudinibus ſimul animaduerſorum p. 120-
134; et denique de morbis quibusdam in ſpecie agit,
ſuasque de iis ſubnectit obſeruationes p. 135. ad finem
uſque. Sunt illi febres tertianae, omnium morbo-
rum, qui graſſantur ibi, frequentiſſimi et ſingula-
res, quarum febrium quoque deſcribendarum cauſa
totum ſe conſcripſiſſe librum ait, porro febris exan-
thematicae et herpetis ſpecies, cholera, dyſenteria,
pleuritis et denique variolae. Ex hac vero larga
rerum, quas memoratu dignas in hoc libro inueni-
mus, copia lectoribus noſtris aliqua tantum com-
p. 2. municare licet. Aer in hac inſula illo, qui in An-
glia inſpiratur, clarior atque purior eſt, in profun-
dioribus autem locis nebuloſus, qualis etiam in tota
inſula eſſe obſeruatur, quando venti, trans mare
vecti, huius exhalationes apportant, quare etiam
utenſilia, ex metallo parata, ferrugini, et reliqua
ſupellectilia ſitui valde ſunt obnoxia. Sicca, ſerena
et feruida aeſtatis ſolet eſſe tempeſtas, autumni hu-
mida, calida et vehementer inconſtans, hiemis pro-
celloſa quidem, ſed paulo poſt iterum ſerena, ve-
ris autem reliquo anni tempore magis incerta et
p. 3. commutata. Caloris atque frigoris nec repentinae,
neque admodum inſignes ſunt mutationes, et per
totum anni decurſum raro ſupra octogeſimum ther-
mometri Fahrenheitiani, niſi aeri id prorſus libero
exponatur, gradum aſcendit mercurius, et perraro
quoque infra quadrageſimum octauum deſcendit:
nec in diebus quidem, canicularibus dictis, ſanguinis
humani calorem ſuperare facile ſolet aer ille atmo-
p. 5. ſphaericus. Boreales venti, quippe qui frigidi ſunt
atque ſicci, nebulas diſpellunt, coelo inde ſereno
facto, qui vero ex oppoſita plaga exoriuntur, aerem
faciunt humidum, calidum et ſanitati infenſum; illi
reliquis ſunt frequentiores atque vehementiores, hinc
arborum apices verſus meridiem ſe inclinant, ea-
rumque rami, ſeptentrionem reſpicientes, nudi ſunt

et

et quaſi exuſti: ſub finem hiemis et per veris tempus
maxime illi flant, ſaepe vero vegetabilium folia cor-
rugant, earumque germina deſtruunt, viti et fru-
mento prae aliis nociui. Superficies inſulae ma- p. 10.
gnam partem aſpera eſt et inaequalis, vallibus ſatis
altis diuiſa, in quibus multa quidem ſtagna, pauci
vero riuuli, inueniuntur. Solum eſt exile, ma- p. 11.
crum, ſabuloſum, cum magna parte ſalis marini et
nitri calcarii remixtum. In plurimis locis tam pa-
rum humi reperitur, ut lata modo atque irregularis
rupes eſſe videatur inſula, nihilo tamen minus illud
ipſum ſolum vitibus admodum eſt aptum, atque tri-
tici et hordei maiorem fert copiam, ac credere ali-
quis poſſit, eaque ſuſtentandis incolis ſufficeret, niſi
ventoſum ſaepius, tumultuoſumque coelum, terrae-
que ariditas frumentis nocerent. Quando vites ſe- p. 12.
runt incolae, veterum illam adhuc ſeruant conſuetu-
dinem, ut cuique traduci imponant lapidem, tum
ut ſolis aeſtum arceant, ideoque ne hiulca findantur
arua, tum quoque, ne imbres effuſi abluant hu-
mum. Vuas calcatas ante, quam prelo premantur, p. 13.
puluere alabaſtritae conſpergunt, ut vinum elegantius
rubrum colorem adquirat. Iam olim huius inſula
vina aliis praetulit PLINIVS,* et nunc eiusdem quo-
que ea forent bonitatis, ſi maiorem curam adhibe-
rent incolae, nec quantitati nimis ſtuderent; quod
autem hoc tempore conficitur, facile aceſcit, ideo-
que abhinc aliquot annis dyſenteriae frequentius in
hac ora ſaeuientis cauſa fuit. Multus tum eſt Cl.
Auctor in enarranda illa ſatis laeta largaque vegetabi-
lium, piſcium, auiumque, in hac inſula creſcen-
tium atque viuentium, copia, quam tamen iam
enarrare nimis longum eſſet. Fructibus, quos opun- p. 19.
tia ferunt, veſcuntur, iisque menſe in primis Se-
ptembri numeroſae ſe ſuſtinent familiae, ex ipſis
vere

* Hiſt. nat. Lib. XIV. c. 6.

vero opuntiorum ſpinoſis foliis ſepem praetendunt
p. 263. ſuis hortis. Eademque quoque folia, diſſecta, et in
fornace aliquo modo toſta, loco cataplaſmatum emol-
lientium atque anodynorum in pleuritide dolenti la-
teri applicata, inque morbis aliis inflammatoriis, qui-
bus dolores iunguntur, omnium optimi eſſe uſus af-
p. 28. firmat Cl. Auctor. Plantae illae, phytolaccae, ialap-
pa flore purpureo, granadilla, ricinus et aloe olim
quidem fuerunt exoticae, nunc vero indigenae factae
ſponte creſcunt, aloem ſingulari ſtudio colunt ruſti-
cani, qua quidem ad recentia vulnera utuntur.
Inſignis plantarum aromaticarum, quae in hoc ſolo
luxuriant, prouentus aerem fragrantiſſimo odore re-
p. 37. plet. Ex lentiſci baccis oleum exprimitur non in
uſum ſolum lampadis, ſed ut pauperes quoque illud
ad ſubaſſandos piſces adhibeant, panis recens cocti
aliqua particula ante in illud immiſſa, ne nimis ad-
ſtringat. Foliis myrti perficitur corium, iisque ni-
ger quoque color efficitur, quo veſtes inficiuntur:
p. 39. atro enim colore delectantur incolae. Singulari Dei
prouidentia factum eſſe videtur, ut inſula haec ſaxo-
ſa tam copioſam plantarum arborumque umbrifera-
rum ſemper virentium, nec unquam in excelſitatem
naſcentium, ideoque climatis huius naturae apprime
p. 51. conuenientium, gerat multitudinem. Licet incola-
rum opulentiorum menſa ſatis larga animalium
delicatorum, quae apponuntur, copia ſit exſtructa,
eorumque magnum in hac inſula penus ſit, paupe-
res tamen cochleis, quas Romani olim appellabant
cauaticas, contenti eſſe debent, quibus per aliquod
tempus, ut ſaporem mutent, domi ſeruatis et dein-
de coctis, veſcuntur. Quando tempeſtas arida fit,
atque ſicca, latebras illae quaerunt, et ſub terrae ri-
mas atque rupium ſubrepunt, uuae modo inter ſe
cohaerentes, illa vero pluuioſa facta, pabuli auidae
redeunt, in vitis ſurculis, atque asphodeli aliarum-
que plantarum caulibus reperiundae: PLINIVS ita-

que

que errauit, quando illas e cauis terrae non prorepe-
re dixit.* Homines huius inſulae indigenae maxi- p. 52.
mam partem tenui quidem et macilento corporis ha-
bitu ſunt, ſed fortes, agiles, et corpore bene con-
formato, in iuuenili aetate ſanguinei aut cholerici
temperamenti, atrabilarii autem, ſi aetate facti fue-
rint prouectiores: in iram atque venerem valde ſunt
procliues, aetatis ſuae maturitatem haud ſero quidem
attingunt, ſed cito quoque ſeneſcunt, vegetabili vi-
ctu, praeſertim ex herbis leguminoſis parato, ani-
mali vero minus frequenter, utuntur: olea et aro-
mata valde habent in deliciis: ſpirituoſis liquoribus
ſimul facile abutuntur; aquam vel ex ciſternis hau-
ſtam inpuram, limoſam, vel ex fontibus ſalſam at-
que duram bibere coacti. Facile ex iam dictis nunc p. 65.
coniici poterit, quinam in hac inſula morbi eſſe
queant endemii, ſiue ſint epidemici, ſiue ſporadici.
Ad illos pertinent febres exanthematicae, tertianae
intermittentes, continuae in primis, quae pectus oc-
cupant, catarrhi; ad hos vero viſcerum abdominis
obſtructio, haemorrhoides, ulcera crurum, herniae,
ophthalmiae, et nephritis. Febres acutae frequen- p. 67.
tius occurrunt, ac in Anglia, ſunt quoque vehemen-
tiores, ſed duratione breuiores, manifeſtis ſaepe
criſibus ſe finientes, omnique reſpectu illis ſimiles,
quas veteres deſcripſere, id quod ſine dubio a ſimi-
litudine coeli, Minorcam inter et Graeciam, proue-
nire videtur. Quod Romae obſeruauit BAGLIVIVS, p. 70.
in hac etiam valet inſula, quod vulnera nimirum et
ulcera crurum curatu ſint difficillima, capitis contra
vulneribus facilem curationem recipientibus; cuius
rei cauſam eſſe humorem atrabilarium, inferiora cor-
poris petentem, Cl. Auctor autumat. Morbus, in p. 73.
aliis regionibus rarus, in hac non infrequens eſſe
ſolet, ferox nimirum mandibulae inferioris infan-

tum,

* Hiſt. nat. Lib. VIII. c. 39.

tum, recens natorum, qui nonum ſcilicet aetatis
ſuae diem nondum attigerunt, conuulſio, ſaepiſſime
p. 121. ipſis fatalis. Febres tertianae, menſe Iulio 1744
ſaeuientes, pro contagioſis non nunquam habendas
fuiſſe, Cl. Auctor ex eo aſſerit, quod eos, qui inter
tales aegros verſati fuere, prae aliis hoc morbo cor-
p. 123. reptos fuiſſe obſeruauerit. Inter choleram, dyſen-
teriam et febrem tertianam eodem anno certus ali-
quis fuit conſenſus, ita ut unus morbus facile fue-
rit in alterum mutatus, priores quoque non nun-
quam ſuas habuere acceſſiones, uti febres intermit-
tentes, harumque indolem ſaepius ab initio ſimula-
runt. Dum ipſas febres intermittentes exponit Cl.
Auctor, variis earum ſpeciebus, ſecundum paroxyſmo-
rum violentiam et ſymptomatum varietatem enume-
p. 149. ratis, notat, quod illae, licet ſaepius quidem muta-
ri videantur, aliam aliamque et periodorum et ſym-
ptomatum faciem gerant, regimine quoque plane
diuerſo, a diuerſis aegris obſeruato, certum tamen
aliquem ordinem ſeruent, ideoque eius rei demon-
ſtrent veritatem, quod natura, certo alicui fini in-
tenta haud facile, nec aliqua leui cauſa externa, ab
p. 151. eo declinet. Febre ad ἀκμὴν perducta, id quod ter-
tia, quarta, quintaue non nunquam periodo accidit,
frigus aut ceſſare, aut ſaltem minui, ſaepius ſoli-
tum eſt, eiusque loco ipſis paroxyſmis longioribus
factis, atrocia ſaepe ſymptomata ingreſſa fuere, nul-
p. 153. la fere integritate ſecuta. Sunt ex auctoribus, qui
exiſtiment, paroxyſmos anticipantes, ſeu iuſto ci-
tius reuertentes, mala quaeuis portendere, eos ve-
ro, qui tardius regrediuntur, bona dare ſigna, ſed
contrarium ſaepius ſe obſeruaſſe ait Cl. Auctor, et in
illo caſu naturae vires, in hoc vero infirmitatem
eius indicari. In genere notare licet, quod deſcri-
ptio ſymptomatum nos doceat, has febres, quas ob-
ſeruauit Auctor, a continuis aut ſaltem remittentibus
non raro fuiſſe propiores, aut in tales facile mutari
potuiſſe,

potuiſſe, ideoque clarum fieri, cur ad dies criticos, p. 154.
pares aut impares, in primis reſpiciendum fuerit.
Obſeruauit praeſertim Cl. Auctor, quod aegri tum p. 160.
temporis potiſſimum in periculo fuerint, quando in
diebus paribus vehementia febris aucta fuit, paucae
ſanguinis guttulae e naribus ſtillarunt, materie atra
per os aut per aluum eiecta, urina obſcura et valde
olens, et cutis ictericii coloris facta fuit, proxime
tum ſequens paroxyſmus omnium vehementiſſimus
aegris ut plurimum vitam eripuit. Ab initio horum
morborum ſcire conuenit, quanam febre laboret
aeger, ut tempeſtiuo tempore parari medicina et fu-
neſtus euentus praeueniri queat. Omnibus igitur,
quae regimen, victum, potum, et reliqua, ad cu-
ram aegri pertinentia, concernunt, iuſte perpenſis,
ſuaque de iis omnibus ſententia lata, poſt uſum le-
nioris cathartici praemiſſum, ſi febris quinto die
ſolito longius duret, aut perniciosis comitata ſit ſym- p. 188.
ptomatibus, et praeſertim aeger langueſcat, omnibus
aliis remediis corticem Peruuianum Cl. Auctor prae-
fert, eumque vel primo tempore cum remediis la-
xantibus commiſtum, vel ſi proximo paroxyſmo ob
vires proſtratas vitae periculum inſtat, ſolum aut
cum analepticis, vino in primis, propinare iubet.
Obuenere non nunquam caſus, in quibus iam poſt p. 196.
alteram febris periodum aegris illum dare coactus
fuit. Ex capite de pleuritide illud tantum adhuc no- p. 249.
temus, quod multa hoc morbo demortuorum cada-
uera diſſecando, abſceſſus ſaepius vel in pulmoni-
bus, vel eos inter et pleuram, vel inter mediaſtini
membranas inuenerit Cl. Auctor, materie, quam con-
tinebant, purulenta vel ichoroſa potius dicenda,
ſaepius effuſa, ſimulque externam, uti primo adſpe-
ctu videbatur, pulmonum membranam atque pleu-
ram denſam factam, et in albam, ſeui inſtar coagula-
ti, cruſtam conuerſam. Hanc vero nunc cruſtam
non pro mutata pleura aut membrana pulmonum,

ſed

ſed pro ſubſtantia praeternaturali, a fluidis per has membranas exſudantibus, et a pulmonum motu in membranae formam mutata, habendam eſſe, ideoque Ill. HALLERI * opinionem confirmari putat, quod, in genere dicendo, adhaeſiones illae membranaceae, pulmones inter et pleuram non raro reperiundae, a coagulato illo vapore oriantur, quem vaſa harum partium exhalant. Ab alio etiam viro experientiſſimo accepit, quod hic in iis omnibus, qui interna deceſſerunt inflammatione, cauitatum et viſcerum ſuperficiem denſa cinerei et ſublutei coloris cruſta variae conſiſtentiae, ab illa nimirum muci uſque ad eam lamellarum, obductam inuenerit, quae eſchara, deinde maceratione, a naturali illa et ſana, quam tegebat, membrana, ſeparari potuit. Sufficiant haec, quae excerpſimus. Perlegiſſe hunc librum nos non poenitet, quippe qui ita conſcriptus eſt, ut honori omnino cedat Cl. Auctori, et de aſſidua eius veterum aeque ac recentiorum optimae notae auctorum lectione, ſolidaque rerum ad artem medicam pertinentium cognitione, et ſingulari candore, teſtetur.

XIII.

Obſervations on the inhabitants, climate, ſoil, rivers, productions, animals, and other matters worthy of notice, made by Mr. IOHN BARTRAM, in his travels from Penſilvania to Onondago, Oswego and the lake Ontario in Canada. To which is annex'd a curious account of the Cataracts at Niagara by Mr. PETER KALM, a Swediſh Gentleman who travelled there, London. Printed for I. Whiſton and B. White, 1751. 8 mai. pag. 94. tab. aen. 1.

Hoc

* Prim. lin. phyſiolog. n. 262.

Hoc eſt:

Obſeruationes de incolis, climate, ſolo, riuis, productis, animalibus, aliisque rebus memoratu dignis in itinere, ex Penſiluania in aliquas prouincias, in Canada ſitas, ſuſcepto, factae; quibus cataractae prope a Niagara adiecta eſt deſcriptio.

Cum nouem abhinc annis Illuſtris WEISAR, qui prouinciae Penſiluaniae praefectus eſt, iter in aliquot prouincias Canadenſes ſuſciperet, inter alios ipſi quoque comes fuit Nobiliſſimus BARTRAM, in quo itinere is non ea ſolum annotauit, quae ipſi ſingulis diebus obuenere, ſed exactam ſimul regionis illius partis, per quam profectus eſt, deſcriptionem quoad clima, ſolum, et quae illud fert, vegetabilium, tum plantarum proprie ſic dictarum, tum arborum ſatis in hac terrarum parte laetum atque copioſum prouentum, concinnauit. Itaque ſi dicendum, quod res eſt, totus liber nihil aliud eſt, quam diarium de hoc tantum itinere confectum, ex quo Angli in primis utilitatem capere, earumque prouinciarum talem acquirere poſſunt notitiam, quae ipſos doceat, quomodo illas colere, ibique colonias conſtituere, atque ex iis inſignes reportare fructus, ſuaque negotia amplificare queant. In hunc omnino finem legi merentur hae obſeruationes, quippe quae de Auctoris fide, attentione, et laude digna rerum inueſtigandarum cupidine, teſtantur. Cum ipſe vero non ex eruditorum ordine ſit, nec doctam et ſyſtematicam rerum, quas deſcribit, cognitionem habuerit, uti ex praefatione, quam editor praemiſit libro, intelligimus, plura etiam atque maiora, quam praeſtitit, ab ipſo expectari nequeunt. Quod igitur pro ſcopo noſtro ex hoc libro excerpendum ſit, parum vel nihil inuenimus. Annexae ſunt illi literae,

quas Cl. KALM, Suecus, ad amicum dedit, in quibus ſingularem illam, geographis non incognitam, cataractam fluminis Niagara dicti ad caſtellum eiusdem nominis, quod ſub Gallorum iam eſt imperio, in Canada fluentis, accurate deſcribit. Praecipitium, ex quo flumen illud deiicitur atque ruit, ſtupendum eſſe dicitur, veraque cataractae altitudo, de qua inter geographos huc uſque diſputatum fuit, 137 pedum eſſe confirmatur. Elucet vel ex hac, quam dedit Cl. KALM, deſcriptione ſingularis eius candor et veritatis amor, eiusque ad res naturales rite obſeruandas dexteritas, ut merito optemus, velit ille itineris ſui, quod per Americae regiones fecit, deſcriptionem exarare, et in publicos uſus edere. Perrarum enim eſt, itineraria legere, quae ita ſunt conſcripta, ut de fide et ſufficiente rerum, quas deſcribunt, cognitione, iuſtaque attentione auctorum certi eſſe queamus, quippe qui nimis ſaepe in id proni ſunt, ut vel ſingula, quae ipſis obueniunt, memorata digna ſint, nec ne, corradere, aut certo quodam inaudita narrandi pruritu ducti, res aliter, ac naturae et veritati conueniunt, deſcribere non erubeſcant.

XIV.

PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI, Med. D. eiusdemque et Anat. Prof. in Acad. Fridericiana Publ. Ord. Inſtitutiones oſteologicae, in uſum praelectionum academicarum, cum iconibus academicis. Halae ex officina libraria Rengeriana. 1751. 8. 1 alph. pl. 4. tab. aen. 4.

Nihil fere eſt in corpore animali tam ſubtile, tam reconditum, quin huc uſque ſolertium naturae indagatorum animos occupauerit manusque. Vt circa

ca oſſium ſubſiſtamus conſiderationem, ad quorum contemplationem Cl. BOEHMERI nos ducit tractatio, potuitne WINSLOWIO ſubtilius, ALBINO accuratius de iis dici? Nihilo tamen minus varia in eorum expoſitione adhuc relicta eſſe obſeruamus, quae, dum cognitu maxime neceſſaria attendimus ad momenta, faciliori proponi debeant poſſintque ratione, id, quod pro eo, quem ſibi praefixum habebat, iuuentuti inſeruiendi ſtudioſae, ſcopo, feliciter et probaſſe et executus eſſe videtur Cl. Auctor. Sceleti ergo daturus expoſitionem, parum refert, num vera habuerint ſceleta, an imagines mortuorum hocce compellauerint nomine, Aegyptii veteresque Graeci, licet genuini, qua utimur, ſceleti ſignificatio poſt Alexandri M. demum tempora enata eſſe videatur. In phyſica namque illius deſcriptione diuerſa occurrunt momenta, quae ad varias plerumque medicas ſcientias referri ſolent, quare illas coniunctim et in ordinem redactas propoſiturus Cl. Auctor, praeter ea, quae oſteogenia docet, anatomicas, phyſiologicas, pathologicasque contemplationes inſtituit. In ſingulorum autem oſſium expoſitione ita verſatus eſt, ut a generatione eorundem ſeu oriendi modo incipiendo, ad omnes in figura, ſuperficieque notandas progrediatur notas, coniunctionem eorum doceat, muſculorum adhaeſiones ſollicite animaduertat, naturalem tandem praeternaturalemque illorum ſtatum adducat, ſimulque obſeruationes practicas, in chirurgicis potiſſimum operationibus utiles, adiungat. De ſingulis autem hiſce, cum nec noſtri inſtituti requirat, nec patiatur, ratio, fuſe ut dicamus, liceat in uniuerſum capitum adduxiſſe ſummam, et, quae ſingularia ſunt vel noua, deinde ſubiunxiſſe. Inſtitutiones itaque hae ſex complectuntur capita, quorum primum notitiam tradit et modum generationis oſſium corporis humani in genere, alterum differentias ſceleti perfecti virilis et feminini, nec non capitis

 ſceleti

ſceleti expoſitionem continet, tertium truncum ſceleti, quartum vero extremitates ſuperiores, et quintum deinde extremitates inferiores conſiderat, cui tandem in ſexto articulationum hiſtoria atque diuiſio
p. 4. adnectitur. Oſſa partes cum ſint firmiſſimae, albicantes, ſenſus expertes, variis ex lamellis compoſitae, et ex perreptantibus hinc inde neruulis vaſculisque, duo eorum genera facit, aliud perfectorum, imperfectorum alterum. Ad haec referuntur cartilagines, quas ex particulis terreſtribus, oblongis, politis, interiectis cellulis diuerſis, conflari aſſerit Auctor. Quae certe diſtinctionis nota et concedenda ipſi eſſet, cum cartilagines aliquando, ut imperfecta iuniorum oſſa cum aetate perfectorum oſſium naturam indipiſci conſtet, niſi illae forte, quae articulares oſſium ſuperficies incruſtant, cartilagines vix in oſſeam degenerantes indolem exceptionem facere
p. 11. viderentur. Oſſium autem natura ab initio fluida eſt, fluiditate in gelatinoſo conſiſtente principio, cum teneros admodum unius vel duorum menſium foetus totos in aqua ſoluere potuerit Cl. BOEHMERVS. In
p. 14. principio vero oſſa ex ſquamis conſtant atque lamellis, quibus deinde affunditur peculiaris ſuccus gypſeus, vel mucus, terreſtribus ſcatens moleculis, diſtantes a ſe inuicem partes firmius nectens iungensque, ut hanc generandi oſſa rationem et vegetabilium petrificationem quaedam intercedat analogia.
p. 17. Exiſtunt autem hae particulae in liquido animali, huc adducendae demum conuenientesque apponen-
p. 21. dae. Impoſitae tamen ſibi oſſium laminae arcte admodum inuicem cohaerent, ut opus non ſit, a GAGLIARDO fictis et arte tantum praeparatis, clauiculis, in primis, cum ex compoſitionis ratione harum lamellarum diſcrepantiae ſufficienter queant intelligi.
p. 26. Nutriri haec oſſa affluxu ſucci medulloſi et nutritii per poros, eius in morbis defectus vel incongruae
p. 29. qualitates demonſtrant. Succus vero medulloſus,

qui

qui ob interiectas oleoſas particulas fluidior eſt et inter tabulas oſſium continetur, diſtingui debet a medulla conſiſtente, in cauis haerente, quae ſebaceae magis eſt naturae, nec non induratum principium ſulphureum a coniunctione particularum ſalinarum fixum ſiſtit. Perioſtium, quae omnia circumuoluit oſſa, membrana, a dura partim matre, partim a tendinum filamentis, partim ab ingredientibus, in rete intricatis, arteriis originem ſumit, id quod in capite diſtincte quidem demonſtrari poteſt, in remotis ab hoc partibus vero per durae matris productiones euincitur, in quibus praeter ea tendines ligamentaque acceſſiones praebent. Ipſa porro oſſa, hinc inde producta, apophyſes conſtituunt, in veras ſpuriasque diſtinguendas. Verae ſiſtunt excreſcentias ex oſſe enatas, intus celluloſas, ſpuriae vero tandem ipſis cum oſſibus coaleſcunt, et per indentationem quidem illis iunguntur. In ſpecialiori poſt ea oſſium conſideratione, frontales muſculos fixam in oſſe frontis habere ſedem quidem monet, illum tamen, quo ſub eo orbicularibusque palpebrarum conſtituuntur corrugatores ſuperciliorum muſculi, locum non indigitatum fuiſſe animaduertimus. Prout etiam foueas, in poſteriori oſſium verticis parte conſpicuas, glandularum eſſe receptaculum dubitamus. Styloidea oſſis temporum epiphyſis primo tympano ſubiacet, antrorſum directa, tertio demum menſe, in medio albicans oſſificationis punctum oſtendens, pro ſucceſſiua deinde meatus auditorii externi formatione in lineam erigitur perpendicularem. In eodem oſſe tympani membranam ex quatuor componi lamellis cenſet, tribus nimirum externis, unica interna, a cuticula, cute, perioſtio interno atque externo continuatis; illud enim, quod his omnibus in fetu additur, integumentum, mucoſa plerumque membrana dictum, a liquore prouenit amnii gelatinoſo et concreto. Orbiculare autem, incudi adhaerens,

p. 32. p. 40. p. 57. p. 62. p. 80. p. 84. p. 95.

rens, oſſiculum ob duplicem, quae illud ſtapedemque intercedit, articulationem, ligamentumque capſulare verum et ſeparatum oſſiculum conſtituit. In muſculorum ad os temporum adhaeſione ea obſeruata
p. 117. eſt varietas a Cl. Auctore, vt ſtylopharyngaeum dextri lateris duplicem inuenerit. Faciei ſuperiora oſſa maxillaria interius, ob antrum HIGHMORI ſinuoſa quidem eſſe adnotat, appendicis tamen huius ſinus infraorbitalis et cellularum orbitariarum, ab HALLERO deſcriptarum, mentionem factam non fuiſſe
p. 175. deprehendimus. In maxillarum alueolis haerentes dentes ſi excidunt, alueolos connaſci et deleri notum eſt, inde autem latitudinem oſſis minorem fieri, ſuperioremque marginem duriorem, latiorem, ferendisque mollioribus cibis aptiorem reddi cognouit
p. 185. Cl. Auctor. In dentibus tamen, poſt ſecundorum iam caſum, anteriores molares in ſeptuagenario, licet non ſine multa difficultate, tertia vice redire vidit. In integris demum oſſibus eius modi haudquaquam deſunt obſeruationes, quae numero etiam eadem
p. 234. aucta fuiſſe teſtantur. Sic in iuniorum ſceletis aliquando undecim dorſi vertebras, ſex lumborum, aliquando tredecim deprehendit dorſales, iisque pro illo reſpondentes numero coſtas undecim, tredecim-
p. 255. que. Quale etiam exemplum, prout a variis, ita a Cl. etiam noſtro HEBENSTREITIO * annotatum fuiſſe meminimus. Singulare autem eſt, Cl. BOEHMERVM etiam ad latus ultimae vertebrae colli poſitam inueniſſe accedentem coſtam, quae primae ſimilis, cum corpore et transuerſo proceſſu dictae vertebrae articulabatur, ſed acuminata ob breuitatem ſternum non attigit. Altera deinde, ordine naturali prima, in ſemicirculum flexa, in ſinum ſterni ſuperiorem recipiebatur, et anteriorem ſimul clauiculae extremitatem

* Vid. Eiusd. Programma de rarioribus quibusdam oſſium momentis. Lipſ. 1740. 4. p. 7.

mitatem attingebat. Vltima tandem ex ſpuriis ſic dictis non niſi quaedam ſui veſtigia relicta conſpicienda praebebat. In oſſium peluis conſideratione ad eam quoque accedit quaeſtionem, num illa partus tempore a ſe diuellantur, de qua ita ſtatuit, ut illum in ſtatu naturali ſeceſſum non requiri, praeternaturalem tamen eius modi diſſolutionem aliquando contingere poſſe non in uniuerſum neget. Extremae p. 320. manus muſculorum, quae haud rara eſt, et noſtro ſeſe obtulit Auctori varietas; vidit enim quinque lumbricales, quorum ultimus lateri medii digiti poſterius infigebatur, extenſor autem pollicis proprius quatuor tendinibus pollici adhaerere obſeruabatur. Teres illud, quod femoris capiti acetabuloque interius intercedit, ligamentum, ab uſu *ſuſpenſorium* p. 325. dicendum eſſe autumat, quippe quod et faciliorem femoris in acetabulo motum concedat, et laxato forte capſulari ligamento, ne ex cauitate prorſus excidat, praecaueat. Quod tamen ſi varias factum fue- p. 330. rit ob rationes, noui anſam ſuppeditat acetabuli in oſſibus peluis formationi, id quod CASSEBOHMII confirmat obſeruatio, noſque ipſi aliquando vidimus, et pluribus praeter alios demonſtrat exemplis SALTZMANNVS *. Vltimo tandem loco articulationum p. 363. tradens rationem Cl. Auctor, oſſa inter ſe coniungi vel immediate vel mediate putat. Priorem modum ἀρθρον, poſteriorem συμφυσιν, vocat. Arthron cum euidenti motu διαρθρωσιν conſtituit, cuius quidem introductas a WINSLOWIO in orbicularem et planiformem retinet diſtinctiones, quam in laxam tamen et ſtrictam, quatenus nimirum motus in his differunt, ulterius ſubdiuidit. Laxae autem diarthroſi ginglymum accenſeri notamus. Symphyſis deinde pro diuerſo intercedente medio corpore variat, ut ſit

* Conſ. IO. SALTZMANNI diſſ. de articulationibus analogis, quae fracturis oſſium ſuperueniunt. Argentorati, 1718. 4.

συνδεσμωσις, συσσαρκωσις, συγχονδρωσις, συντενωσις et συνμενωσις, ſi ſcilicet per ligamenta, muſculos, cartilagines, tendines aut membranas facta fuerit eorum iunctura. Quae ultima in imperfecto potiſſimum iuniorum oſſium ſtatu a natura ſolet obſeruari. Icones, quae hiſce iunguntur inſtitutionibus, nitidae ſane et ad naturae exemplar factae, minimos minoresque foetus vel integros vel eorum partes quasdam oſſeas, oſſiumque cauernoſam et cellularem internam ſtructuram, nec non organi auditus quasdam particulas, oſſisque ethmoidei et ſphenoidei exteriorem figuram ſiſtunt.

XV.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriſſten zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. VIIter Band. Hamburg bey G. C. Schmid, und Leipzig bey A. H. Holle, 1751. 8. Alph. 1. Bog. 19. Kupfertafeln 3.

h. e.

Promptuarium Hamburgenſe, ſiue collectio ſcriptorum, inſtitutionis et oblectamenti gratia ex phyſica et humanioribus litteris, collectorum etc. Tomus VII.

p. 16. Part. I. no. 2. *Commentarius de noxia mortuos in templis ſepeliendi conſuetudine.* Qui vero non prima vice hic exhibetur, ſed certe aliunde mutuatus eſt; neque tamen eius Auctorem, neque libri titulum annotatum deprehendimus.

p. 65. *No.* 4. IOH. FRIDRIC. STOY *Tractatio de lino.* Ea, quae ad ſationem, culturam et praeparationem pertinent, oeconomice modo recenſet Auctor.

No. 5.

No. 5. Diſquiſitio de natura et affectionibus fellis vi- p. 77.
tri, Auctore POTTIO*. Translata haec eſt ex Acad. Reg. Scient. Berolin. an. 1748. p. 16. ſqq.

No. 6. Fuſiori oratione recenſetur, notisque a Cl. p. 96.
KAESTNERO illuſtratur liber ille, multifaria eruditione refertus, quem anno 1750 de mari edidit naturae ſcrutator induſtrius POPPEVVITZIVS.

No. 7. Relatio de *nouo variolarum ſyſtemate, quod* p. 108.
Cl. DE HAHN *in ſingulari libello propoſuit* **.

Part. II. no. 1. In germanicum ſermonem ex gal- p. 115.
lico verſus legitur commentarius Cl. ELLERI, *de ſeparatione auri ab argento.* Acad. Reg. Scient. Berol. an. 1747. p. 2. ſqq.

No. 2. Collectio epiſtolarum non nullarum, quas Cl. p. 160.
HASSELQVIST, partim ad LINNAEVM, partim ad ELVIVM in ſuo itinere miſit. His ipſis, ex Suecico nunc in germanicum idioma translatis, plura continentur, quibus corporum naturalium in primis cognitio illuſtratur; quae tamen omnia, breuiter in his modo indicata, repetenda nunc non ſunt, cum et quosdam commentarios ad academiam tranſmiſſos, ab eaque euulgatos deprehendamus, et plures, licet nimis praemature Auctor obierit, certo expectemus.

Part. III. no. 1. Annotationes ſupra varias aqueo- p. 227.
rum inſectorum ſpecies, polypis annumerandas; Auctore ABRAH. TREMBLEY. Anglico ſermone conſcriptae leguntur in Philoſ. Tranſact. no. 484.

No. 2. Continuatio commentarii de vi aeris in cor- p. 260.
pus humanum, Auctore IOH. ARBVTHNOT.

No. 3. Ampla exhibetur *recenſio nouorum Commen-* p. 303.
tariorum Acad. Scient. Imper. Petropolitanae Tom. I. ad an. 1747. et 1748.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 126. ſqq.

** Conf. noſtr. Comment. Vol. I. Part. II. p. 205. ſqq.

p. 328. *No. 4. Meditationes de inſtinctu naturae in morbis,* Auctore H. G. HOPPIO. Corpus humanum ita ſapienti conſilio eſt conſtructum, ut quicquid vel ad ſui conſeruationem neceſſarium ſit, vel ad eius deſtructionem aliquid conferre poſſit, ipſum oſtendat. Hoc naturae inſtinctum vulgo vocamus, qui ſeſe aut deſiderio aut auerſatione alicuius rei manifeſtat, prout vel grata vel ingrata ſenſatio ab ea re in nobis excitatur. Ita certae quaedam ſenſationes ad capiendum cibum nos incitant et quaſi cogunt, ſi vero tantum eorundem aſſumſimus, quantum ad corporis ſuſtentationem requiritur, oriuntur aliae et ingratae quidem ſenſationes, quae nos impellunt, ut ab iis abſtineamus. Nimia enim ciborum ingurgitatio corpori eſſet moleſta. Dum ergo in ſano corporis ſtatu naturalis ille inſtinctus multum ad conſeruationem eius contribuat, optandum ſane eſſet, ut et natura nos doceat, quid faciendum, quid omittendum, ſi illud aegrotat. Per exempla itaque declarare anniſus fuit Cl. Auctor, quid aeger guſtu, odoratu, tactu et ſ. p. percipiat, quod vel morbo ipſi contrarium ſit, vel ad eius in ſanum ſtatum mutationem aptum inueniatur. In acutis e. g. febribus maximum ad acida et fluida capienda habemus deſiderium, et e contrario carnes nutrientesque cibos auerſamur.

p. 339. *Part. 4. no. 1. Continuatio recenſionis Comment. Acad. Imper. Petropolitanae.*

p. 357. *No. 2. Duarum, quae veritatis modo ſpeciem prae ſe ferunt, de transſmutatione metallorum, argumentorum refutatio.* Oſtendebatur Auctori fragmentum metalli, quod aurum ex cupro confectum eſſe crediderant. Qua re incitatus, ſtudioſius nunc in eius veritatem inquirit. Primo igitur de auri tranſmutatione diſſerit, et ex praefatione PETRAEI ad BASILII VALENTINI opera, hiſtoriam a DIPPELIO rela-

relatam, adducit. Ad 60 nempe grana argenti candefacti $\frac{1}{12}$ partem grani certae cuiusdum tincturae appoſuit DIPPELIVS, et argentum nunc in aurum mutatum ponderauit gr. 72. Vnde igitur augmentum ponderis? Omne corpus duplici ratione ponderoſius redditur, dum vel maior eius copia additur, et tunc ponderoſius, ſimulque vero maius fit; ſi vero volumen corporis idem manet, et tamen grauius fieri debet, neceſſe eſt, ut interna grauitas augeatur; uti euenit, quando ſal in aqua ſolutum eſt. Quodnam ex hiſce factum fuerit, in hiſtoria annotatum quidem non legitur, prius vero probabilius eſſe, et augmentum ponderis in carbonibus forte latitaſſe, Auctor credit. Poſito vero, volumen etiam argenti, coloris mutatione praegreſſa, idem manſiſſe, ac antea fuerit, certo tamen apparet, grana duodecim, quae ponderis augmentum ſiſtunt, quintam modo partem prioris ponderis eſſe. Puriſſimi argenti pondus ad puriſſimi auri eſt ut : 11 ad $19\frac{1}{2}$, differentia inter utrumque $8\frac{1}{2}$, et hic numerus dimidia parte maior eſt, imo $\frac{17}{22}$; argentum vero non $\frac{17}{22}$ ſed $\frac{1}{5}$ ponderoſius factum fuit, $\frac{17}{22}$. quadruplo maius eſt quam $\frac{1}{5}$, ergo argentum quadruplo maius pondus acquirere debuiſſet, ſi in aurum mutatum fuiſſet. Argentum itaque manſit colore alieno conſpicuum, cum aucto pondere fragilius redditum.

Factitii illud auri fruſtum, quod Auctori oſtendebatur, ex cupro originem duxiſſe, crediderant; pondere fere quartam librae partem aequabat, et habita voluminis ratione communi cupro ponderoſius inueniebatur. Aqua mediocriter calida ad tinctum hoc cuprum erat, ut 1000 ad 10127. Cum itaque cuprum, quod vulgo venditur, modo 8500 aequet, clarum eſt, inſigne ponderis augmentum non ex addito illo tincturae grano proueniſſe.

Contendunt porro adepti, ſe cuprum in argentum tranſmutare poſſe. Qua de re plura in commer-

cio

cio litterario Noribergenſi anno in primis 1732 pag. 339. annotata deprehendimus. Ex quibus ſequentem hiſtoriam noſter Auctor adducit: ſuperficiei cupreae monetae, quae 100 libras et 4 uncias ponderis monetarii Noribergenſis aequabat, candefactae particulam quandam, albido colore tinctam, et granum unum in eadem trutina ponderantem, applicauerant, illam aquae immittebant, iterumque ex eadem extracta, argenteo colore inſignita deprehendebatur. Diffracta moneta interius quoque eundem argenteum ſplendorem referebat. Docimaſtico vero igne tentata argentum erat, cuius marca quatuordecim ſemiuncias continet (14 *lötbig Silber*). Integra moneta, facta tranſmutatione, ponderabat 125 libras, 8 ſemiuncias. Cuprum albido colore tingi poſſe, cognita ſatis res eſt, licet in hoc caſu adhibita ratio non ſit conſueta. Arſenico vulgo utuntur, eiusque forte cryſtallos, vel nitrum cum arſenico commixtum etiam adeptos adhibuiſſe, Auctori videtur probabile. Dum itaque moneta cuprea modo 100, poſt operationem vero 125 libras aequaret, et ita ¼ ponderoſior facta fuerit, illud aliter fieri non potuiſſe, quam ut, vel ante tranſmutationem, vel poſt eandem ponderoſior moneta leuiori ſubſtituta
p. 379. oſtenſaque fuerit, Auctor exiſtimat. In fine huius tractationis ea leguntur, quae Cl. GEOFFROY ſenior, an. 1722 pag. 61 ſqq. hae de re in Actis Acad. Reg. Pariſienſis exhibuit.

p. 385. *No.* 3. *Anatomica explicatio de origine et formatione ganglii*, Auctore Cl. ELLERO. Translata haec eſt ex Actis Acad. Reg. Scient. Berol. an. 1746. p. 108. ſqq.

p. 409. *No.* 6. *Relatio de infante, primo vel ſecundo poſt partum die variolis laborante;* Auctore CROMWELL MORTIMER.

p. 411. *No.* 7. Alii non nulli, *de infantibus nondum natis, variolis laborantibus*, caſus, communicati a W. WATSON.

No. 8.

No. 8. *Hiſtoria de Nicolai Reeks, cuius pedes introrſum a natiuitate incuruati, ex eo, quod per aliquod tempus pedibus cruciatim collocatis ſederet, naturalem figuram acquiſiuerunt.* Auctore WILHELMO MILNER. Tres hi articuli ex Philoſophicis Tranſactionibus et quidem no. 493 deſumti, translatique fuerunt. p. 417.

No. 10. *Explicatio rationum, quae* KAESTNERVS *de puluere antherarum contra* MOELLERVM propoſuit *. Monet primo MOELLERVS, ſe huic controuerſiae amplius neutiquam inhaerere, et haec ideo adhuc proponere velle, quo modo rei cuiusdam veritatem oſtenderet; quae in primis ad eam, de colchico hactenus agitatam controuerſiam, ſpectant. Aſſeruit enim MOELLERVS colchici corollam minime cum ouario eſſe connexam, contrarium vero oſtendit KAESTNERVS, illudque ſe ita non habere reiterata obſeruatione cognouit Auctor, ideoque ſe erraſſe, profitetur publice. Huius vero ipſius commiſſi erroris rationem prolixius docet Cl. MOELLERVS, quo ſaltim conſtet, ſe in cognoſcendis naturalibus rebus, inſtituendisque experimentis maxima ſemper cum cura verſari ſolere. p. 428.

No. 11. *De ferro natiuo* relationem proponit IOH. FRIDR. STOY. Natiuum ferrum non dari, fere omnes hactenus crediderunt, cum impoſſibile eſſet, ut illud acidis vitrioli ſpiritibus reſiſteret. Cl. vero Auctor minerale corpus poſſidet, quod natiui ferri nomine inſigniendum eſſe exiſtimat. En eius hiſtoriam. Berolini apud Cl. MARGGRAFIVM vidit mineram, ex Saxonia allatam, et prope *Eybenſtock* et *Iohanngeorgenſtadt* erutam, quae malleo percuſſa minime reſiſtit, et diffracta ſingulare quaſi tomentum, bruno colore tinctum, quo mediante minimae partes inter ſe cohaerent, iucundo ſpectaculo oſtendit. In- p. 441.

terſtitia

* Vid. Commentar. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 255.

terſtitia huius tomenti occupant cryſtalli, eodem colore inſignitae, granatae vulgo dictae, quae partim pellucidae ſunt partim opacae. Magnes et ferreum hocce tomentum, et ipſas cryſtallos attrahit. Ferrum tenax eſt ac difficilius frangitur, mallei ope extenditur, et ſplendorem acquirit. Cryſtallos haſce diuerſas et ferreum tomentum diuerſis immiſit vitris Cl. Auctor, ſpiritumque nitri affudit, et minutae horae ſpatio vix praeterlapſo ex opacis cryſtallis bullulas egredientes vidit, quae rapidiſſime mouebantur, et ramenta a cryſtallis ſeparata ſecum rapiebant. Pellucidis vero cryſtallis bullulae modo adhaerebant, et ferrum tandem unam eius modi annexam oſtendebat, quae ſenſim aucta ſpatio 47 minutarum ſuperiora petebat. Cum vero immutatum hactenus ſubſiſteret ferrum, credidit Auctor, nitri ſpiritum illud arrodere non poſſe; verum ſpatio 48 horarum praeterlapſo illud in minores laminas reſolutum et in puluerem quaſi mutatum deprehendit. Menſtruum ipſum, ferro affuſum, a naturali quidem colore receſſit, minime vero ita diſtincte brunum colorem recepit, quam illud, quod opacis cryſtallis additum fuerat. Intra ſex horas opacae etiam cryſtalli puluerem referebant, pellucidae e contrario ſemper immutatae perſiſtebant. Maximam itaque differentiam inter hocce natiuum ferrum et illud, quod arte parari ſolet, eſſe, ex nunc adductis facile eluceſcit; factitium enim citiſſime a nitri ſpiritu arrodi, ſoluique norunt omnes. Ipſum vero, a Cl. Auctore adhibitum, menſtruum genuinum et concentratum fuiſſe, ex eo ipſe probat, quod eiusdem ope intra breuiſſimum tempus aliud praeparati ferri fruſtulum ſolutum fuerit.

p. 458. *Part. V. no. 2.* In germanicam linguam translata legitur *epiſtola* Cl. GAVTIER ad Dn. DE BOSSE,

de

de arte aeneas figuras viuis coloribus repraeſentandi, quae gallice prodiit Pariſiis 1749. in 8.

No. 4. Meditationes de ſtatu animae in catalepſi et noctambulatione. Doct. SAVVAGES DE LA CROIX in puella viginti annorum curioſa plane obſeruauit phaenomena, quae in actis Acad. Reg. Scient. Pariſ. an. 1742. pag. 409 ſqq. deſcripta legimus, quorum plurima et primaria quidem hic iterum annotata germanico idiomate repetuntur. Duo vero ſunt, quae in ea hiſtoria conſiderari debent, primum horum naturales illarum mutationum cauſas ſpectat, quae in cataleptico accidunt, alterum ad id pertinet, quod ſtatum animae in eius modi aegrotis concernit. Cum itaque in priori enodando Cl. SAVVAGES fere omnia exhauſerit, hic modo docetur explicaturque alterum. Quod autem animae ſtatum concernit, vix nunc recenſeri poteſt et ab aliis intelligi, niſi ſimul ipſa, quae in aegroto acciderunt, phaenomena cognita ſint atque perſpecta. p. 489.

No. 5. D. IOH. AVG. VNZERI *Refutatio quorundam practicorum errorum, de frigida calidaque corporis diaeta.* De calore primum dicturus, errores in eo commiſſos vel diaeteticos eſſe vel therapeuticos monet, et de illis, qui nimio calore morbos praecauere ſtudent, primo diſſerit. Calorem noſtri corporis ad ſanitatem tuendam requiri, ex humorum motu declarat Auctor, illum vero conſeruandum augendumque aliquando non ſtragulis aliisque externe appoſitis rebus, ſed motu atque labore eſſe, porro contendit, et ita noxas, quae ab illis oriuntur, expendit, dum perſpirabilium humorum receſſus impeditur. Humorum namque inde turbatur mixtio, et ſolidae quoque fibrae nimium debilitantur. Cum etiam corpus non aequabiliter in omni parte veſtibus vel ſtragulis obtegatur, et cum pars, nunc tecta et contra frigus defenſa, reliquis calidior ſit, particularibus quoque morbis occaſio datur. Illum p. 513.

etiam

etiam morem minime improbat Auctor, quo homines, motu agitati et ſudore quaſi perfuſi, veſtes mutant, ſed id modo improbat, dum aliquando caput, pectus, vel alia particularia loca denudantur; nullam enim in priori caſu noxam, in poſteriori vero plures oriri, exiſtimat. Inter therapeuticos errores, qui in calore committuntur, eum primo refert Auctor, dum aegri, acuta febre laborantes, calidis medicamentis externoque aere et ſtragulis ad ſudorem diſponuntur. Suum enim decurſum habet morbus, eiusque accelerare finem hiſce adminiculis multum ſaepe nocet. In illis quoque febribus, quibus exanthemata accedunt, fere ſemper melius eſt, ſi conuenienti ſub regimine ea ſucceſſiue et parciori in copia exeunt. Falſo itaque arbitrantur multi, eo enitendum eſſe, ut medicinis pellentibus omne quaſi virulentum e corpore una vice eliminetur. Hae enim ſaepius ipſum venenum, quod puſtulis deinde ſeſe prodit, in ſanguine gignunt. In chronicis etiam exanthematum morbis calidae pellentesque medicinae morbum periculoſiorem ſemper reddunt.

In altera tractationis parte ea, quae de frigore corporis vulgo proponuntur, praeiudicia, diſquirit diiudicatque Cl. Auctor. Quae, uti omnis fere tractatio, vulgaria et rationali medico, hoc in primis, quo viuimus, ſaeculo, diu cognita ſiſtunt, hinc ea nunc omittimus.

p. 546. *No. 6. Relatio de locuſtis, quae in Wallachia, Moldavia et Tranſyluania an.* 1747 *et* 1748 *multum damni produxerunt.* Ex anglico in germanicum ſermonem verſa ex Tranſ. Phil. no. 491.

p. 554. *No. 7. De ſtratis terrarum, lapidumque, ac ſubterraneo aere, in cuniculo an.* 1739 *in loco Roſsthal prope Dreſdam.* Auctore I. C. H.

p. 559. *No. 8. Singularis caſus, in femina obſeruatus, calculo ſub lingua laborante*, deſcriptus a WILLIAM FREEMANN. in Philoſ. Tranſ. no. 491.

Part.

Part. VI. no. I. MARGGRAFII *Experimenta chymica, ſaccharum ex variis plantis, quae in noſtris regionibus creſcunt, praeparandi.* Translata ex Acad. Reg. Berol. an. 1747. p. 79 ſqq. p. 563.

No. 3. *Dilucidatio cuiusdam erroris, qui* DE LA QVINTINIE adſcriptus fuit. p. 604.

No. 4. *Continuatio hiſtoriae de vite*, translata ex Diario heluetico (Iournal heluetique) Menſ. Nouemb. an. 1738. p. 613.

XVI.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen. Zweyter Theil. Leipzig, bey C. L. Iacobi. 1751. 8. pl. 16½.

i. e.

Oeconomico phyſicae diſſertationes. Pars II.

In altera huius collectionis parte continentur ſequentia:

1) *Meditationes de frumenti et plantarum degeneratione.* Vocabula, in vernacula noſtra lingua uſitata, primum definit anonymus Auctor, dum degenerare, *ausarten*, aliquando dicitur, ſi fructus a perfectiori ſtatu recedit, vel quando mutatio quaedam accidit, ita, ut ex plantae cuiusdam ſemine generetur plane alia. His indicatis, bonitatem et perfectionem ſeminum fructuumque a climate, et inde dependentibus aeris conditionibus, nec non a naturali terrae bonitate dependere oſtendit, atque concedit fructum, qui in alia regione perfectiſſimus eſt, in alia multum ab hoc ſtatu recedere, ſpeciem vero plantae in aliam, multo minus genus in aliud tranſire poſſe, negat; et quo ſuam, hac de re aſſumtam, ſententiam probet, varia adfert experimenta, adducitque rationes, quae illis contraria ſunt, qui ſta- p. 251

tuunt, e. c. ſecale aeſtiuum in hybernum, vel in lolium, hordeum in auenam, braſſicam in rapam aliquando mutari. An hae, ab Auctore adductae, rationes indubitatae ſint, an vero eius modi ſpecierum generumque, et ita hybridarum plantarum generatio poſſibilis ſit, in medio relinquimus; id modo monemus, recentiori nunc tempore a variis, LINNAEO in primis atque GMELINO, prolata eſſe argumenta, quae omnino euincere videntur, ex plantarum diuerſarum copula noua forte generari poſſe vegetabilia.

p. 278. 2) *Coniectura de cauſis ſecalis cornuti, ſiue uſtilaginis*, Auctore G. F. MOELLERO. Nigra illa grana, quae in ſecalinis ſpicis aliquando eminent, reliquisque maiora ſunt, ſecale cornutum, *Mutterkorn*, appellari ſolent, ab aliis etiam generali termino uſtilago *Brand* dicuntur. Eſt vero inter haec ſecalis et ea, quae in tritico, auena, aliisque frumentorum generibus inueniuntur eius modi grana, inſignis differentia. In hiſce enim cotyledon ſiue farina ſeminis nigrum, combuſtum quaſi, puluerem ſiſtit, in ſecali vero ſemina exterius modo nigro colore tincta ſunt, et intus albam farinam adhuc continent. Cum itaque hic morbus non in omnibus idem ſit, ut et aliae et diuerſae cauſae eum efficiant, neceſſe eſt. Has itaque modo eruere nunc ſibi propoſuit Auctor, dum de illis alibi iam diſſeruerit *. Melleum, ſic dictum, rorem cum ſecalis hocce morbo fere ſemper coniunctum eſſe, obſeruatio noſtrum docuit, ideoque et eum, ut efficientem cauſam, aſſumit. Eſt vero melleus ros glutinis genus, quod guttularum ſub ſpecie aliquando ſpicae, aliquodo etiam ipſi culmo adhaeret. De ortu huius varii varias propoſuerunt hypotheſes, en eam, quam Cl. MOELLERVS excogitauit. Apparente hocce rore primis diebus vidit non

* Vid. *Leipziger Sammlungen 47tes Stück.*

non nulla grana in inferiori parte, ubi plantula ſeminalis latet, nigro colore praedita, et eius modi glutinoſae materiae immerſa fuiſſe, eaque celerrimum incrementum habuiſſe, ac reliqua magnitudine ſuperaſſe deprehendit, tandemque, dum attentius ea conſideraret, plantulam ſeminalem in omnibus hiſce corruptam quaſi apparuiſſe inuenit; praeter ea inuolucrum ſeminis, quod inferiori in loco prope plantulam ſeparatum atque apici nigri huius ſeminis nunc affixum erat, illud quodam modo inuoluebat, ſenſimque vel decidebat, vel modo marceſcebat. Succum itaque, rori ſimilem, ex ſemine tranſudare, probabile ipſi videtur, unde et porro contendit, grana haecce vel ab externa vi vulnerata, vel ab interna cauſa ſuccoſa vaſa rupta eſſe. Quaenam vero ex his accuſanda ſit, in dubio quidem relinquit, oſtendit tamen inſectis aditum patere ad ipſa grana, ideoque et ab hiſce laedi ea poſſe. Cauſa itaque mellei roris nunc aſſumta, porro diſquirit Auctor, cur ſemina haecce morboſam inde mutationem patiantur. Et quo haec res eo magis eluceſcat, ea repetit, quae alibi * de ſeminum generatione aſſumſit, atque exinde concludit, rorem eſſe illum ſuccum, qui in ſeminis inuolucro collectus, ad incre- p. 285. mentum ipſius debeat impendi. Per vaſa vero, quae ex ipſo culmo proueniunt, ſuccus hicce aduehitur ac inuolucro communicatur; licet itaque ille, laeſione inuolucri facta, nunc roris ſub ſpecie exeat, tamen vaſa haec adducentia, cum ea haud laeſa deprehendantur, perpetuo nouum ſuccum adducunt hucque deponunt. Et maiori quidem in copia nunc debet adportari nutritius humor, nulla enim amplius adeſt reſiſtentia, quae acceſſum impedire poſſit. Eadem ratione etiam cotyledon maiorem acquirit libertatem, humorem, in quo fluctuat, facilius imbibit, ipſumque inuolucrum citius replet. Maiore hocce in-

* Conf. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 441.

incremento porro quoque efficitur, ut inuolucrum, cum arctos habeat limites, inferius rumpat, a cotyledone vero adducentia vaſa premuntur, et ulterior fluidi acceſſus egreſſusque impeditur. Hinc et eſt, cur ſemine aucto, ſimul imminuatur melleus ros. Verum noua oritur quaeſtio, cur ſcilicet, cum nutritius ſuccus ulterius adportari nequeat, grana haecce ulterius increſcant; exiſtimat autem Cl. Auctor, cotyledonem nunc auctum cum vaſis adducentibus quaſi inoſculari, et ita, unione facta, illum immediate ex hiſce ſuccum accipere, quem alio tempore modo bibulis ſuperficiei poris inſuxerant. Augetur itaque ulterius ſemen, a naturali vero figura recedit, elongatur magis atque cuſpide quaſi terminatur. Praeter ea diſquirit Auctor, undenam niger ille color in hiſce granis proueniat, et melleum illum rorem, in aere forte corruptum et acrem factum, cum primis ſtatim diebus, et ſemine adhuc minore, nigricans iam adſit color, primariam cauſam eſſe ſtatuit. Indicatis itaque, quae ſecalis cornuti ortum concernunt, cauſis adhuc perpendit, an et quaenam noxa ex corruptis eius modi granis oriatur. Ad ulteriorem propagationem, cum plantula ſeminalis deſtructa ſit, inepta eſſe facile patet, oſtendit vero, additoque calculo declarare ſtudet, minimam copiam horum inutilium ſeminum eſſe, nihilque damni oriri, ſi aliqua eius modi grana cum aliis terrae mandentur; nec, dum ex ſecale panis conficitur, noxam metuendam inde eſſe perhibet.

p. 300. 3) GODOFR. AVG. HOFFMANNI I. V. Licent. *Animaduerſio de emendanda cultura et vegetatione arborum ſylueſtrium, iisdemque parcendi modo.* Varia narrat Auctor, quae ad praefixum ſibi ſcopum plane non pertinere videntur, nec ea, quae de cauſis defectus lignorum profert, hic repetenda erunt, cum cognita ſatis ſint atque vulgaria; et licet hinc inde non

nulla,

nulla, forte non plane inutilia, interſperſa deprehendantur, ea tamen ita proponuntur, ut concinno ordine repetere haud poſſimus.

4) Idem Auctor *cauſas vegetationis in vegetabilibus* p. 354. diſquirit. Ea, quae SCHEVCHZERVS in phyſica ſua de variis hypotheſibus, quibus vegetatio plantarum explicari ſolet, annotauit, vernaculo ſermone primum recenſet HOFFMANNVS, quibus deinde rationes addit, cur eae omnes non poſſint aſſumi. In primis autem de illa diſſerit, dum ſtatuunt, omnia ſemina, ac ex illis oriundas plantas in primo ſemine fuiſſe reconditas, quam euolutionis hypotheſin Auctor vocat. Eam vero falſam nec cum naturae phaenomenis conciliandam eſſe fuſiori ſermone declarare ſtudet; hoc tamen non obſtante, *deſcendentiam* hancce, modo ea alia ratione explicetur, dari, illamque maxime probabilem vegetationis hypotheſin eſſe aſſerit. In huius itaque rei demonſtrationem aſſumit, ſpiritum quendam in plantis habitare, qui generationis et vegetationis cauſa exiſtat. Quo vero et ſpiritus et eius natura cognoſcatur, ſequentes adducit propoſitiones: 1) omnes creati ſpiritus ſunt materiales; 2) ſpiritus in et per ſe non eſt corporeus; 3) omnes ſpiritus eam habent virtutem, ut ſub certis conditionibus in corpora agere poſſint; 4) acquiſitionem illorum finium, reſpectu animalium et plantarum, quorum maxime inter eſt, creator non in fortuitis cauſis poſuit, omnibus potius incompletis ſpiritibus, qui ſcilicet cum corpore phyſice coniuncti ſunt, facultatem dedit, alios, ſibi ſimiles ſpiritus, a ſe abſtrahendi, corpus proprium formandi, certumque tempus in ſubſidia, ad corpus nutriendum neceſſaria, impendendi; quae omnia ſine reflexione liberaque voluntate eueniunt. Vegetabilis vero ſpiritus vires in eo conſiſtunt, ut 1) corpus, quod ex organicis partibus conſtat, ſibi ſtruat, il-

ludque 2) ac eius conſeruationem deſideret; porro et 3) ſpiritus motum neceſſarium, ſed ea modo ſub conditione, habet, ſi corpus ſibi conueniens inueniet, et occaſionem habeat, ſecundum eius modi corporeas ideas agendi; e. c. ſi ſemen terrae non immittitur, et tam diu, uſque radicale humidum ſeceſſit, aſſeruatur, tunc ſpirituoſum illud ens ab eo ſeparatur; tandem 4) ſpiritus eius modi ſenſu eſt inſtructus. Obiectioni poſt ea reſpondet Cl. Auctor, et qua ratione fieri poſſit, ut ramus terrae inſitus vegetet, explicare quoque ſtudet. Singularem namque ſpiritum cuilibet gemmae ramuloque praeeſſe aſſumit. Et quo hanc de ſpiritibus aſſumtam hypotheſin dilucidiorem reddat, varia, quae in vegetatione plantarum eueniunt, phaenomena adducit, ita
p. 390. v. c. marcida planta nunquam, omni licet adhibito artificio, iterum vegetare et creſcere incipit. Cauſa huius mortis, ſi mechaniſmus locum haberet, certe eſſet, quia nunc partes ita induratae deprehenduntur, ut ſuccus nutritius eas intrare ac per illas moueri nequeat; haec vero induratio maceratione fluidique adſperſione iterum auferri facile poſſet, niſi alia ſubeſſet cauſa, et haec eſt ſpiritus vegetabilis; hoc enim egreſſo impoſſibile eſt, ut mortua planta vitam incipere denuo poſſit. Plantam itaque ſpiritibus praeditam eſſe, ab iisque et radicationem, et incrementum, partiumque nouarum formationem dependere concludit. Non eſt, cur negemus hanc ſpirituum in plantis praeſentiam, cum et antiquiori tempore multi eius modi propoſuerint fabulas, miramur vero, cur non etiam Auctor, ut illi fecere, hoſce in una planta habitantes, variasque partes regentes ſpiritus, ſingularibus propriisque nominibus inſigniuerit.

p. 393. 5) *Meditationes de praeiudicio fortunae et praeſtantiae colorum in pecoribus.* Tria ſunt, quae Auctor per-

pertractanda ſibi propoſuit: 1) an verum ſit, patrem familias in hoc vel illo brutorum genere educando alendoque altero eſſe feliciorem; 2) an colores ad brutorum conditiones vere aliquid contribuant; et 3) quaenam in primis ea ſint, quae color ad animalia conferat. Prioris conſiderationem nunc lubenter omittimus, de altero vero momento acturus, ea primum recenſet Auctor, quae ad cutis fabricam et p. 414. colorum theoriam ſpectant, deinde corporum ipſo- p. 427. rum proprietates conſiderat, quae colorem repraeſentant. Animalium corpora nunquam nuda, ſed ſemper tecta inueniuntur, hoc vero tegumentum vel pilos ſiſtit vel plumas, ſub quibus tandem cutis, carneo colore praedita, deprehenditur. Si itaque de coloribus animalium iudicium ferendum eſt, non ad cutem, ſed ad pilos potius vel plumas reſpiciendum eſſe monet; hinc et ſtructuram horum tegminum porro perpendit. Omnia, ut Auctor aſſerit, animalia quotannis ſua tegumenta amittunt, aliaque recipiunt, quae ut plurimum eundem colorem ſeruant, in nonnullis vero ille etiam mutatus conſpicitur. Equi, aliaque bruta animalia vulnerata, in loco, ubi cicatrix relicta eſt, pilos iterum oſtendunt, eodem colore tinctos; ſi vero frictione quaedam cutis pars abraſa vel ambuſta fuerit, ſemper in laeſo loco pili inueniuntur albido colore conſpicui. In cauſis vero colorum eruendis ita nunc verſatur Auctor, ut oſtendat, quasnam alii aſſumſerint et quid contra ipſas proferri atque moneri poſſit. Genera tandem animalium recenſet primaria, et cuiuslibet proprietates ex coloribus examinare ſtudet. Ita equis, quorum pili nigro colore tincti ſunt, melancholicum temperamentum adſcribit, ideoque exiſtimat, easdem etiam illos habere dotes ac mores, qui cum hac complexione coniuncti obſeruantur. Brunno colore praediti equi, cholerico ſanguinei ſunt, et ſic porro.

 6) Tracta-

p. 455. 6) Tractationis de *thermometro florentino*, priori in parte inceptae, legitur continuatio. Huius itaque *tertium caput* docet, *quo modo hactenus elaborauerint eruditi, ut incommoda thermometrorum corrige-*
p. 466. *rent.* In *quarto* vero *capite fundamentum* eruit Auctor, *cuius ope thermometrum in primis florentinum ad aeris temperiem diiudicandam melius utiliusque*, *quam*
p. 474. *hactenus, adhiberi poſſit.* *Quinto* tandem *qua ratione emendatio thermometri huius ſit inſtituenda*, declarat.
p. 486. In *capite ſexto* diſquirit, *an uniuerſale thermometrum poſſit conſtrui, et qua ratione illud et fieri et uſurpari debeat*, deſcribit. Reliqua, quae adhuc ſuperſunt, capita proxime ad ductum tertiae huius collectionis partis annotabimus.

XVII.

Traité des maladies des os, par M. DV VERNEY, Docteur en Medecine, Ancien Profeſſeur d'Anatomie et de Chirurgie au Iardin Royal, et Membre de l'Academie Royale des Sciences. A Paris, chez de Bure, l'aîné. 1751. 12 mai. Tom. I. plag. 19. Preface pl. 9. Tom. II. alph. 1.

i. e.

De morbis oſſium tractatio.

Inter omnes adhuc conſtat, quam celebris olim fuerit DV VERNEY, et quam feliciter hanc ſui nominis celebritatem ad ſenium uſque retinuerit. Tanta in primis de viri huius cognitione rei anatomicae, eamque docenti dexteritate, non apud ſuos ſolum ciues, ſed apud exteros quoque fama fuit, ut eorum, qui ipſum audiendi cauſa Lutetiam Pariſiorum adibant, concio ſemper eſſet quam frequentiſſima.

ma. Quamuis autem omne ſuum tempus literis daret, eandemque tantum ob cauſam, ut ſuam amplificaret ſcientiam, noſocomia frequentaret, nec praxin clinicam, niſi, ut conſilia daret, aliquando vocaretur, ipſe vellet exercere, numquam tamen tot virorum, qui merita eius perſpiciebant, precibus eo potuit adigi, ut praeter tractatum ſuum de aure humana, qui iam anno 1683, cum virilem ſuam vix inire coepiſſet aetatem, prima vice prodiit, et praeter breuiores diſſertationes, partemque hiſtoriae naturalis animalium, ſcriptorum ſuorum, in quae auditoribus ſuis dixerat, ne unum quidem edere vellet, aut ſingulari quadam modeſtia ductus, aut quoniam ſemper verebatur, ne quis, ſi unum alterumque de ſuis ſcriptis publici iuris faceret, aliquid inueniret in iis, quod deſiderari aut corrigi, ipſumque in controuerſias, cum eruditis ineundas, deducere poſſet. Ex quo igitur ex hac vita diſceſſit, id quod, uti notum eſt, anno huius ſeculi triceſimo accidit, hanc, quam huc uſque aluerant, eruditi ſpem abiecerunt. Nunc vero anno praeterito hi duo de morbis oſſium tomi prodiere, quos, ſi fides habenda eſt, prout nulli quidem dubitamus, diarii gallici auctoribus *, amori illi acceptos referre debemus, quem in augendam rei publicae utilitatem ſemper habuiſſe dicitur paucis nunc abhinc menſibus pie defunctus Dux Aurelianenſis, quippe qui ſcripta, ab Auctore noſtro poſt mortem relicta, ab heredibus eius emit, eaque bibliopolae, ut in publicos uſus ederet, tradidit. Conſilii huius, quod optimus ille Dux cepit, auctor ſuaſorque fuiſſe dicitur Cl. SENAC, qui nunc Galliae Regi a ſanitatis ſeruandae conſiliis ex illius medicis primus eſt. Num vero hic ipſe quoque vir illuſtris editionem huius libri curauerit, et praefamen, quod ei praefixum eſt, ſa-

 tis

* Vid. Iournal des Sçavans. Mai. 1751.

tis amplum, conſcripſerit, aſſerere non poſſumus, quippe de ea re nec literis, neque alia via certiores facti. Continet illud additamenta, libro adhuc iungenda, earum in primis rerum, quae in hoc deſiderari queant, tum quae veterum de hac chirurgiae parte concernunt placita, tum quae in ea poſt Auctorem noſtrum obſeruata fuerunt. Licet autem haec fere omnia ex ſcriptis celeberrimorum virorum BOERHAAVII et VAN SWIETEN collecta ſint, uti Cl. Auctor ipſe monet, nihilo tamen minus ordine ſatis apto, utilique ſelectu, ita concinnata ſunt, ut ſuperfluum hunc eſſe laborem, dicere nequeamus. In hac etiam praefatione relatum legimus, quod proxime curſus operationum chirurgicarum, a Cl. DV VERNEY conſcriptus, in eadem, qua praeſens liber, forma, dein vero anatome eius in forma, quam dicunt quartam, cum permultis tabulis aeneis euulgabitur, adiectis ſimul iis omnibus, quae poſt Auctoris obitum in ea fuerunt detecta. Praefationem excipit elogium Auctoris, a Cl. DE FONTENELLE olim exaratum, actisque academiae Pariſinae tum temporis inſertum, quod quidem hic iterum loci inuenire, lectoribus non erit ingratum, cum vir ille dignus omnino fuerit, cuius memoria non ſolum a collegis ſuis conſeruetur, ſed quae etiam pluribus aliis, qui acta illa poſſidendi non facilem habent opportunitatem, innoteſcat. Ipſius nunc vero, quam indicauimus, de morbis oſſium tractationis rationem adhuc dandam eſſe putamus. Omnis illa tribus abſoluitur libris, quorum primum, *de fractis oſſibus* agentem, tomus prior continet, alter vero tomus ſecundum *de oſſibus luxatis*, tandemque tertium librum *de morbis ipſius oſſium ſubſtantiae*, *eorumque*, quibus ea inter ſe iunguntur atque mouentur, *articulorum*, comprehendit, adiecto rerum praecipuarum indice. Multum ſtudii in eo poſuit Auctor, ut finibus ſuis ſatis faceret, atque omnia, quae ad hu-

ius

ius generis materiem pertinere ipſi viſa fuere, traderet. Quo factum quoque eſt, ut liber hic ſui generis, quantum quidem nimirum fieri potuit, ſatis integer appellari mereatur, licet primus fuerit Cl. DV VERNEY, qui oſteologiam, atque hanc de morbis oſſium doctrinam, in horto regio Pariſino explicaret. In iis quoque capitibus, ubi id neceſſarium ipſi viſum fuit, ex anatome repetiit ea, quae ad faciliorem horum morborum intellectum faciunt. Singulis etiam morbis adiecit obſeruationes, in talibus aegris factas, quae ſingulari ſane modo valde utilem reddunt totum librum. Patet autem, quod liber huius indolis, qui tam varia continet, in compendium haud facile redigi poſſit, tot vero capitum indicare titulos moleſtum, ne taediosum dicamus, omnino foret. Multa porro, quae Cl. DV VERNEY aetate fuere noua, nunc ea non ſunt, cum non ſolum omnis ars chirurgica ex illo tempore inſigni ſtudio plurium eorumque in ſua arte optimorum virorum fuerit exculta, ſed ea quoque, quae Auctori forſan fuere propria, a diſcipulis eius iam euulgata fuerint. Speciminis tamen loco ex uno alteroque capite aliqua enarrabimus. Generalem horum morborum ideam delineaturus, comparat eos Auctor cum illis, qui molles corporis partes infeſtant. Sanguis, lympha, atque ſuccus nutritius in omnibus corporis partibus vario modo, variisque ex cauſis, ſubſiſtere, viam claudere, cauſaque generalis omnium tumorum, inflammationum atque abſceſſuum in mollioribus aeque ac duris corporis partibus fieri poteſt: quae mutatio, ſi fit in cute, dicitur eryſipelas, in contextu adipoſo, phlegmone, atque in perioſteo, inflammatio. Id, quod in molli parte ſcirrhoſus tumor nuncupatur, in oſſibus audit exoſtoſis. Epiphyſium autem contextus ſpongioſus atque ſuccus medulloſus ante, quam illae cum ipſis oſſium corporibus fiant continuae, uti flexiliores partes, abſceſſibus

Tom. I p. 2.

p. 3.

ſibus ſunt obnoxii. Vlcus atque caries inſignem inter ſe habent ſimilitudinem, utroque nimirum vitio, ex acrimonia ſucci nutritii orto, illudque non, niſi moto pure, haec vero non, niſi oſſis facta reſolutione, exfoliationem vocant chirurgi, tolli poteſt.
p. 4. Ipſa partium, ſiue durae ſint, nec ne, ſubſtantia vexata, in utroque caſu dicitur contuſio. Vtrumque etiam earum genus vulnerari, ſi vero violenta fuerit vis externa, frangi oſſa, molliores autem partes dilacerari dicuntur: hae quoque inter ſe concreſcunt, v. c. pleura et pulmones, tumque unio contra naturam facta appellatur: illa eandem aut certe ſimilem mutationem patiuntur in anchyloſi. Quando oleoſae particulae in ſanguine redundant, totum corpus molle fit atque laxum, id quod in oſſibus quoque fieri conſpicimus, eorumque ſimul incuruationem fere ſemper ſubſequi, deprehendimus.
p. 5. Oſſium quoque luxatio ſimilis eſſe videtur mutato inteſtinorum ſitui: illud enim, quod reſpectu oſſis eſt luxatio, hernia dici poteſt ratione inteſtinorum.
p. 6. Quo oſſium vero morbi eo melius mente concipi queant, ad tria genera illos refert Cl. Auctor, tum ad eos, qui eorum ſubſtantiam infeſtant, tum ad alios, qui ſitum eorum atque figuram immutant. Quodlibet horum genus vel a vitio ſucci nutritii, vel a violenta externarum cauſarum actione impreſſa, prouenit. Itaque ad primae claſſis unam ſpeciem caries, exoſtoſis, mollities atque fragilitas, ad alteram vero vulnera, contuſiones atque fracturae, pertinent. Alterius claſſis prima ſpecies duplicem iterum cauſam habere poteſt, tum liquoris mucilaginoſi, qui articulos inungit, tum ipſius oſſis nutritiorum ſuccorum vitium: illud ſequuntur anchyloſis, nodus, omnis tumor articulos affligens, a variis arthritidis aut rheumatiſmi ſpeciebus oriundus, tandemque omne illud ſymptoma, quod nimis protractam luxationum, fracturarum, aneuryſmatum, etc. curationem

nem comitari poteſt; hoc autem omnis ea ſequitur p. 7.
anchyloſis, quae vel a ſucco nutritio, occaſione fra-
cti articuli effuſo, vel a carie vicina, oritur. Morbi vero, qui alteram ſpeciem abſoluunt, ſunt luxatio, ſubluxatio, diaſtaſis atque fractura. Tertia denique claſſis morbos, qui oſſium figuram mutant, comprehendit. Eorum curuatura, quam ſemper praecedit mollities, exemplum dat eorum, qui vitiato ſucco ſuam debent originem: alii vero morbi ab inaequali certarum oſſis alicuius partium compreſſione dependent, uti videmus in gibboſis, iisque, quibus ſpina dorſi inclinata eſt; alii vero ab inaequali muſculorum contractione, uti in valgis atque vatiis, alii tandem a fractis oſſibus male repoſitis, prouenire obſeruantur. Diſputatum huc uſque fuit inter chirurgos, num oſſa quoque in longitudinem findi queant, in primis quorum corpora ſunt cylindrica, uti v. c. os tibiae? Inter Germanos FELICEM WÜRTZIVM, celebrem ſui temporis chirurgum, ex primis fuiſſe conſtat, qui hoc fracturae genus non nunquam obuenire aſſeuerauit, illudque ſatis fuſe deſcripſit. Non minoris autem famae quoque fuere alii, et inter eos etiam ille celebris olim chirurgus, IOAN. LVDOVICVS PETIT, qui ad chirurgorum figmenta illud referendum eſſe, voluerunt. Noſter vero Auctor, tribus ſingulariter enar- p. 156.
ratis exemplis, veritatem eius comprobat, atque contra eos, qui illud fieri poſſe negant, defendit, ideoque omne, quod ad dignoſcendum illud curandumque pertinet, ſedulo exponit. De fractura apophyſeos zygomaticae parum aut fere nihil ab auctoribus huc uſque dictum fuit. Ex merito igitur mentio- p. 182.
nem eius facimus, cum Cl. Auctor eam exponat, eiusque duo narrat exempla notatu ſane digniſſima. Ad faciliorem vero eius indolis atque curationis intellectum ex anatome repetendum eſt, quod, dum ab oſſe temporum procedit, ſeque poſteriori oſſis

zygo-

zygomatici angulo iungit ille proceſſus, arcus quandam ſpeciem formet, ſub quo coronoidea inferioris maxillae apophyſis ſita eſt, cui muſculi temporalis tendo adhaeret. Is vero ipſe muſculus tum per fortem quandam aponeuroſin, tum mediantibus faſciculis carnoſis, cum modo dicto arcu cohaeret. Apophyſin igitur zygomaticam fractam eſſe, ex ſequentibus ſignis facile diiudicare poſſumus: Mandibulam inferiorem non, niſi cum aliqua difficultate, ab illa ſuperiore detrahere poteſt aeger; dolorem is valde acutum in loco fracto, et muſculi illius temporalis tenſionem ſentit; tandemque a compreſſis filamentis illius nerui, qui portio dura acuſtici audit anatomicis, lenes accedunt motus conuulſiui. Introrſum, dum frangitur, ut plurimum deprimi ſolet apophyſis, aliquando tamen accidit, ut una eius pars antrorſum trudatur, altera in naturali ſitu permanente. Vtriusque caſus exemplum adducitur. Primum hic loci repetere liceat: Miles quidam ab extrema ſtipitis parte plagam accipit, quam tumor totius malae ſequitur, et difficultas inferiorem maxillam deprimendi et attollendi. Apophyſin illam fractam eſſe atque depreſſam, digitis quidem illico percipit ipſe Cl. DV VERNEY; quo modo autem laeſa pars extrorſum denuo protrudi queat, non ſtatim liquet. In illud tandem conſilium ille incidit, ut aegrum iubeat ligni aliquod fruſtulum, digiti craſſitiem aequans, paululum planum, in os recipere, idque ſupra dentes maxillares ponere, et maxillam omni, qua poſſit, vi adducere. Quo per aliquot horas facto, leuamen ſentit aeger; itaque hoc uti remedio pergit, bacillo aliquantum maiore illi priori ſubſtituto; tandemque ſola muſculi temporalis actione, fractam apophyſin ab interiore parte ad exteriorem trahente, haec ipſa naturalem ſitum recipit, contuſione ſimul in externa facie conſpicua linteis, ſpiritu vini madidis applicatis, diſſipata. De modo,

quo

quo callus in fractis oſſibus fiat, auctores huc uſque inter ſe nondum conuenerunt. Veteres, ab effuſo ſucco glutinis inſtar extrema oſſa fracta glutinari, exiſtimarunt; hancque eorundem ſententiam ex recentioribus quoque plurimi ſecuti ſunt, illumque ſuccum tum ex oſſe ipſo, tum ex perioſtei vaſis, exſudare putarunt. Alii vero ipſa fibrarum oſſium extrema, uti molliorum partium, ab impulſu humorum elongari poſſe, opinati ſunt. Noſtris tandem temporibus Cl. DV HAMEL * perioſteum ſolam calli eſſe cauſam, tradidit, quippe quod in fracturae loco tumidum, pauloque craſſius, factum cartilagineam, tandemque oſſeam indolem acquirere, illumque oſſeum circulum, qui extremis fractis oſſibus circumdatur, formare, eoque modo oſſa iterum iungere, dixit. Ad primam ex his ſententiam propius acceſ- p. 421. ſiſſe videtur noſter DV VERNEY. Eius tamen hac de re opinionem ſine metu, ut ſatis clari ſimus, paucis iam enarrare, difficile quidem eſſe videtur, omnis tamen res, ni fallimur, eo redit: Eodem fere modo, ac ab initio formari atque nutriri ſolent oſſa, iterum quoque regenerantur. Perioſteum totum os cingit, eiusque limites deſcribit, cunctaque vaſa ei deſtinata ſuſtinet. Si quis illud ab oſſe praeſertim iunioris animalis ſeparare velit, tum illico appendices eius cum minimis arteriis lymphaticis ad primam, ſecundam tertiamque oſſis lamellam uſque penetrare, obſeruabit; quas productiones ibidem firmari, ſiccasque deinde factas ipſam oſſis conformationem iuuare, ſucci vero nutritii eo deductas particulas loca ibi vacua facta, et rete quaſi repraeſentantia, filtrationis in modum replere, ſeque in ea cuneorum inſtar inſinuare, ideoque nutrire et ſimul nouas vaſorum fibrillas firmare et elongare, Cl. Auctor

* vid. *Memoires de l' Acad. des Sciences de Paris l' annee* 1741 et 1742.

ctor exiſtimat. Quod perioſteum vero, uti ad primam oſſis conformationem plurimum feciſſe videtur, ad callum quoque generandum quam maxime neceſſarium ſit, inde potiſſimum iudicat, quod nullum os, perioſteo ſuo denudatum, niſi ab alia parte, uti v. c. in cranii fractis aut vulneratis oſſibus a dura matre fieri ſolet, nutrimentum accipiat, ſuſtinere ſe poſ-
p. 428. ſit, ſed emoriatur. In ſimplice igitur fractura, ubi perioſteum non eſt dilaceratum aut deſtructum, omnesque fibrae naturalem ſuam directionem retinuerunt, ſucci, nutrimento oſſis apti, ex vaſculis minimis, per interſtitia lamellarum perrepentibus, ab omni parte exhalant, ſeque inter ſpatium, quod inter utramque oſſis fracti extremitatem factum eſt, inſinuant, calloque formando primam dant materiem. Cum extrema vero oſſis fracta, quae contuſa et vexata ſunt, ultima ſua filamenta, uti fieri ſolet in partibus mollioribus vexatis, dimittere debeant, haec calore, qui ibi iam a natura eſt, in maiorem motum aguntur, diſſoluuntur, cum ſucco illo nutritio miſcentur, atque lithocollam conſtituunt, quae ſeparatas oſſis partes unit.

XVIII.

Diſſertatio de efficacia mixtionis in mutandis corporum voluminibus, Auctore IOHANNE DAVID HAAN, Lugd. Bat. 1751. 4 mai. pagg. 140.

Cum duo corpora inter ſe miſcentur, ſiue quae natura ſua plerumque fluida ſunt, ſiue quae ignis vi funduntur, ut metalla, pronum videtur inferre, natum ex utrisque mixtum, tantum occupaturum eſſe ſpatii, quanta eſt ſumma ſpatiorum a ſingulis maſſis, ante quam confunderentur, occupatum. Patet vero ratiocinio huic locum non eſſe, ſi alteru-

tra

tra materiarum, quae confunduntur, interſtitiola contineat, quae mixtione inſtituta, particulis alterius materiae quadantenus repleantur; ita enim futurum patet, ut mixti volumen minus ſit, quam per regulam ante expoſitam prodiret. Contra ſi moleculis ſingularum materiarum vis veluti quaepiam repellens inſit, fieri poſſet, ut commixtae magis a ſe inuicem recederent, maiusque adeo ſpatium occuparent. Huius dubitationis vim atque uſum ii nobis videntur primo animaduertiſſe, qui ex datis metallorum duorum inter ſe commixtorum ſpecificis grauitatibus, quantum cuiusque inſit mixturae, ingenioſiſſimum ARCHIMEDIS εὕρημα ſequuti quaeſiuerunt; ubi enim calculum ab experimentis recedere viderunt, nata iis procul dubio eſt ſuſpicio, rem ita ſe habere poſſe, ut huc uſque monuimus. Itaque vetuſtiores iam chemici et noſtri, GLAVBERVS et BECHERVS animaduerterunt, metalla commixta *ſe penetrare*, ut minus volumen occupent, quam antea. BECHERVS quidem *in chymiſchen Glückshafen, oder der groſſen chymiſchen Concordanz* p. 109. rem ita oſtendit: Si e cupro rubro globus fundatur, quali bombardae (*Muſketen*) onerantur, et in eadem forma alius fundatur ex ſtanno eiusdem magnitudinis, ponderis vero minoris, deinde maſſa utriuſque globi fuſione commiſceatur, ex mixtura non duo globi fiunt, magnitudinis quilibet eius, cuius fuerat unus priorum, ſed non multo plus unico. Simile experimentum GLAVBERVS proponit *im vierten Theile der philoſophiſchen Oefen*, *cap.* 12. quae occaſionem dederunt libello Cl. EINSPORN, medici Vratislauienſis, *Vnterſuchung, wie weit durch Waſſerwaegen der Metallen Reinigkeit und Vermiſchung könne beſtimmet werden.* Erlang. et Lipſ. 1745. 8. Similiter ROEMER animaduertit, menſuram aquae ſalſae et menſuram aquae dulcis, confuſas multo minus, quam duas menſuras efficere, teſte HORREBOVIO *in elementis*

mentis philoſ. nat. §. 109. 110. unde experimenta recenſentur *im Hamburgiſchen Magazin*, Vol. IV. Part VI. Art. 6. p. 615. Et ſunt adhuc Lipſiae, quibus, cum ea felicitas contigerit, ut ab ore B. HAVSENII pependerint, dum iam methodum Archimedeam in metallis, item in ſalibus in aqua ſolutis fallere, eo docente, innotuit.

Haec praefari libuit, tum ut lectoribus, de quo agat Cl. HAHN, clarius ob oculos poneremus, tum ut adderemus inuenti hiſtoriae litterariae, quae apud ipſum deeſſe videbamus, qui et GRAVESANDIVM et REAVMVRIVM potiſſimum celebrat, GLAVBERVM ex IVNCKERO citat, reliquos ignoraſſe videtur. Accuratius vero his verſatus eſt ὁ πάνυ REAVMVRIVS, cum aequandis ſuis thermometris aquae et alcoholis mixtiones inſtitueret, videretque, *fluida commixta alia ſimplici particularum applicatione coire, alia ſe penetrare.* (Comm. Ac. R. Sc. Par. 1733. p. 228-237. ed. Bat.) Id argumentum ſollicitis experimentis perſequutus eſt Cl. HAHN, dabimusque aliquam ſaltem operis eius ideam; nam omnia egregia adducere limites inſtituti noſtri vetant.

p. 13. In aqua pluuia deſtillata bulbus vitreus ſolidus, quem ad inueſtigandas denſitates fluidorum adhibuit Auctor, amiſit grana $101\frac{7}{10}$ ad gradum caloris 64. thermometri Fahrenheitiani; in alcohole ex ſpiritu vini gallico, ope alcali fixi ab omni phlegmate depurato, dein circumſpecte deſtillato, ut labes alcalica tolleretur, pari gradu caloris, grana $83\frac{1}{2}$. Vnde poſita, ut conſtanter facit Auctor, aquae grauitate ſpecifica 1, 0000, alcoholis eſt 0, 8210. Huius alcoholis grana 600 commixta ſunt cum granis totidem aquae in vaſculo vitreo cylindrico. Phaenomena mixtionis et ſolutionis recenſere hic nil attinet; mixti grauitas ſpecifica in calore atmoſphaerae 69 grad. erat 0, 9292. bulbo amittente in illo grana $94\frac{1}{2}$.

Iam

Iam ut hinc conſtet, factumne ſit voluminis incrementum vel decrementum in mixtione, calculum algebraicum inſtituit Auctor, cuius haec eſt ſumma: dictis grauitatibus ſpecificis duorum corporum a. b. ponderibus reſpectiue c. d. erunt volumina reſpectiue c : a et d : b mixti vero ex utroque volumen erit c : a + d : b ſumto pro vero enunciato illo, cuius falſitas oſtendi debet, cum ipſo hoc calculo experimentis comparatis, ſcilicet volumen mixti eſſe ſummam voluminum maſſarum, quae commixtae fuerunt. Si igitur mixti ſpecifica grauitas ponatur = x, cum eius pondus ſit = c + d erit volumen etiam (c + d) : x Vnde aequando utroſque valores voluminis eiusdem, habetur x = ab. (c + d) : (bc + ad) vel = (n + 1). ab : (a + nb) ſi c = nd. In experimento a = 1, 0000, b = 0, 8210, c = 600 d = 600 n = 1 unde x = 0, 9017. Tanta igitur reperta fuiſſet mixti grauitas ſpecifica, ſi verum eſſet ſuppoſitum, cui calculus innititur, volumen mixti eſſe ſummam voluminum maſſarum commixtarum. Fuit autem, teſte experientia, multo maior, ſcilicet 0, 9292. Ergo ſuppoſitum hic ita fallit, ut minus ſit volumen mixti, quam iuxta hoc ſuppoſitum eſſe debebat, in ea ſcilicet ratione, in qua denſitas maior eſt, quam calculus illam prodit, ita ut, ſi aqua et alcohol ſeorſim etiamnum poſita conficiant 9292 menſuras, mixtum non continebit, niſi 9017, et quoniam eſt 9292 : 9017 = 100 : $97\frac{1}{24}$ proxime, loco 100 menſurarum mixti tantum accipiemus $97\frac{1}{24}$ materie corporea non imminuta.

Haec de primo experimento uberius recenſere libuit, ut pateat inſtitutum Auctoris et methodus, qua uſus eſt. Sequuntur plura alia, ponderibus alcoholis et aquae in rationibus diuerſis exſiſtentibus. In omnibus decrementum voluminis probat penetrationem mutuam alcoholis et aquae, ſed pro diuerſa illorum ratione ad inuicem diuerſa fuit penetratio. Sed ſpecialia haec, item quae contra REAVMVRIVM,

Vu 2 venera

venerabunde tamen, ut decet, contra tantum virum monentur, adducere nimis eſſet prolixum. Deinde commiſcuit aquam cum variis aliis fluidis, vino gallico, tinctura benzoes, ſpiritu citri, cet. ubique penetrationem animaduertens, idem reperit in miſcela ſpiritus nitri Glauberiani et fumantis cum aqua, oſtendit vero etiam vapores, in his miſcelis aufugientes, non multum a vi concluſionum demere poſſe.
p. 43. Ceterum mirabile contigit in his experimentis, ſpiritum nitri concentratiſſimum non tantam cum aqua ſubiiſſe penetrationem ac aqua dilutum. Pergit ad oleum vitrioli cum aqua commiſcendum, et hic notabile reperit phaenomenon, denſitatem mixturae aliam ſtatim poſt miſcelam peractam, etiam nocte vel longiore temporis ſpatio, poſtquam peracta fuiſſet, elapſo, ut oleum vitrioli penetret adhuc in aquam, poſtquam motus et calor, ex confuſione oriundi, ſatis longo tempore iam ſedati fuerunt, maxima tamen contingat penetratio, cum omnia maxime incaleſcant. Idem HAVGSBEIVS ante animaduerterat. Poſt tria illa acida, quae foſſile regnum nobis fundit, cum alcohole coniunxit, quod *dulcificare* vocant medici, et ubique penetrationem inuenit. Deinde acida et alcalia ad punctum ſaturationis confudit. Inter has miſcelas notabilis fuit ea ſpiritus cornu cerui cum ſpiritu ſalis Glauberiano. In illo bulbus perdidit grana 108$\frac{19}{48}$ in hoc gr. 114$\frac{1}{8}$ ut ſp. ſal. Glaub. denſitas ſit ad denſitatem ſp. cornu cerui in ratione 1, 1222: 1, 0666. Iam ſpiritus cornu cerui granis 500 ſenſim lente admixta fuere grana 430 ſp. ſal. quantum requirebatur ad ſaturationem. In mixto bulbus amiſit gr. 106$\frac{1}{3}$ ut eius denſitas ſit 1, 0442 *minor denſitate cuiusuis ſpirituum commixtorum*, adeoque mixtura leuior exſtiterit leuiore ſpirituum confuſorum. Aliud paradoxum producit experimentum olei tartari per deliquium, denſitatis 1, 3582 cum ſpiritu nitri Glaub. aequali aquae copia

diluto

diluto denſitatis 1, 2561 commixti. Olei tartari p. d. grana 600 immiſſa fuere in vas vitreum, mundum, ventris perampli, colli anguſti, ei adfuſus eſt ſp. nitri per infundibulum vitreum, quod peranguſto lumine in ventrem vaſis patebat, ceterum ita congruens ad politum oſtium, ut minima expectaretur euaporatio. Saturatio obtenta granis 412. ſp. nitri, ſed cum videret concentratam nimis muriam iamiam in particulas ſolidas concreſcere, ſaturatae mixturae addita ſunt aquae grana 288 et poſt adhuc 200, ut flocculi omnes, quantum oculus diiudicare valebat, diſſoluerentur liquore ſubpellucido, ceterum etiamnum dilute rubeſcente. Rebus ita conſtitutis pondus mixti totale fuit 1400 gr. Ergo 100 gr. ſub mixtione amiſſa ſunt. Id, qua ratione contigerit, Auctor animo concipere non valet, ob infundibulum orae vitri exacte congruens, eius foramen ſemper fere guttula ſpiritus nitri clauſum, et adfuſionem leniſſime peractam. An igitur lex phyſica non ſemper vera eſt: pondus mixti aequale eſſe ſummae ponderum maſſarum commixtarum? An grauitas per mixtiones immutari poteſt? Haec ſubuerecunde Auctor proponit et exemplo eius, quod in floribus zinci contingere, certum eſt, tuetur. Rurſus mixti denſitas fuit 1, 1514 minor denſitate leuioris maſſarum commixtarum rarefactionem et voluminis augmentum miſcela contigiſſe indicans.

Tranſſilimus varias alias liquorum miſcelas, ut ad metallorum coniunctiones perueniamus. Memorat vero primum Auctor, RICHARDVM DAVIES in ſcripto, numero 488 Tranſact. philoſ. inſerto, tabulam proprii ponderis plurium corporum exhibente, de vi hac mixtionis volumina corporum mutandi dubitanter loqui, et ſuſpicionem ſaltem proferre, ut conſtet in Anglia, praeter HOOKII labores, nihil exactius de hac re tentatum fuiſſe, (addimus nos, ut p. 97.

 conſtet

conſtet etiam, quod ſaepius Anglis obiectum fuit, hic etiam locum habere, parum illos curare, ut exterorum inuenta addiſcant, nam BECHERVS et GLAVBERVS, quae DAVIESIVS ſuſpicatur, dudum experimentis confirmauerant.)

Sunt vero grauitates ſpecificae metallorum, ab Auctore per comparationem ponderis in aere et in aqua repertae, poſita ſemper aquae denſitate = 1, 0000.

auri puriſſ.	19, 5211.
arg. puriſſ.	10, 5426.
plumbi.	11, 3111.
cupri iapan.	8, 7263.
ſtann. angl.	7, 3167.
bismuth.	9, 7391.
zinci indic.	7, 2124.
reg. antim. puriſſ.	6, 7342.

Grana plumbi 200 totidem granis reguli antimonii in cochleari ferreo commixta, dederunt grauitatem ſpecificam mixti 8, 2949. quae, ſi nihil voluminis mutatum fuiſſet mixtione, eſſet 8, 4422. Similier rarefactio contigit in mixturis plumbi et bismuthi, ſtanni et reguli antimonii, ſtanni et bismuthi, ſtanni et zinci et hic quidem tanta, ut mixtum rarius fuerit commixtorum rariore, auri et argenti; condenſationes dederunt miſcela plumbi et ſtanni, ſtanni et cupri. Regulas generales ex periculis ſuis has ſtatuit Auctor: fragile metallum cum ductili (plumbo vel ſtanno) commixtum rarefactionem dediſſe, leuiſſimum metallorum fragilium, regulum antimonii minorem rarefactionem cum ductilibus metallis exhibuiſſe, quam grauiora, biſmuthum vero fragilium grauiſſimum cum plumbo maiorem rarefactionem ſubiiſſe, quam cum ſtanno, cum tamen regulus antimonii cum plumbo et ſtanno, adeo denſitate diuerſis, aequalem fere rarefactionem ſubierit. Cum vero metalla fragilia ductilibus fragilitatem concilient, ſuſpicatur Auctor, voluminis augmentum et fragili-

tatem

tatem hic ab una eademque cauſa pendere. Operae pretium feciſſet Auctor, ſi cupri et argenti mixturas, quarum uſus eſt, tum apud artifices, tum in pecunia ſignata examinaſſet, quo conſtaret, an hic penetratio vel rarefactio contingant, an vero, quod aſſeruit nobis vir harum rerum peritiſſimus, maneat volumen mixti aequale ſummae voluminum argenti et cupri commixtorum, adeoque locus ſit hic examini hydroſtatico methodo Archimedea, quod alias iure pro infido habet Auctor.* Experimenta vero ſua inſtrumentis et ductu Cl. MVSSCHENBROEKII inſtituit Cl. HAHN, ut de exactitudine dubium ſit nullum. REAVMVRIVS eadem tentauit, non ita, ut denſitates hydroſtatice examinaret, ſed ut volumina, ſpatiorum in vaſculis datis occupatorum ope, metiretur, quod multo minus exactum eſſe, neminem, qui in his rebus verſatus eſt, latere poteſt. Cauſae mutati per mixtionem voluminis in genere cuiuis facile in oculos incurrunt, magnitudo, figura, ſitus, particularum interſtitiola, ſubtilitas diuerſa mixtionis, vis attrahens mutua particularum. Sed ubi ad

 ſpe-

* LEVTMANNVS in Comm. Ac. Sc. Petrop. T. III. p. 138. Examen Archimedeum cupri argento miſti non ſatis cum experientia conuenire narrat, culpatque bilances vulgares non ſatis exactas pro exiguo denſitatum cupri et argenti diſcrimine. Si fidere nolimus ei, cuius de cupro argento mixto ſententiam modo recitauimus, dici poterit, mutationem voluminis in mixtione contingentem in cauſa eſſe, quae LEVTMANNVM plane fugit. Neque magis ad eam attendit BEYER *in der Probierkunſt ohne Feuer*. quae habetur parte II. *der Bergmanniſchen Nebenſtunden*. vid. Commentariorum noſtrorum Vol. I. P. III. Art. XII p. 470. Similiter ſtanni et plumbi mixturas examine hydroſtatico tales ſe reperiſſe dixit, quales eſſe debebant, BRANDIVS in Commentariis Ac. Reg. Sc. Suec. Anni 1744 Iul. Aug Sept. Art. VIII. cuius tamen contrarium oſtendit in notis eo loco, verſioni ſuae germanicae adiectis, Cl. KAESTNER.

ſpecialia deueniendum eſt, haeret aqua, et quae uni phaenomeno explicando ſufficiunt, alii contradicere videntur. Sic omnia ferme ſalia, in aqua ſoluta, decrementum voluminis exhibent, ſalis ammoniaci ſolutio augetur volumine, ſic cuprum in acidis ſolutum, volumen nanciſcitur non ſaltim cupri et menſtrui voluminibus ſingulatim ſumtis et additis minus, ſed quod ſtupendum eſt, minus volumine menſtrui ſolitarie conſiderato, ac ſi cuprum vi quadam adſtringente ipſas menſtrui particulas propius ad ſe inuicem accedere faceret, interſtitiolaque earum non intraret tantum, ſed et arctiora redderet.

Haec uberius de diſſertatione hac dicere libuit, cum argumenti nouitas et praeſtantia, ſummaque, qua Cl. HAHN id tractauit, exactitudo, id omnino exigere viderentur. Methodus vero, qua ille uſus eſt, duo oſtendit, nec carere poſſe matheſeos cognitione phyſicum, nec eum, qui matheſeos ita peritus eſt, ut recte eam phyſicis inquiſitionibus adhibere calleat, incongruo in loco, et ubi nihil eius ope, ob principiorum, quibus calculi ſuperſtruendi ſunt, defectum effici poteſt, illam iactare.

XIX.

GEORG. ERHARD. HAMBERGERI Phyſiologia medica ſ. de actionibus corporis humani ſani doctrina, principiis phyſicis a ſe editis itemque mathematicis atque anatomicis ſuperſtructa. Ienae ſumptibus Th. W. Guth 1751. 4. alph. 4. pl. 17. tab. aen. 8.

Qui phyſicam corporum cognitionem rebus humanis ſtudioſe ſemper adhibuit Cl. HAMBERGERVS, quam per viginti et quatuor iam annos auditoribus ſuis expoſuerat phyſiologiam, ad phyſicae ſuae praecepta compoſitam, cum harum rerum ſtudioſis

dioſis nunc communicat. In pertractandis vero corporis humani ſani actionibus, eum prae reliquis elegit ordinem, ſecundum quem omnes corporis noſtri actiones, in vitales, naturales et animales diuiduntur. Agit igitur primo de partibus ſanguinem componentibus eiusque temperie, de quantitate humorum, vaſis ſanguiferis eorumque extremitatibus, de circulatione, tandemque de motu ſanguinis per pulmones et reſpiratione. His pertractatis, ſecretionis doctrinam ſubnectit, et Cap. VI. de ſecretione in genere diſſerit, in ſequenti vero ſingulas ſecretionum ſpecies pertractans, ſecretionem in cerebro et cerebello, ſeri per glandulas, lymphae absque glandulis, muci itidem atque pinguedinis, ſeminis porro, tranſpirationis atque ſudoris, urinae denique atque bilis confectionem tradit. Sequitur haec in Cap. VIII. nutritionis doctrina, Cap. IX. vero de actionibus, quibus quantitas et qualitas humorum conſeruatur, inſcribitur, et qualitatem corporum, quibus partes amiſſae reſtituuntur, maſticationem deinde et deglutitionem, potulentorum aſſumtionem, digeſtionem, chyli et ſanguinis confectionem, fecum tandem et flatuum ortum et excretionem complectitur. Cap. X. quod de ſenſibus externis in genere agit, excipiunt in Cap. XI. ſenſus externi in ſpecie pertractati; ibi de tactu, cui fames et ſitis declarationem ſubnectere placuit Auctori, de guſtu deinde, olfactu, viſu atque auditu agitur. Senſus deinde interni, actio muſculorum ſomnique hiſtoria traduntur. Ad generationis negotium deueniens in Cap. XV. aptitudinem hominis ad generandum, adpetitum venereum, congreſſum atque conceptum, geſtationem et partum, ut ſubdiuiſa huius doctrinae momenta exponit. Vltimum denique XVI. caput, ſitum partium corporis humani, earumque concinnum ordinem, nexum, aequilibrium, vitae denique, ſanitatis et actionum corporis humani

 diuiſio-

diuiſionem ſupra memoratam comprehendit. Breuem hic exhibemus totius operis ideam, quo lectores inde de ordine doctrinarum iudicare queant, quem certe, quocunque modo c. h. actiones diſponamus, nunquam tamen perfectum et nihil circuli phyſiologici inuoluentem confici poſſe putamus. Licet enim cum Cl. Auctore ipſam actionem a continuatione actionis diſtinguere velimus, nunquam tamen actionis indolem modumque, quo illa perficitur, perſpicere poterimus, niſi concurſum earum, quae actionem abſoluunt, cauſarum, ex iis, ad quae pertinent, capitibus colligamus, et efficaciam earundem, dum omnes ſimul agunt, aeſtimemus. Qui, ut communis omnium, ſecundum quas phyſiologia pertractari ſolet, methodorum defectus, ſi unquam, in ea certe, qua omnes actiones corporis in tria quaſi capita diſpeſcuntur, euidens ſatis eſt, nulla ratione ſupplendus.

Quo porro lectores earum rerum acquirant notitiam, quae in hac actionum corporis humani theoria ut notabiliores occurrunt, cum ardua res ſit, notatu digniſſima ex ampla rerum diſquiſitione colligere, et ea perſpicua ratione enumerare, nos in praeſenti id efficiemus, ut hanc difficultatem euitaturi, de illis prae reliquis referamus momentis, in quibus, ut potioribus, a praeſtantiſſimorum phyſiologorum ſententiis ſe receſſiſſe, vel ea ex indubitatis principiis confirmata dediſſe, profitetur ipſe Cl. HAMBERGERVS, alia vero hinc inde obſeruata iisdem inſeramus
p. 3. et ſubiungamus. Ad maſſam ſanguineam dum primo omnium reſpicit Cl. Auctor, grauitatem eius ſpecificam, partes integrantes harumque particulas conſtituentes et prouenientes abinde ſanguineae maſſae qualitates diſquirit, et cum non omni ſanguini ſano eadem ſemper ſit natura et particularum proportio, dicta hoc in capite non in uniuerſum de omni ſan-
p. 11. guine valere monet. Acidi in ſanguine ab HOMBERGIO

GIO aſſumti duas drachmas ex quinque eius libris, ſaepe repetito examine obtinuit, alimenta itaque acida ipſa illud praebere et ſal culinare, in noſtro corpore in ſua principia reſolutum, quoad acidam ſui partem deinde in acidum nitri mutari, opinari licet. Aerem quoque elaſticum ſanguini ineſſe ex elaſtici- p. 14. tate ſanguinis apparet, quippe quae ab aliis conſtituentium particularum prouenire non poteſt. Haeret is partim in aquae interſtitiis, partim in rubicunda parte ipſa. Igneae ſanguinis particulae, per p. 18. ſalia volatilia alcalica ex nexu cum ſulphureis liberatae, caloris cauſa ſunt, neque ille ab attritu deriuari debet. Sola porro diuerſarum, maſſam ſanguinis p. 30. conſtituentium, partium miſcela temperamenti nomine venit, frigidum tamen, calidum, humidum et ſiccum, ut quatuor ſimplicia veterum temperamenta in corpore non adſunt; omnia enim corpora ſana aeque calida ac humida eſſe oportet, hinc compoſita tantum ex iis locum habent, ex calido nimirum et humido, ſeu ſanguineum, ex calido et ſicco, ſeu cholericum, ex frigido et humido, ſeu phlegmaticum, ex frigido denique et ſicco, ſeu melancholicum. Dubium interim quoad primi huius capitis momenta foueri adhuc poſſet, num ſcilicet partes iſtae omnes ſanguinem conſtituentes, ſi etiam qua tales adſint, in fluido hoc, inter ſe miſtae, ſpatiumque, in quo extricari poſſint, vix habentes, omnes illas actiones edere poſſint, quas per demonſtrationes iisdem, ſalinis in primis aeque ac ſulphureis, attributas deprehendimus. Fluidorum corporis humani proportio p. 38. ad ſolida, ea eſt, ut hominis adulti 160 librarum corporis, 135 librae fluidarum et 25 fere tantum ſolidarum partium inſint. Ad circulationem ſanguinis quod attinet, in hac potiſſimum doctrina multum ſe laboraſſe oſtendit Cl. Auctor. De mechaniſmo p. 55. cordis et auricularum, cui tamen vitalitatem, ut rem adhuc incognitam, adiunctam perſpicimus, breuiter

dum

p. 40. dum dicendum eſt, ita eum ille deſcribit: Columnarum carnearum fibrae, in ventriculis a baſi cordis ortae, per apicem ad externam ſuperficiem reflectuntur, et oblique ad baſin procedunt, aliae praeter eas, interius diſpoſitae, eandem ſeruant directionem, omnes vero non curuae ſed longitudinales potius dicendae ſunt ex eo, quod in actione abbreuiatae apicis a baſi diſtantiam ſeu longitudinem imminuant. Interſunt iisdem ſpirales, docente LANCISIO, cuius et WINSLOVII fibrarum cordis deſcriptio dictis ſubiicitur. Ventriculos cordis capacitate inaequales, et dextrum ſexta ſui parte ſiniſtro plerumque capaciorem eſſe,
p. 47. anatome et iniectio ſebi docuit. Valuulae ſemilunares, ut ſacculi muſculoſo membranacei, et transuerſales et longitudinalibus cordis continuas habent muſcu-
p. 51. lares fibras. Fibrae cordis longitudinales in ſyſtole eius non agunt, ſed a ſpiralibus, tunc agentibus, elongantur et extenuantur, unde et eſt, quod cor in ſyſtole et palleat et non abbreuiari, ſed elongari magis videatur. Spiralium itaque officium in ſyſtole perficienda poſitum eſt, deinde vero, quando longitudinales ex vi vitali et phyſica agunt, ſuperantur ſpirales, fitque diaſtole, ex qua cordis abbreuiatio prouenit. Ipſa namque haec longitudinalium actio ſpirales extendit, et eas inde ad nouam contractionem incitat, unde perennis, isque alternus cordis motus prouenit. Cum vero nulla ex fibris circularibus aut ſpiralibus tam perfecte, dum agit, contrahatur, ut nullum amplius ſpatium ſuperſit, longitudinalibus fibris et carneis in primis columnis illud utilitatis in ſyſtole relictum eſt, ut, agentibus ſpiralibus, mole ſua, quicquid ſpatii tunc in ventriculis ſuper eſt, oc-
p. 57. cupent. Auricularum cordis fibrae omnes anguſtationem earum tantum praeſtant, nec opus eſt aliis dilatationem efficientibus. Trapezii namque, quae auriculis eſt, aeque ac conoideae figurae, ea eſt natura, ut area eius, ſine laterum elongatione, inſigni-
ter

ter creſcere poſſit, modo anguli figurae ſint mutabiles et parietes flexiles. Facillime etiam exinde dilatari poſſunt auriculae, quoniam fibrae earum ſanguini introeunti ex pondere tantum vel ex maſſa reſiſtunt. Exigua tamen haec quoque reſiſtentia eſt, lacertuli namque auricularum longi verticalem, breues vero non horizontalem, ſed obliquum habent ſitum, quoad maſſam denique, externa auricularum tunica non ubique cum lacertis earum carnoſis cohaeret, ſed, libera ab illis in plurimis locis, facillime cedere poteſt. Extenſa nunc auricula a ſanguine circularem figuram acquirit, fibrae itaque eius ſe nunc contrahentes, verſus eum locum agunt, ubi minima eſt reſiſtentia. Cum vero omnis actio corporis in aliud, ſit perpendicularis in ſuperficiem illius corporis, in quod agitur, perpendiculum vero in ſuperficie circulari eius ſit radius, lacerti, ut ſanguinem intus in auriculis haerentem non verſus venas, ſed in ventriculos propellant, neceſſe eſt. Indicatae certae hae, per rationes et demonſtrationes a Cl. Auctore confirmatae, partium functiones, agendique modi, earum potiſſimum fabricae innituntur, quam tamen ex omni parte nondum nobis cognitam eſſe, ipſe celebrium alias anatomicorum hac in re diſſenſus, et variae ab iis, SENACO ex nuperis, traditae harum partium deſcriptiones, euincunt. Praeter cordis caua vaſa rimanda, ex his arteriae quinque tunicas habent, muſculoſa tamen ad extremitates non peruenit, neque illi arteriarum rami conici ſunt, ex quibus nulli ulterius rami exeunt. Arteriarum extremitates triplicis generis ſunt; arteriae primo ſanguineae, vaſa deinde arterioſo lymphaticae, vel neuro lymphaticae, tertio denique excretoriae ſeu exhalantes. Pulſant arteriae et in diaſtole conſtitutae citius propellunt ſanguinem, quam in ſyſtole, quod tamen in extremitatibus earum non fieri, microſcopia docent. Venae tandem, quarum tres trun-

p. 60.

p. 65.

cos

eos anatome oſtendit, eandem fere, quam arteriae habent ſtructuram, nullum tamen motum, earum potius dilatatio ab irruente ſanguine pendet, licet ob elaſticitatem et vitalitatem in ſanguinem agant, id quod ex impetu ſanguinis, e vena ſecta fluentis, intelligere licet.

p. 71. Iactis nunc indicatis fundamentis, ſuam de circulatione ſanguinis theoriam ſuperſtruit Cl. Auctor, ita quidem, ut poſt traditam utiliſſimi huius inuenti hiſtoriam, omnia vaſa ut ſanguine plena aſſumens, in ventriculo cordis ſiniſtro repleto initium circuli ſanguinis ponat. In illo declarando ad ipſam etiam ſanguinis in arteriis et venis contenti reſiſtentiam reſpiciendum eſt, quippe quae a cordis vi ſuperata partem quandam ſanguinis in venas progredi ſinit, inde tamen cor ſola circulationis cauſa non eſt. Hinc etiam in minimis arteriis ob muſculoſae tunicae defectum nulla contractio, ea enim circulum

p. 84. ſanguinis impediret. Valuularum porro in venis reperiundarum ea non eſt utilitas, ut ſanguinis regreſſum a truncis ad extremitates impediant; in contractione namque auriculae, ſanguis verſus venas non dirigitur, ſed cauere tantum debent hae valuulae ex Cl. Auctoris ſententia, ne inferiorum venarum parietes a pondere ſanguinis, qui in ſuperioribus eſt, diſtendantur, rumpanturque, id quod tamen, niſi denegatum ante ſanguinis renixum verſus extremitates

p. 93. ſupponas, locum vix obtinere putamus. Ad coronarias deinde quod attinet arterias, illas cum reliquis arteriis ſimul in ſyſtole atque diaſtole eſſe, ſequentia probant argumenta. Primo nimirum harum arteriarum orificia poſt valuulas ſemilunares raro collocata inueniuntur, et, ſi etiam illud contingat, id quod anatome docet, ipſae illae valuulae fibras habent transuerſales, quae in ſyſtole cordis rigidas illas reddunt ita, ut inter arteriae parietem et valuu-

lam

lam ſegmentum relinquatur, in quo ſpatio ſanguis eſt, qui, dum contra premit, ut ſurſum ductae valuulae cum arteriae pariete in parallelo ſitu ſint, efficit. Et, ſi haec dicta non eſſent, ſubito tamen et ex inſtanti lateri arteriae apprimi ex eo non poſſunt valuulae, quod ſanguis ſucceſſiue ex corde in aortam influit et pedetentim in ipſo hoc vaſe cedit, hinc ſemper aliquid ſanguinis coronarias ingredi poteſt. Semel certe applicatae his oſtiis valuulae nunquam in priſtinum ſitum redirent, tantum enim in partem earum conuexam reagere non poſſet ſanguis coronariarum arteriarum, quantum agit ſanguis aortae, ſe contrahentis in concauam valuularum ſuperficiem impulſus. Cor denique totum nunquam ſimul agit, ſed ſemper ex parte, ergo nec ſyſtole eius arterias haſce comprimere valet. Sanguinis porro p. 98. celeritas in arteriis ubiuis eadem eſt, omnia namque vaſa minora ſeu extremitates arteriarum ſanguineae, quae unam eandemque utilitatem praeſtant, ubique eiusdem capacitatis ſunt, ita, ut idem ſanguis eadem impulſus vi in iis moueatur. Errant itaque BOERHAAVIVS et illi, qui diuerſum ſanguinis motum pro ratione differentium ſanguinis particularum in arteriis ſtatuunt. Eſt interim quaedam celeritatis differentia, quae vero a numero atque capacitate ramorum pendet. In anguſtis arteriarum extremita- p. 108. tibus ſanguis reſoluitur, dicta vero haec reſolutio ſenſim ſenſimque fit, pro ratione tranſitus ſanguinis per vaſa anguſta, frequentioris aut tardioris in breuioribus vel longioribus arteriis. Ex iisdem his in- p. 111. dicatis cauſis ſequitur, ut ſecretiones continuo fiant, et tempus, quo ſanguis ſemel per totum corpus tranſit, accurate ſatis determinari nequeat. Quamuis enim ſexaginta ſanguinis libras undecies et $\frac{4}{5}$ vicibus in una hora in corpore circumire ex ventriculi ſiniſtri capacitate, ex qua illum octodecim drachmas continere aſſumitur, colligere cum Cl. Auctore poſſimus,

ſimus, dicta tamen haec ratio quantitatem tantum eam ſanguinis concernit, quam homini adulto ineſſe praeſupponimus, minime vero ſingulorum, qui circumeunt, humorum reditum ad cor indicat, id quod, in circulationis periodo deſcribenda, a phyſio-
p. 112. logo exigitur. Ex pulſuum doctrina, quam Cl. Auctor hactenus dictis ſubnectit, unicum tantum et praecipuum illud notamus momentum, inaequalis nimirum ſic dicti pulſus duplicem eum conſtituere ordinem, bonum, qui vim vitae increſcentem, et malum, qui eam imminutam indigitet. Ipſe ſanguis, dum per corpus circumit, rareſit, id eſt, par-
p. 118. tes eius in minores ſoluuntur. Requiritur vero ad ſanitatis conſeruationem ſanguis condenſatus, alias enim circulus eius perturbaretur. Hoc in pulmone fieri debere, ex eo iam colligi poteſt, quod dexter cordis ventriculus duas drachmas ſanguinis plus quam ſiniſter contineat, hinc in unico minuto primo 168 drachmas proiiciat, quae a ſiniſtro recipi non poſſent, niſi prius ſanguis condenſetur. Calor, quod condenſationem ſanguinis impedit, imminuendus eſt, ea tamen ſola eius imminutio in corpore noſtro locum habet, qua abeunt in ambientia corpora igneae partes idque ex omni maſſa ſanguinis breui tempore, conſtanter et ſufficienter, quamuis et ratione temporis et ratione ſubiecti hic diſceſſus variet. Omnes hae dictae conditiones adſunt in pulmonibus, et ſanguis in eo refrigeratur; aer enim in pulmonibus ſolis mouetur et calidior etiam in exſpiratione ex iis egreditur. Motus huius cauſa in parietibus pectoris alterne motis et in aere intra pleuram et pulmones
p. 129. haerente, quaerenda eſt. Quae de mechaniſmo, reſpirationem efficiente, et ulteriori horum aſſertorum demonſtratione hic proponuntur, ex eo hic relinquenda eſſe putamus, quod ex aliis iam, de hoc argumento publicatis, ſcriptis, Cl. Auctoris ſententia lectoribus noſtris iam cognita ſit et, retractata tan-

tum

tum iterumque defenſa hic inueniatur; unicum illud hic tantum notantes, ſimultaneam intercoſtalium muſculorum actionem, a Cl. Auctore continuo negatam § 263, alio loco § 284. eum iterum admiſiſſe. Aeri pulmones inter et pleuram haerenti egregium etiam hunc uſum tribuit Cl. Auctor, ut omni pulmonum extenſioni cedens et expanſus, in ampliori reddito pectoris cauo rarior fiat et minus elaſticus, uſque dum, ad ſummum expanſo in pulmone aere, elaſticitatem iterum recuperet, et inde exſpirationem inſimul iuuet. Ipſum tamen hunc, in pectoris cauo haerentem, aerem inſpirationis quidem tempore non rarefieri et elaſticitate ſua ex parte priuari, pulmonibus potius cedentem, ab iis comprimi et reſiſtentem magis atque elaſticum euadere debere, opinamur, in primis, cum illum inſpirationis tempore rarefactum exſpirationem ſubſequentem iuuare poſſe, probabile nobis non videatur. Cum porro in exſpiratione quaedam ſemper remaneat in pulmonibus aeris particula, ea vero calida ſit, ut ſanguis a nouo frigidiore aere poſſit refrigerari, aſſumit Auctor, durante inſpiratione in altera bronchiorum et tracheae parte, calidum a praecedente inſpiratione relictum, aerem adſcendere, frigidum contra atque elaſticum illius, quae nunc eſt, inſpirationis, in altera vaſorum aeriferorum parte deſcendere et cellulas pulmonales replere, duplicem vero hunc aeris motum a conica canalium figura, a calidi aeris prae frigido ſpecifica leuitate, aſperae denique arteriae et bronchiorum ſitu adiuuari. *Sed quid communem hanc et patulam aeris viam diuidat atque calidiori aeri egreſſum, dum inſpiramus, per laryngem concedat, nos nondum intelligere profitemur.* Aerem ipſum ſanguini in pulmonibus non admiſceri, per valida ſatis argumenta confirmatur, ſalinarum tamen atque ſulphurearum, quae aeri inſunt, partium, quasdam cum ſanguine poſſe miſceri, ex eo

p. 157.

p. 165

 ſtatuitur,

ſtatuitur, quod hae particulae ex vi inſita agunt, facileque adhaerent lymphae et per vaſa, lympha repleta, ad ſanguinem inde deferri poſſunt, absque eo, ut lympha in vaſa iterum redeat. Neque demum ſanguinem atque chylum in pulmonibus atteri, comminui atque reſolui credendum eſt, praeter id enim, quod aequabilis ſit eius motus per pulmones, aeris etiam efficacia cordis vi maior non ſit, ſanguis arterioſus venoſo denſior et leuamen, a reſpiratione citatiore in aeſtuante calore atmoſphaerico obſerp. 167. uatum, huic reſolutioni contrariantur. Secretionis in capite ſexto tradita, ex legibus adhaeſionis ab Auctore declarata hiſtoria, ad eas pertinet doctrinas, quae ampliorem paulo enumerationem poſtulant. Omnis corporis humani pars integra ad capitis vel trunci cauitates, alio quocunque modo, quam quod ſit paries, referenda et ab aliis connexis qualitatibus ſenſibilibus diuerſa, viſceris nomine venit. Secretio vero ipſa in ſeparatione quarundam partium fluidarum, inter ſe homogenearum, ex alio fluido heterogeneo conſiſtit. Communes viſcerum ex ſanguine ſecernentium conditiones eae ſunt, ut vaſa ſanguifera numeroſa habeant, quae et ante ingreſſum et in ipſo viſcere in ramos ſemper minores diuiſa, cum truncis diuerſos, pro viſcerum varietate, efforment angulos, rami vero omnes ſimul ſumti ipſis truncis plerumque capaciores ſint. Praeter venas porro atque neruos ex omnibus viſceribus ſecernentibus prodeunt alia, liquorem ſecretum vehentia vaſa, quae cum minimis eundem liquorem vehentibus viſceris canalibus continua, mediantibus illis cum ſanguiferis vaſis cohaerent. Durities tandem viſcerum, hinc fibrarum, quae ea conſtituunt, ſpecifica grauitas, a carnium oſſiumque duritie diuerſa, ita ſe habet, ut, quo magis fluidum ſecretum eſt ſpecifice graue, eo maior quoque ſit grauitas ſpecifica partium minimarum ſolidarum viſceris ſecernentis, mi

nimum

nimum circa locum ſecretionis; et ſimili inſuper ratione vaſa, fluidum ſecretum vehentia, quoad grauitatem ſpecificam ſeu denſitatem, a ſanguiferorum denſitate diuerſam ſe habeant. Maior denique accedere debet ſanguinis copia, quam quae ad nutritionem viſceris pertinet. Fluida ſecernenda aliis, ex quibus ſecernuntur, admixta ſunt, hinc, quo particula poſt particulam ſecerni poſſit, vaſa ſecernentia anguſta requirunt, in primis cum amplitudo eorum adhaeſioni contrarietur, inde et diuiſionis vaſorum in ramos neceſſitas. Anguli in maioribus ramis alii ſunt, alii p. 173.
in minoribus; in maioribus, quo maior eſt angulus, eo magis retardatur fluidum, a motu vero progreſſiuo mutato inteſtinus quoque mutatur, inde et reſolutionis et unionis varius gradus prouenit, in primis, ſi proportio diuerſa eſt partium fluidum heterogeneum conſtituentium. Motus, quo fluida ſecernenda ex vaſis ſecretoriis tranſeunt in ſecernentia, eſt compoſitus, partim ex vi cordis et arteriarum maiorum, ſecundum directionem vaſis, in quo haeret fluidum, partim ex cohaeſione particularum ſecernendarum cum parietibus vaſis ſecretorii, hinc motus eſt diagonalis paralelogrammi; celeritas motus progreſſiui etiam a varia capacitate ramorum ſimul ſumtorum mutatur. His cauſis, retardantibus mo- p. 177.
tum progreſſiuum, accedit anguſtia extremitatum vaſorum, ab iisdem praeter ea impetus fluidi in vaſa imminuitur, varia namque motus progreſſiui in vaſis ſecretoriis celeritas eſt concauſa ſecretionis. Cum porro cohaeſio ad parietes, ut altera ſecretionis cauſa, per cohaeſionem particulae cum fluido reliquo imminuatur, ſequitur, vim, qua particulae fluidi in vaſa ſecernentia abeunt, admodum eſſe exiguam. Quo longius procedit vaſis ſecernentis ſubtilitas atque anguſtia, eo magis ſecretio impeditur, hinc vaſa ſecernentia breuia eſſe, vel ſi longa ſunt, eorum diameter creſcere debet, id quod fit, dum plura

 vaſa

p. 178. vaſa ſecernentia in unum coeunt. Prae reliquis autem ad variam viſcerum vaſorumque ſecernentium duritiem reſpiciendum eſt, quippe quae a cohaeſione partium ſolidarum pendet et fluidarum adhaeſionem ita determinat, ut partes fluidi ſolidis ſpecifice grauioribus aut aequalibus ſaltim adhaereant, diuerſo tamen gradu modoque, ſpecifice vero grauius fluidum non adhaereat ſpecifice leuiori ſolido. Adhaeſio dicta quo contingat, interior ad minimum canalis ſecretorii tunica ſpecifice grauior ut ſit, ſufficit, creſcere certe atque decreſcere debet viſceris ſecernentis ſpecifica grauitas, cum grauitate ſpecifica fluidi ſecreti, non tamen in ratione aequali, alius namque, praeter ſecretionem, viſceri proprius eſt uſus.
p. 183. Variam vero eſſe partium corporis animalis ſolidarum ſpecificam grauitatem, ipſa iam docent, in foetu aeque ac adulto inſtituta, experimenta, ex quibus patet, maximam ſolidarum particularum copiam in hepate, minorem in renibus, minorem adhuc in glandulis, minimam vero in cerebro deprehendi, et, ſimili etiam ratione, humorum plerumque grauitatem decreſcere.
p. 191. In omni itaque ſecretione, ad cohaeſionem particularum ſecernendarum cum parietibus vaſis ſecernentis, ad adhaeſionis gradus, ob variam viſcerum duritiem diuerſos, et ad cauſas denique negatae adhaeſionis, ex ſpecifice maiore fluidarum partium grauitate prouenientes, reſpiciendum eſt. Minime vero in adhaeſione ſola, ſecretionis ratio quaerenda eſt, impetus potius diuerſus ſanguinis, a corde proueniens, vaſorum ſecretoriorum ſecernentiumque directio varia, ſecernentiumque diſcrepans apertura, ut concauſae accedunt, et omnes ſimul
p. 201. ſumtae conſiderari debent. Tria momenta in omni ſecretione conſiderari oportet. Praeparari primo omnium debent fluida ad ſecretionem, diuidi nimirum atque reſolui partes eorum maiores in minores, vel minorum non nullae in unam moleculam coniungi,

gi, quorum utrumque per inteſtinum humorum motum perficitur. Tranſeunt ſecundo partes, ad ſecretionem aptae redditae et in ſecretoria vaſa delatae, in ſecernentia vaſa, id quod ob contactum, adhaeſionem grauitatemque ſpecificam earum euenit. Motus tandem ſecreti fluidi conſiderandus venit; dependet ille a cohaeſione liquidi ſecreti cum parietibus vaſis cui ineſt, a pondere eiusdem atque contactu in extremitate vaſis ſecernentis cum alio corpore ſpecifice grauiore vel aequali, ab impetu nouarum, quae ſequuntur, particularum ſecernendarum, a vi plerumque externa in parietes ſecernentis agente, ut motu muſculari, aere interdum moto atque elaſtico.

His fundamentis innititur ſecretionis hiſtoria, quam in ſequenti capite, per partes eundo, variis, quae in corpore noſtro fiunt, ſecretionibus applicat Cl. Auctor. Ex his, cum ſequi eum ob rei amplitudinem nobis non conceſſum ſit, hinc inde quaedam decerpere liceat. Sanguis ad cerebrum, celeri p. 207.
tate et impetu imminutus accedens, ex mente Auctoris, per glandulam pituitariam depuratur, quippe quae, cum durior ſit reliquis glandulis, craſſiores vel ſpecifice grauiores particulas ſecernit, quae deinde, per infundibulum ad ventriculos venientes, a plexus choroidei vaſis venoſis iterum reſorbentur. Aeque vero minus probatum nobis videri retrogradam hancce viam notamus, quam illa, ab infundibulo ad glandulam ab aliis phyſiologis ducta, culta atque naturae conueniens eſſe videtur. Neruoſis medulla- p. 212.
ribus vaſis ut cauis, licet minimis, leuiſſimae tantum et ſubtiliſſimae ſanguinis partes adhaerent; ſulphureis vel aequales vel grauitate ſpecifica leuiores. Fluidum nerueum mouentes cauſae fortiores vel ſal- p. 215.
tim magis conſtantes in cerebello, quam in cerebro deprehenduntur; ex maiori namque in cerebro, ex corticali proxime abeuntis, medullae quantitate vero ſimile fit, in eo filamentorum nerueorum radices ſim-

 plices

plices eſſe, in cerebello vero magis compoſitas, ita, ut una etiam nervi, in cerebello oriundi, radice compreſſa per alteram adhuc quicquam ſecerni poſſit. Spirituum reditus ad cerebrum ex figuratae medullae terminis, in ventriculis, thalamis, fornice aliisque probabilis eſſe videtur Cl. Auctori, quamuis ſimilem illi nobis habere videantur utilitatem iſti, quae in anfractibus corticalis ſubſtantiae poſita deprehenditur, maiorem nimirum atque collectam et ordinatam ma-
p. 221. gis medullarium faſciculorum copiam. Pars corporis animati, ſaepiſſime lente minor, in omnibus ſuis partibus ſibi homogenea, nunquam in ſtatu naturali rubra, conſiſtentia cerebro paulo tantum durior et peculiari membrana obducta, glandula ſimplex ſeu conglobata veterum, ex ſimplicibus vero eiusmodi compoſita, maiori interdum duritie per membranas connexas praedita, compoſita ſeu conglomerata veterum eſt. Hae glandulae, ſubtilia quidem, ſed ob duritiem cerebro maiorem, ſpecifice grauiora liquida ſecernunt, quae in ipſis, in glandulis circumductis, vaſis denuo mutantur. Triplex itaque glandularum ſimplicium aeque ac compoſitarum eſſe videtur officium, primo nimirum ex ſanguine ſecernunt fluidum ſeroſum, illud deinde in tenuius mutant, et ex hoc tandem maxime homogeneas partes ſepa-
p. 224. rant. Glandulae, ratione duritiei colorisque differentes, ratione liquidi, quod ſecernunt, ſextuplicis generis ſunt, halituoſae nimirum, mucilaginoſae, ſaliuales, pituitoſae, ceruminoſae atque ſebaceae.
p. 242. Triplicis itidem generis humor eſſe videtur, qui absque glandularum mechanismo ſecernitur, ille primo, qui interiores cauitates maiores humectat, et qui per vaſa lymphatica tranſit, mucus deinde, qui viſcerum et inteſtinorum parietes inungit, tertio tandem pin-
p. 252. guedo. Tunica vaginalis teſticuli, membranacea peritonaei productio, motus vero ſanguinis, ad teſticulum delati, tardus admodum eſt. Seminis ſecretio,

eo

eo redit: Vaſa teſticuli, ut mollia et leuia, fluidum ſpiritibus, in cerebro ſecretis, parum vel minus ſpecifice grauius, heterogeneum tamen ſecernunt, vaſa lymphatica, non ex arteriis, ſed ex vaſculis teſticuli ſecretoriis, orta, dum tenues partes abſumunt, craſſum magis reddunt ſecretum liquidum; illud deinde admiſti in ſecernentibus vaſis ſpiritus animales reſoluunt et ſalia eius volatilia liberant, ita, ut ſperma viſcidum quidem ſit, urina tamen leuius et minus quam pituita cohaerens, odore peculiari praeditum. De tranſpiratione atque ſudore dum agit noſter, SAN- p. 260.
CTORII et KEILII theſes diſquirens, vim propellentem perſpirabiles partes in vaſa excretoria, non quidem in cordis efficacia, ſed in partium perſpiran- p. 276.
tium vi concreata potiſſimum ponit, in earum nimirum adhaeſione et penetratione in vaſa capillaria, ob ſpecificam liquidi ipſius leuitatem, quae quidem adhaeſio in tranſpiratione vi cordis propellente maior eſt, in ſudore vero ab hac ſuperatur. Aeris etiam efficacia in excretione concurrit, quippe qui vario modo in delatos ad cutim perſpirantes humores agit, dum eos ſoluit, mouet, iis adhaeret et a cuticula ſeparat. Copia particularum prodeuntium, earum vi- p. 279.
ſciditas, aeris ad recipiendos vapores ineptitudo, cutaneorum vaſorum dilatatio, ſudoris profluentis cauſae ſunt. Reſorptionis vero per vaſa cutanea duplex p. 282
tantum poteſt eſſe cauſa, vel vis externa premens, vel penetrantis particulae adhaeſio, priorem, in aere tantum quaerendam, parui admodum habendam, hinc ad adhaeſionem in primis reſpiciendum eſſe, et eam non omni quidem tempore, per eadem tamen, per quae tranſpiratio fit, vaſa euenire monet, eo in primis in caſu, ubi perſpiratio debilis eſt; hinc humidas prae reliquis, deinde et alias, mercuriales etiam diuiſas, aereas vero vix ac ne vix quidem, humoribus in cute adhaerentes particulas, reſorberi poſſe ſtatuit. Neque ad partes, infra cutim haeren-

 tes,

tes, via breuiſſima penetrant reſorptae partes, igneis forte exceptis, ſed in venas tranſeunt et humoribus,
p. 289. redeuntibus ad cor, admiſcentur. Corticalis renum ſubſtantia ex vaſis conſtat tortuoſis, ita, ut lente humor in iis procedat, qui ſanguis non eſt, quippe qui mox in venas redit; urina itaque, ut fluidum graue, a ſpecifice leuiori, qui in venas recedit, humore ſeparatur, dum ſpecifice grauioribus et amplis ſatis BELLINI tubulis, fortius quam ille, adhaeret. Secreta deinde partim, a cauſis renes ambientibus propellitur, partim ex adhaeſione ad peluim, denſis et ſpecifice grauioribus ex fibris compoſitam, ſubſequentes etiam urinae partes inſimul ex tubulis eandem ob rationem protrahuntur.
p. 300. Venae portarum ſanguis, heterogeneus et venoſus, minus ſeroſus quam arterioſus, magis tamen ſpirituoſus eſt. Motus eius, quem non nulli, ob actionem muſculorum reſpirationis, augeri ſtatuunt, ob iunctim ſumtas huius venae radices, ampliores ipſis meſaraicis et coeliacis ſimul conſideratis arteriis, et reſiſtentiam ſanguini, in harum arteriarum extremis obortam, tardus omnino eſt. Non in omnibus tamen huius venae ramis, ob diuerſum radicum eorum ſitum, variamque arteriarum, in eos deſinentium, denſitatem et aperturam, eadem eſt celeritas, aucta v. c. in ſplenicis, tardior contra in haemorrhoidalibus ramis, idque ob praeparationem fluidi heterogenei ad futuram ſecretionem; congeſtus namque ſic praeparatus ſanguis, in trunco venae portarum miſcetur, et retardato ſemper motu per hepar procedit. Licet vero dubia adhuc res ſit, num ſanguis ipſe ad acinos hepaticos tranſeat, illi tamen ſecernentia vel ſecretoria porrigunt vaſa, quae anguſta admodum et den-
p. 308. ſa ſunt. Duplex praeter ea hic loci fieri obſeruatur ſecretio, prima ex ſanguine in acinos, altera ex humore iam ſecreto in vaſa lymphatica ex acinis pro-
p. 310. deuntia. Bilis ex eo ad cyſtidem facile quidem abit,

quoni-

quoniam ductus choledochus, quoad $\frac{1}{8}$ ſuae longitudinis, duodeni tunicis contiguus, ſemper ab aere in duodeno haerente ſit compreſſus, hinc bilem demum poſt ſuperatam vim comprimentem in inteſtinum demittat. Amara ob quietem, in cyſtide facta bilis, ob muſculoſae veſiculae tunicae contractionem, pondus in ſitu corporis ſupino et vim externam comprimentem expellitur.

Iisdem, quas in ſecretionis theoria adhibuerat Cl. Auctor legibus, nunc nutritionis, ut ſpeciei ſecretionis, explicationem ſuperſtruit, cuius primaria momenta haec ſunt: A paruo principio ſenſim creſcit p. 317.
homo et ratione molis, ſecundum omnium menſurarum directiones et ratione ponderis; pondera vero non in eadem ſemper qua magnitudines increſcunt ratione, idque ex eo potiſſimum, quod cauitates atque pinguedo, ut pars ſpecifice leuior, augentur, aut quod cauitates non aeque ac ſolidae partes creſcunt. Per appoſitionem particularum inſenſibilium homogenearum facta corporis mutatio, incrementum, longitudo poſt ea eadem, craſſities vero aucta, vel idem per tempus corporis habitus, ſtatus appellatur. Augetur craſſities vel in tunica celluloſa vel in fibris muſcularibus, a fluido caua replente, quo ipſo fibrae euadunt craſſae magisque cohaerentes, et inter ſe concreſcunt, vel loco ſpecifice leuiorum particularum grauiores recipiunt. His cauſis continuantibus, fibrae fiunt rigidae, et corporis inde obſeruatur decrementum. Actiones itaque corporis humani, quibus partes ſolidae in re aliqua creſcunt, nutritionem conſtituunt, quae ſi contingere debet, ſtructuram ſemper ſupponit. Eſt itaque, ſi de in- p. 324.
cremento dicendum eſt, in ouulo rudimentum hominis, minima vi cohaerens, fere fluidum; a fluidis expanſis, expanduntur vaſa et fibrae eorum; in interſtitia itaque fibrarum, particulae fluidorum ex adhaeſione penetrant, easque creſcere faciunt; nec

 opus

opus eſt glutine, cum ſola naturalis cohaeſio ſuffi-ciat. Cum porro particula, quoad grauitatem ſpe-cificam, fibrae partibus aequalis, facilius magisque adhaereat, quam ſpecifice leuior, ſequitur, quod nutritio fiat per partes homogeneas, et inde inſimul phyſicum robur adaugeatur. Hoc ipſo cum incre-mento fibrarum aucto, vaſorum etiam capacitas cre-ſcit, et ut copioſiora fluida in ea penetrent efficit, hinc fluida minori ſemper vi propelluntur, reſol-uuntur et ad nutritionem adaptantur, ita, ut cauſae nutritionis ſemper decreſcant, et incrementum in ra-tione decreſcente continuet. Nec ſanguis neque eius ſerum, ob globulos, quos habet maiores, ad nutri-tionem aptum eſt, ſed requiritur humor per fluidum
p. 328. nerueum reſolutus. Proueniens porro, ab elaſtici-tate fibrarum et diametro vaſorum maiorum auctis, parcior ſenſim nutritio et corporis decrementum, a defectu humorum tenuiorum, et minimorum vaſo-rum, ob compreſſionem vel viſcedinem fluidorum, vel nimis denique euacuatos humores contingente concretione ſemper augetur, ita, ut dum maiorem reſiſtentiam obtinent fibrae, extenſio earum primo in longitudinem, ulterius locum non habeat, licet
p. 331. robur ſemper adhuc adaugeatur. Nutritio ipſa ita debet concipi, ut homogeneae partes nutrientes ae-que ac nutriendae, ex heterogeneis conflatae ſint, et pro varia, eas conſtituentium particularum natura, variis et competentibus quidem locis adhaerentes, diuerſas partes, os v. c. carnem et alias conſtituant, ita tamen, ut partes, quae a prima delineatione maius iam habent robur, ut oſſa, citius etiam in longitu-dinem creſcere deſinant, et idem etiam de incremen-to in latitudinem valeat.

Ex iis, quae ſuperſunt capitibus, ſequentia tan-
p. 340. tum in praeſenti annotare licet. Mineralia pleraque ex eo, quod grauitatem ſpecificam, fibris noſtris maiorem, habeant, ad reſtitutionem partium amiſ-

ſarum

ſarum inepta ſunt. Depreſſio maxillae inferioris a digaſtrici muſculi actione magis et rectius declaratur, quam a platysma myoidis actione. Dum vero hunc muſculum, oſſi hyoideo per ligamentum, non vero mediante trochlea adhaerere ſcribit Cl. Auctor, hanc iterum ſententiam derelinquere videtur, dum per annulum membranaceum illud fieri tradit §. 1260. Ex eo praeter ea, quod maſticatio ut trituratio conſideretur, dentium inciſorum officium, ſeu morſum, hic non explicatum deſideramus. Potulenta, quintuplici modo aſſumuntur, dum 1) ſorbillamus, 2) ſugimus, 3) ordinario modo bibimus, 4) vaſis extremitatem totam ori immittimus, 5) fluidum denique, inſtar riuuli in os recipimus, qui ſinguli bibendi modi, fuſius ab Auctore explicantur. In digeſtione, calor ſeu particulae igneae, ex adhaeſione in aſſumta agentes, aer elaſticus et fluida admixta, multum valent, trituratio vero ciborum, ne quidem inter villos ventriculi locum habet; clauditur tandem poſt repletionem cardia, extenſione ligamenti HELVETII. Albus chyli color ex eo exſurgit, quod ob acceſſum bilis et pancreatici liquoris, ulterior fiat chymi et pinguium, quae ipſi inſunt, partium reſolutio atque miſcela; lacteum enim colorem obtinet mixtum, ſi ad oleoſum liquidum, liquor ſalino aquoſus accedit; ſaporis dulcis, qui chylo eſt, geneſis, ex pinguium et acidarum particularum praeſentia in chymo explicatur, dum omne dulce acido ſulphureum eſſe deprehenditur. Magis adhuc reſoluitur chylus in glandulis meſaraicis, quippe quae ſpirituoſum liquorem ſecernunt, et chylo admiſcent. Valuulae autem vaſorum lacteorum regreſſum chyli non impediunt, ſed, cum magna chyli copia in longioribus et anguſtis inſimul vaſis, ex pondere facile agere, hinc, rectam canalis fibram extendendo, ipſum canalem incuruare atque diſtendere poſſet, cauent atque efficiunt, ut breues tantum longioris eius modi vaſis

p. 347. p. 354. p. 368. p. 389. p. 397. p. 400.

p. 409. vaſis ſectiones expandi queant. In admixtum porro ſanguini chylum, inque eius partes ſulphureas atque terreſtres agunt ſalia, in chylo et ſero contenta, aeque ac ſalia diuerſa in ſe inuicem, ſulphureae partes reſoluuntur, ſalinae vero et igneae liberantur; igneae in pulmonibus in aerem tranſeunt, hinc ſalia concentrantur, aqueae partes ſecernuntur, ſulphureae denique chyli partes inde homogeneae magis fiunt, contrahuntur in globulos, acquirunt aliam ſpecificam grauitatem, aliam pororum diſpoſitionem, ob quam reflectunt radios, ſeu ſanguineos globulos
p. 430. ſiſtunt. Lympha halituoſa, forte in ipſis etiam internis laminarum omenti ſuperficiebus ſecreta, ab affrictu eas, ita ut ipſum omentum inteſtina, defendit. Ne vero haec lympha per venas omenti reſorbeatur, quarum ſanguinem, ut ad bilificationem concurrentem, lymphaticum eſſe non decebat, ſaccus omenti circa venam cauam aperturam habet, per quam haec lympha ad alias peritonaei partes defertur,
p. 436. quarum venae ad hepar non abeunt. Modus ſenſationis in uniuerſum ita poteſt concipi, ut, dum obiectum ea vi in partem quandam corporis agit, qua neruus in iſta parte premitur, parietes nerui cedant, et fluidum contentum premant, illud deinde verſus cerebrum tendat, ita quidem, ut quilibet neruus peculiare in cerebro punctum afficiat, anima tandem hanc ſpirituum actionem in ultimo nerui puncto percipiat, et abinde ad corpus agens, et eius qualitates, ex actione concludat, quamuis nec locus ubi, neque modus, quo anima ſpirituum actionem co-
p. 453. gnoſcit, diſtincte intelligatur. Fames ingrata eſt perceptionis ſpecies, a glandularum ventriculi irritatione et extenſione, a liquore viſcido et ſubacido,
p. 460. vel ſalſo ad acidum tamen accedente, orta. Sapor in omni ſuperiori ſuperficie linguae, diſtinctus magis in apice, excitatur a ſalibus papillis adhaerentibus, non vero ad nerueam uſque earum ſubſtantiam

pene-

penetrantibus. Odoris ſenſus in ſinubus non fit, p. 478.
aer enim ad eos ob clauſa et anguſta orificia non penetrat, ſed humidum tantum ſecernentes ad ſenſum illi faciunt. Mutationes in corpore ab odoratis rebus obſeruatae, praeter alia, ex eo etiam intelligi poſſunt, quod tunicam pituitariam meningum cerebri propaginem eſſe ſtatuat Cl. Auctor, qua irritata nerui etiam omnes irritantur. Cryſtallina lens p. 485.
parum ad formationem imaginis, ſed ad viſus tantum perfectionem confert, primaria namque refractio in cornea fit. Vueae fibrae, non muſculoſae, ſed ela- p. 505.
ſticae tantum ſunt, animae namque imperio non ſubſunt, neque ad actiones vitales pertinent. Muſcu- p. 516.
lorum obliquorum oculi actio, non in rotatione eius, ſed in appreſſione oculi ad latera orbitae interna, et in elongatione humoris cryſtallini a retina conſiſtit, ultimam namque hanc actionem, ciliares proceſſus non praeſtant. Lacrymae porro abſque preſ- p. 526.
ſione palpebrarum, ex adhaeſione, in ſua puncta, tanquam in tubos capillares abeunt, nec cilia radios p. 530.
lucis reflectunt, ſed eos tantum incuruant et magis inflectunt. Illius tandem phaenomeni, quod nihil p. 536.
in eo oculi loco percipiamus, in quo opticus neruus in retinam expanditur, ea eſt ratio, quod a retinam feriente imagine diſtinguere non valeamus illam, quae neruum ingredientem ipſum tangit. Aer per tubam p. 564.
EVSTACHII exire equidem, non vero intrare in aurem per eam poteſt, quoniam collapſi membranoſi eius parietes ab aere magis comprimuntur, per hiatum vero RIVINI, in vitulis ad minimum inueniendum, illud fieri poteſt. Aer in veſtibulo, exteriori magis elaſticus, cauet, ne baſis ſtapedis foramini ouali continuo inhaereat. Muſculi denique p. 572.
oſſiculorum auditus voluntati ſubiecti ſunt. Muſculi p. 583.
omnes in actione conſtituti non pallent, a corde enim, de quo ſupra diximus, ad reliquos colligere non licet. Summa ſententiae, quam de actione muſculo-

p. 590. ſculorum fouet Cl. Auctor, eo redit: In muſculo agente obſeruatur intumeſcentia atque durities, quae nec a ſanguine neque a ſpiritibus ſolis, aut influentibus aut prementibus, ſed ex fluidorum in muſculo contentorum expanſione dependet. Sanguis rarefit ab aere elaſtico ipſi immixto, dictam vero hanc rarefactionem, igneae particulae, cum nihil in hoc vel illo muſculo agente calorem augeat, efficere non poſſunt, ad ſpiritus itaque animales recurrendum eſt, qui ſanguini vel ſero commixti, horum fluidorum globulis adhaerent, in eos penetrant, aeris iis admixti cohaeſionem et reſiſtentiam minuunt, et inde turgeſcentiam ſanguinis vel ſeri, et per hanc muſculorum craſſitiem atque duritiem producunt. Edunt vero ſpiritus dictum huncce effectum, per agitationem corporis externam, et per nouum eorum affluxum. Cum vero in cauum fibrae muſcularis hiet neruus, momentanea illa, qua opus eſt, fieri poteſt turgeſcentia et rarefactio, quae cum non in ſanguine tantum, ſed in aliis etiam humoribus euenire queat, muſculorum etiam, qui albi ſunt, motus explicari
p. 614. poteſt. Muſculi continuo agentes, a reliquis differunt, tam ratione ſtructurae, quod illis tenaciores ſunt, vix emolliendi, quam ratione neruorum, quos a cerebello habent, copioſiori et continuo ſpirituum affluxu gaudentes, inde ob phyſicum aeque ac vitale robur adauctum, ad actiones conſtantes, absque
p. 684. laſſitudine paragendas, reliquis etiam aptiores. Palpebrae in ſomno clauduntur a lympha ſpiſſa et intumeſcentiam producente in glandula lacrymali, a quo tumore eleuator palpebrae ſuperioris comprimitur, orbicularis vero tenſus ad contractionem ſtimulatur. Saliuales glandulae itidem a ſtagnante ſaliua intumeſcunt, unde, tenſo digaſtrico, aperitur maxilla et
p. 692. fit oſcitatio. Tardior cordis motus ſub ſomno, a reſiſtentia in minimis vaſis aucta, prouenit. Per ſomnum lympha attenuatur, non tamen omnis, ſed

illa

illa in glandulis adhuc haeret, unde a neruorum muſculorumque illis contiguorum irritatione, et maiori impetu cordis, poſt ſomnum adhuc oſcitatio et pandiculatio obſeruatur. Compreſſio neruorum, p. 695. extra cranium haerentium, ſomnum inferre poteſt, illud tamen, de narium neruis, a pituita compreſſis, in medium quod Cl. affert Auctor exemplum, rem ipſam vix declarare putamus, ex eo, quod non omnes ac ſinguli narium ſinus, ſub uno eodemque corporis ſitu, ſeſe a collecta et inhaerente pituita liberent, ſed ſinguli, diuerſimode in nares aperti, ſub vario corporis poſitu, euacuationem admittant. Initio capitis, quod generationem hominis tractat, p. 707. inſerta legitur Cl. LIEBERKVHN epiſtola ad Cl. HAMBERGERVM de animalculis ſpermaticis ſcripta. Venae penis non quidem ſub oſſe pubis, ſed inter p. 715. illud et proſtatam compreſſae, erectionem eius efficiunt; dictam itaque hancce compreſſionem non erectores penis, ſed potius veſica urinaria expanſa, veſiculae ſpermaticae turgidae, flatus et feces inteſtinum rectum extendentes, leuator ani, leuator proſtatae SANTORINI, deinde acceleratores et ſpiritus ſanguini admixti, efficiunt. Appetitus venereus, p. 717. a naturali inſtinctu excitatus, praeter remotas cauſas, quibus etiam conſcientiam recti annumeratam deprehendimus, per animalcula ſpermatica adaugeri poteſt, quippe quae, ſi adſunt, motu ſuo aut rodendo ad ſpermatis euacuationem ſtimulant. De ipſo p. 730. conceptu ſi dicendum eſt, delineatum in ouulo praeexiſtere foetum, videtur probabile Cl. Auctori, idque primo ex analogia in palingeneſia plantarum, et arboris Dianae vegetatione chemica, ex eo deinde, quod, animalcula ſpermatica ipſa homines fieri, ſufficienter ſatis demonſtratum non fuerit; ingredi praeterea in ouulum auram ſeminalem, ex maſculino ſemine ad ouarium tantum penetrantem, motum in eo excitare inteſtinum, hinc turgeſcentiam eius et ruptu-

rupturam exterioris membranae, atque deductionem in tubam Fallopianam; fieri ſtatuit; ita tamen, ut hancce ſententiam non ut veram; ſed reliquis magis
p. 747. probabilem proponat. Amnii liquor; in foetu humano non blandus gelatinoſus eſt; ſed ad urinam magis accedit, ipſa itaque fetus urina; per urethram in amnion deponitur; in primis cum alantois deficiat, et urachus raro ad umbilicum apertus ſit. Sunt tamen alii adhuc huius liquoris, qui ante fetus apparitionem in ouulo adeſt atque augetur; fontes, oſcula nimirum vaſorum lymphatico arterioſorum amnii,
p. 760. in eius cauum hiantia. Ab hoc liquore diuerſus humor, in ore; oeſophago atque ventriculo fetus haeret; qui ex thymo et aliis forte glandulis prouenit, nec deglutitur adultorum more; ſed per vaſa adhuc incognita, in unam alteramque cauitatem, aut in ventriculum deuenit, et partim motu periſtaltico ventriculi, partim ob viſciditatem ipſius liquoris nutrientis, partim ob preſſionem in ore; continuo, quamuis lentiſſimo motu; per oeſophagum in ven-
p. 776. triculum deſcendit. Sub finem geſtationis, abſorptus per vaſa venoſa amnii liquor, et continuum eius decrementum, potior ſpasmi uterini hinc partus occaſionalis cauſa eſſe videtur.

Ex tradita hactenus phyſiologici huius ſyſtematis idea, noua multa et copioſe ſaepius diſputata in ipſo hoc opere inueniri, lectores noſtri intelligent. Quamuis enim variae earum, quas Cl. Auctor ponit atque ſupponit theſium, ulteriori adhuc confirmatione indigere videantur, illarum tamen diſquiſitionem in praeſenti ut ſuſcipiamus, nobis non datum eſt, in primis cum ipſam, quam dedit Cl. Auctor, ſententiarum explicationem permultis in locis, ob rei amplitudinem, adiicere non licuerit; ſummam interim doctrinae et rerum propoſitarum normam indicantes, ſcopo noſtro, lectorumque commodo nos ſatisfeciſſe putamus.

XX.

XX.

Philoſophical transactions giving ſome account of the preſent undertaking, ſtudies and labours of the ingenious in many conſiderable parts of the World. London printed for C. Davis. 1751. 4to. No. 494. a pag. 293. ad 402. tab. aen. 2. No. 495. a pag. 403. ad 522. tab. aen. 4. No. 496. a pag. 523. ad pag. 604. tab. aen. 2.

h. e.

Transactiones philoſophicae, quae ſuſceptorum ab eruditis, in variis orbis terrarum partibus, laborum notitiam continent.

Poſt varia eruditorum diaria, in commentariis noſtris conſiderata, omnique cura excerpta, philoſophicas transactiones, quibus ſocietas regia ſcientiarum anglica iam dudum ſcientiam naturalem et medicinam multis obſeruationibus et experimentis illuſtrauit, ſilentio praetermittere non poſſumus, ſed in iis recenſendis initium nunc facimus, eoque magis, cum etiam nunc varia notatu digna contineant. Licet enim obſeruationum tituli in variis diariis indicentur, quaedam tamen ex iis, ſi non omnes, accuratiori examine dignae videntur. Reliquis vero partibus olim editis omiſſis, in ſchediasmate 494. incipimus, quippe quod ſpecimina ianuario, februario, martio et parte aprilis anni 1750 propoſita ſiſtit, a quo tempore nos librorum rariorum recenſiones inchoauimus.

Continet vero no. 494. varias obſeruationes ex antiquitatibus, aſtronomia, etc. nos, reliquis relictis, ex inſtituti noſtri ratione illas tantum indicamus ela-

 boratio-

borationes, quae ſcientiam naturalem et medicinam concernunt. Siſtitur itaque

p. 319. 4) *Deſcriptio aurorae auſtralis Chelſeae* 1749 *d.* 23 *Ianuarii viſae.* Auctore IOH. MARTYN. Phaenomenon hoc coeleſte inter horam quintam et octauam veſpertinam in plaga auſtrali (S. S. W.) vidit Cl. Auctor, colorem luminis rubicundum, eius arcum, radios inde adſcendentes, et ſitum reſpectu ſiderum vicinorum accurate deſcribit, in rationem vero phaenomeni non inquirit.

p. 323. 6) *Obſeruationes quaedam de libella* (Dragon Fly) *Penſyluanica ex literis* IOH. BARTRAM ad PETRVM COLLINSON excerptae. Circa initium Maii inſectum aquaticum inter hexapodas referendum, ex aqua in plantas proximas egreſſum, libellam emittere vidit Cl. Auctor, cuius celere incrementum, nutrimentum, foeminae et maris coniunctionem, ouula in aquas demiſſa, et inſectum aquaticum breui iterum euolutum, deſcribit; ſpecie forte a noſtra libella differt, ſed ratio mutationis eadem. *

p. 325. 7) *Experimenta aliqua ad reſpirationem pertinentia.* Auctore ALBERTO HALLERO. Dubia circa reſpirationem, inter Ill. Auctorem et Cl. HAMBERGERVM oborta, ad duo capita reducuntur. 1) Num muſculi intercoſtales interni eleuent coſtas, an deprimant? 2) an aer elaſticus reperiatur intra pleuram et pulmones? Ad primam quaeſtionem explicandam ſequens deſcribitur experimentum. Cani religato cutis et muſculi pectorales in ſuperiori potiſſimum parte remoueantur, et tantum de intercoſtalibus externis reſecetur, quantum ad obſeruationem actionis internorum requiritur. Si tunc alterum pectus foramine pertunditur, vel vulnus alcohole tangitur, canis vehementius reſpirat; obſeruabimus itaque, in inſpiratione coſtarum interualla quam proxime ad ſe inuicem

* vid. REAVMVR Hiſtoire des Inſectes. Tom. VI. Commentario XI.

cem accedere, muſculos internos laborare vehementer, tumere, dureſcere, coſtas adſcendere omnes, prima excepta, quae tantillum mouetur, rotari omnes circa punctum imaginarium, quod eſt in appendice cartilaginea haud longe a ſterno, ita, ut coſtae pars ſterno commiſſa deſcendat, pars a ſterno remota adſcendat, et extrorſum vertatur. In exſpiratione deſcendunt coſtae omnes iterum, prima excepta, quae parum nutat, interualla, in vehementi exſpiratione, longiora fiunt et tenduntur, quieſcunt vero interni muſculi. Ad alteram quaeſtionem declarandam ſumatur animal quodcumque viuum aut mortuum, mergatur ſub aqua, et pleura pertundatur, pulmone illaeſo; cum nullae apparuerint in ullo experimento bullae, concludi inde poteſt, nullum adeo elaſticum aerem inter pleuram et pulmonem eſſe.

9) *Catalogus quinquaginta plantarum horti chelſeani ſocietati regiae, ex inſtituto Dn.* HANS SLOANE* *a pharmacopoeorum ordine ad annum* 1747. *exhibitarum per* IO. WILMER. Sunt nomina ſpecifica plantarum alphabetico ordine diſpoſita, ex variis auctoribus depromta. p. 331.

10) HENRICI MILES *epiſtola ad* HENRICVM BACKER *de mucore viridi, in ligno ad uſus domeſticos depoſito, nato, addita obſeruatione Dn.* BACKER *de ſubtilitate ſeminum quarumdam plantarum.* Mucorem illum, cortici ligni adhaerentem, congeriem fungorum eſſe, optimo microſcopio detexit Cl. Auctor. In his caput ſphaericum pedunculo inſiſtit, ſeminaque p. 334.

 que

* Inſtituti ratio exponitur Philoſ. Tranſact. no. 376. art. I. Societas enim pharmacopoeorum ex legato dicti viri obtinuit hortum ea lege, ut culturae plantarum medicinalium ſemper deſtinaretur; in cuius rei teſtimonium etiam quotannis 50 plantae, quae in horto floruerunt, ſocietati regiae offerri debent, uſque dum 2000 plantarum exhibita ſint.

que ouata et maiora, quam in muſco communi inueniuntur. Speciem paruulorum horum fungorum non definit, ſed tantum cum MICHELLI fungidaſtro et mucore, nec non cum illa, ab HOOCKIO in micrographia delineata, comparat Cl. Auctor. Illud tamen ipſi attentione dignum videtur, quod plantula, non niſi microſcopio cognoſcenda, maiora ſemina habeat, quam muſcus magnitudine ſatis conſpicuus. Obſeruatio Dn. BACKERI volumen horum ſeminum accuratius definit, et ſimul varia exempla producit, ex quibus apparet, plantas maiores ſemina parua, minores vero maiora habere.

p. 340. 12) *Obſeruationes de viis ſeminis* Auctore ALBERTO HALLER. Prima obſeruatio concernit epididymidis fabricam, quae per vas deferens caute repleta, unicum canalem, in omni ſua longitudine complicatum, et ab inferiore ad ſuperiorem teſticuli partem adſcendentem, oſtendit. Caput ipſum epididymidis aliam fabricam ſiſtit, ibi enim unicus iſte canalis in decem vel plures finditur, qui *vaſa ſemen efferentia* dicuntur, et interdum eandem cum epididymidis canale craſſitiem habent, interdum ſubtiliores ſunt. Singulum vas complicatur, et faſciculum proprium conicum ſiſtit, et retrogrado ductu verſus mediam teſticuli partem ſub albuginea redit; omnia vero ſimul parallelo quaſi ductu decurrunt, et inter ſe coniunguntur, hinc *rete* formant, ut uno repleto et vicina ſaepius mercurium recipiant. Ab hoc rete vaſa recto itinere deducuntur inter celluloſa ſepta teſticuli, et cum *ſerpentinis flaueſcentibus teſticuli vaſis* coniunguntur. Haec *recta vaſcula teſticuli* dicit Cl. Auctor, quoniam absque plicis ſunt, et licet teneriora inueniantur, ampliora tamen eſſe videntur, quam epididymidis. Vera itaque via ſeminis haec eſt: in *vaſis ſerpentinis* teſticuli generatur ſemen flaueſcens, inde ad *vaſa recta*, porro ad *rete*, tandem per *vaſcula ſemen efferentia* ad *epididymidis* vaſculum unicum com-

complicatum ducitur. Epididymis in vas deferens ducitur via aperta, omnibusque nota, aliam tamen reconditam inuenit Cl. Auctor: ex media ſcilicet epididymide unicum vidit vaſculum, plura tamen dari poſſe non repugnat, quod una cum vaſis teſtis recta adſcendit, et procul dubio ad vaſa lymphatica, in funiculo vaſorum ſpermaticorum poſita, deducitur, licet eius finem non detegere potuerit; hoc vaſculum reſorbendo humori, adeoque craſſiori reddendo ſemini, deſtinatum eſſe valde probabile eſt. Deſcribit poſt ea vaſis deferentis inſertionem in urethram et nexum cum veſicula ſeminali, quamlibet vero veſiculam ſeminalem unicum eſſe canalem ſiue inteſtinulum coecum, cui multae coecae appendices inſeruntur, adſeritur. Egregie igitur GRAAFII, LEAL LEALIS, aliorumque clariſſimorum virorum inuenta circa vias ſeminis perfecit, et cuncta in icone addita declarauit Cl. Auctor.

13) *Epiſtola* IOANNIS MARTYN M. D. *ad ſocietatis Praeſidem data, notitiam aurorae borealis, die decimo ſexto Februarii anno* 1749 - 50 *obſeruatae, exhibens.* Praeter ipſius aurorae borealis fulgurantes radios perfectum ſibique ſimilem, ab oriente ad occidentem ſe extendentem, vidit arcum Cl. Auctor, eiusdem quidem coloris, ac aurora ipſa habuit, cum qua tamen nullo modo communicare viſus fuit, aliquot nimirum gradus verſus meridiem poſitus. Tempeſtas tum temporis ſolito longe calidior fuit, adeo ut multae quoque plantae ante ſuum tempus florerent. p. 345.

14) *Epiſtola* HENRICI MILES *ad* HENRICVM BAKER *data, deſcriptionem aurorae borealis die vigeſimo tertio menſis Ianuarii* 1750 - 51 *viſae, continens.* Confirmatur potiſſimum hac deſcriptione obſeruatio, iam ab aliis et inter eos quoque a Cl. HALLEY olim facta *, quod tanta ſaepius ſit huius materiei raritas atque pelluciditas, ut ſtellas per eam p. 346.

 facile

* v. Philoſ. Tranſact. n. 347.

facile contemplari poſſimus. Quid? quod hac occaſione Cl. Auctor venerem cum ſuis maculis, illis, quas in luna conſpicimus, plane ſimilibus, ope teleſcopii diſtincte vidit.

p. 348. 15) *Litterae* GVILIELMI WATSON *ad ſocietatem regiam datae, in quibus Cl. Auctor teſtatur, quod nec ipſe, neque multi alii in iis experimentis electricis, quibus odores per vitri poros tranſire dicuntur, felices fuerint; ſimulque ſingulare illud commemorat experimentum electricum, beatificationis dictum, ſeu cuius ope ſic dicta ſanctorum gloria circa eius, qui electricus redditur, caput efficitur, cuius Auctor fuit Cl.* BOSE, *Profeſſor Vitembergenſis.* Cl. PIVATI ex primis fuit, qui aſſeruerunt, odores rerum odoriferarum frictionis ope non tranſire ſolum vitra, quae in his incluſa continentur, ſed per vim electricam in alia quoque corpora, electrica facta, deferri ita poſſe, ut ſuas cum his virtutes communicent. Alii autem fere omnes phyſici, qui de electricitate ſcripſerunt, praeter Cl. WINCKLERVM, Profeſſorem Lipſienſem, eadem experimenta ſe prorſus ſine exoptato ſucceſſu repetiiſſe, declararunt. Venetus ille quoque iis, qui hanc ab cauſam ipſum conuenerunt, confeſſus eſſe dicitur, quod una tantum vice felicem hunc euentum expertus fuerit. Cl. WATSON etiam teſtatur, quod omnes ea de re ab ipſo ſuſcepti labores irriti plane fuerint, ideoque hoc aſſertum ſummo iure in dubium vocari poſſit. Altera huius epiſtolae pars famoſum illud concernit experimentum, cuius mentionem olim fecit Cl. BOSE, qui ſcientiam phyſicam Vitembergae docendi munere fungitur, idque *apotheoſin* appellauit. Iucundi forte ſpectaculi gratia plures ex phyſicis repetierunt experimentum eo modo, quem Auctor praeſcripſerat, ſed voto numquam reſpondit euentus, qui ſcilicet ille eſſe dictus fuit, quo is, cum quo electricitatis vis communicata fuit, lambente flamma, ab acropodio, pice obducto, orta, a pe-

a pedibus ſenſim ſenſimque per totum corpus ad caput uſque aſcendente, eodem modo cingatur, uti pictores ſanctorum capita pingere ſolent. Id enim, quod primum requiritur ad neceſſarium apparatum, uti lepidum aenigma, inenarratum reliquerat Auctor; quod vero nunc Clariſſimo WATSON detexit. Omnis res eo redit: Is, qui beatum ſe reddi cupit, armatura veſtitus eſſe debet, limatis atque politis, e chalybe factis, umbonibus ornata. Quodſi is igitur ſuo modo electricus factus fuerit, tum hi umbones radios coruſcantes cometarum illis ſimiles emittere dicuntur.

17) *Catalogus quinquaginta plantarum horti chelſeani ſocietati regiae ex inſtituto Dn.* HANS SLOANE *a pharmacopoeorum ordine ad annum* 1748 *exhibitae per* IOH. WILMER.

18) *Obſeruatio horrendae inundationis, quae in valle S. Ioannis prope Keswick in prouincia Cumbria d.* 22. *Auguſti* 1749. *accidit, a viro eccleſiaſtico ad ipſius amicum miſſa, et cum regia ſocietate a* IOANNE LOCK, *communicata.* Rationem reddit Cl. Auctor violentae alicuius cataractae, quae inter terribilia fulgura atque tonitrua in montium cacumina praecipitata, haecque ipſa deiiciens, modo dictam regionem valde deuaſtauit. Cauſa tantae huius molis aquarum, una vice tamque vehementer effuſarum, in nubibus tonitralibus, ex oppoſitis plagis contra ſe inuicem aduectis, et aequali vi contra ſeſe agentibus, fulgura inde et crebriora et fortiora, aerem vero nimis rarum, facientibus, huiusque undulationes impedientibus, ponitur. p. 362.

19) *De ſingulari globo igneo, in mari diſploſo, Auctore Cl.* CHALMERS. In alto mari die quarto menſis Nouembris anno 1749 ſingulare hoc meteoron obſeruatum fuit. Praeter opinionem pyrobolus, caeruleo igne coruſcans, lapidis molaris craſſitiem aequare viſus, ſuper mare traiectus, prope a naui p. 366.

aliqua regia, quam vehementiſſimo fragore disploditur, praecipuo inde nauis malo vehementer diffiſſo, et quinque hominibus proſtratis.

p. 368. 20) *Epitome litterarum Abbatis* NOLLET *ad* CAROLVM *Ducem Richmundiae exaratarum, una cum commentario, ſimul miſſo, hisque litteris adiecto, in quo certa aliqua phaenomena electrica, quae in Italia primum peruulgata fuerunt, examinantur, ex Gallico ſermone in Anglicum translato a Cl.* WATSON. Ex ipſis litteris, quae iam indicato commentario praefixae ſunt, illud tantum notare licet, quod verum quidem ſit, notas illas lacus ad Venetias, et ipſius oceani aquas, tempore aeſtiuo et atra nocte, luce quadam ſplendere, quod vero lumen hoc a quodam paruulorum inſectorum genere, cumulare ſeſe propagantium, proueniat. Ipſius commentarii argumentum ſatis graue eſt, et rationem reddit itineris, a Cl. NOLLET in Italiam eum in finem ſuſcepti, ut mirabilia illa phaenomena electrica, quae viri clariſſimi, BIANCHI, celebris ille anatomicus Taurinenſis, PIVATI, qui cauſas orat Venetiis, atque VERATI, Bononienſis inſtituti ſocius, obſeruata a ſe fuiſſe, aſſeruerant, de odoribus nempe rerum odoriferarum per vitreorum tuborum cylindraceorum poros tranſeuntibus, eorumque effectibus, ſi medicamentis fuerint repleta, quorum virtutes v. c. aluum ducendi, ſaliuam mouendi, eiusque copioſiorem profluxum proliciendi, cum ipſa materie electrica in alia corpora tranſire dicta fuerant, et de curationibus aegrorum tam repentino, ac narratum fuerat, modo praeſtitis, ut haec, inquam, ipſe apud eorum auctores videre poſſet, cum nec ipſe, neque ex amicis multi alii, eorum experimentorum ullum efficere potuiſſent. Taurinum igitur menſe Martio anno 1749 profectus, Cl. BIANCHI, primum illius experimenti auctorem, adiit, quo eius, qui electricus factus medicamentum aliquod purgans manu tenet,

aluus

aluus ſolui dicitur. Hic quidem plus una vice in Cl. NOLLET, pluriumque aliorum, praeſentia, et in his ipſis quoque viris, illud per aliquot dies repetiit experimentum, ſed ſine exoptato ſucceſſu. Venetias deinde atque Bononiam ſe contulit Cl. NOLLET, omnibus vero in locis tandem intellexit, quod omnes hi viri boni opinione iam praeconcepta, aut credulitate, aut conſilii atque iudicii, forſan propter ſpem detegendae medicinae toti humano generi perquam utilis, praecipitatione, ſe ipſos deceperint.

21) *Caſus ſingularis oſſium cubiti fractorum, cum ſocietate regia communicatus a* IOANNE FREKE, *chirurgo.* Obſeruationis huius Auctor eſt IOAN. BARDE, chirurgus, Eboraci noui artem ſuam exercens. Menſe Maio an. 1746 feminae generoſae, a tribus tum inde menſibus grauidae, utrumque os cubiti ſiniſtri oblique frangitur. Chirurgus aduocatus, brachium iam tumidum factum, et muſculos valde contuſos, deprehendens, illico venam in dextro latere ſecat, tumque oſſa reponit, partemque laeſam, uti decet, deligat. Solito leuior accedit inflammatio, tamque cito diſcutitur, ut poſt duodecimum diem iter iam facere poſſit aegra. Faſciis autem poſt quadrageſimum diem ſolutis, oſſium quidem extrema fracta rite ad ſe applicata, callum vero nullum vel certe tam mollem et flexilem adhuc inuenit, ut brachium quaquauerſum flecti potuerit. Poſt aliquod tempus eandem calli indolem iterum obſeruans, grauiditatem aegrae rari huius phaenomeni cauſam eſſe iudicat chirurgus, ſuccis nimirum nutritiis et glutinantibus ad foetum delatis. Vincturae itaque genus, e ſerico paratum, quatuor tenuibus, quartam pollicis partem latis, ſeptemque pollices longis, bacillis e chalybe factis, ab interna eius facie poſitis, ſuſtentum, brachio manicarum inſtar applicat, idque quatuor fibulis cum neceſſariis loris firmat. Aegra fert illud per longius quam quatuor menſium tempus, callo interim

p. 397.

interim eodem, ideoque etiam brachio inutili permanente, dolorihus quoque non numquam in eo perceptis. Nono tandem poſt partum die omnis dolor ſubito euaneſcit, et ab illo tempore intra menſe breuius temporis ſpatium, callo plane indurato, brachii uſus aegrae fuit optime reſtitutus.

p.400. 22) *Obſeruationes continuatae* * *de Libellis* (May flies) Auctore IOH. BARTRAM ex Penſyluania. Americanum hoc inſectum parum a noſtro differt. Altero die, poſtquam ex aquis receſſit, cutem mutat, cauda tunc fit productior, et alae ſicciores inueniuntur. Coelo ſereno exiſtente, mutationem inſecti volatilis ſaepius intra quinque dies perficiunt hae libellae; tempore vero pluuioſo ad nonum decimumque diem eamdem protrahunt. Examina formant, et incredibili velocitate ſurſum deorſumque mouentur, et tunc inpraegnantur, paullo poſt ouula in aquas deponunt et moriuntur.

Transactionum no. 495. commentarios ad partem Aprilis, Maium, Iunium et Iulium continet, ex quibus ſequentes articuli commemorari merentur.

p. 403. 1) *Catalogus quinquaginta plantarum, quas pharmacopoeorum ordo ſocietati regiae anno* 1749 *ex horto chelſeano ſecundum inſtitutum Sloanicum obtulit*, earum tantum nomina continet.

p.406 2) *Litterae a* DANIELE PETRO LAYARD *M. D. ad* RICHARD MEAD *M. D. datae; deſcriptionem abſceſſus, in ventriculo generoſae puellae orti, continentes.* Aegra ſeptendecim annos nata ſub finem menſis Nouembris anni 1745 copioſis ſudoribus diffunditur, quos deinde ſuppreſſos fluxus menſtrui ſequitur obſtructio, cum ſpiritus trahendi difficultate, tuſſi ſicca, acutoque dolore ſiniſtrum hypochondrium occupante. Menſe Februario ſequentis anni

Lon-

* vid. art. 6.

Londinum illa ducitur, et Cl. LAYARD ad eam vocatur, qui latum, in ſiniſtro hypochondrio prominentem, et ad alterum illud dextrum ſe extendentem, tumorem, indeque epigaſtricam et cordis ſcrobiculi regionem tumidam factam, in eaque parte dolorem acutum atque fixum, porro laryngis atque pharyngis muſculos intumeſcentes, glandulas colli duras, pulſum celerem, ſitim, tuſſim raucam, difficultatem reſpirandi, borborygmos, ructus, ſingultus, et quod in primis notari meretur, oeſophagum ita clauſum obſeruat, ut, quicquid vel ſorbillare velit aegra, cum vehemente dolore reiicere cogatur. In hac quidem rerum anguſtia totum curationis negotium ſoli naturae relinquitur, tertio tamen quouis die laxans lotio ſemel, ſingulis autem diebus alia nutriens, ex decem unciis iuris, e veruecina carne cocti, parata, bis in aluum immittitur, hocque modo a die decimo ſexto menſis Februarii ad tertium uſque Maii aegrae vita conſeruatur; ipſi autem tumori emplaſtrum applicatur carminatiuum. Die Martii decimo ſeptimo medicus, intermittentem pulſum in aegra obſeruans, ad roboranda ſolida, clyſterem, e cortice Peruuiano coctum, bis iniiciendum curat. Poſt hunc alterum, prorſus a venis reſorptum, vix elabitur bihorium, cum aegra de dolore ventriculi tam vehemente conqueritur, ut in ſyncopen incidat. Per quadrantem horae in hoc ſtatu permanens tandem ad ſe redit, et trucem edens clamorem, ſanguinis grumoſi, cum materie purulenta remixti, duas circiter libras per vomitum, per aluum vero inſignem puris bene cocti copiam cum fruſtulis membranoſis reiicit, qualia etiam unum digitum longa duosque lata die decimo ſexto Februarii clyſteris ope iam antea reiecerat. Purulentae hae deiectiones, ſenſim ſenſimque parciores factae, ad vigeſimum uſque tertium Aprilis perdurant, a tertio autem die Maii ventriculus ſuo fungitur officio, et aegra, poſtquam

quam die huius menſis ſeptimo ſanguis ipſi e talo detractus, eaque re menſium fluxus reſtitutus fuerat, ex uſu deinde remediorum, quae ſtomachica dicuntur, et aquarum mineralium, medio menſe Iunio ſanitati perfectae reſtituitur. Inter rariſſimos caſus referri omnino meretur is, quem enarrauimus, tum quod inflammatio, quae ventriculum occupauerat, non abierit in gangraenam, uti in tali caſu frequentiſſime alias euenire ſolet, tum quod aegra per tres fere menſes nutrientibus tantum clyſteribus ſeruata fuerit.

p. 414. 4) *Hiſtoria tumoris in veſicae urinariae interna facie nati, et feliciter a* IOSEPHO WARNER, *chirurgo, extirpati.* Femina tres et viginti annos nata menſe Iunio, dum fortiore niſu pondus aliquod graue attollere ſatagit, vehemente dolore in inferiore dorſi parte ſubito corripitur, quem inuincibilis urinam mittendi difficultas excipit. Quinto die poſt catheteris ope lotium educitur, poſtquam iam ante duodeuiginti horas inſignem aquae ſalſae copiam, cum ſanguine remixtam, per os reiecerat. Ab illo tempore non niſi huius inſtrumenti auxilio urinam mittere potuit, ab eius vero immiſſione non numquam multum ſanguinis perdidit. Menſe tum Aprili anno 1750 ad dexterrimum WARNERVM accedit, qui, digito in naturalia immiſſo, praegrandem percipit tumorem ſubſtantiae carnoſae, ab inferiore eaque interna veſicae parte prope ab eius ceruice oriundum, cuius vero finem detegere non poterat; hunc autem tumorem a viginti inde circiter menſibus ſe obſeruaſſe, narrat aegra. Ab initio tumorem hunc, curuae acus et filorum, per ipſum traiectorum, ope, extrahere fruſtra tentans chirurgus, ipſum meatum urinarium a dextro latere verſus veſicae ceruicem incidit, tumorem attrahit, et circa latam eius baſin ligaturam applicat, quo facto ſexta poſt operationem die tumor iſte excidit. Vrinam prima iam die

die mittere poterat aegra, paulo poſt perfecte curata.

6) *Litterae* IOANNIS STARR, *M. D. ad* C. MORTIMER, *M. D. datae, morbi ſtrangulatorii deſcriptionem continentes.* Plus una vice morbi huius in commentariis noſtris mentionem faciendi habuimus occaſionem, idemque is eſſe videtur, quem Cl. FOTHERGILL deſcripſit, cuius liber de eo, prout in Anglia ſaeuiit, editus a nobis quoque adductus fuit.* Eiusdem nunc quoque morbi, quo modo in variis prouinciae Cornubiae locis graſſatus fuerit, rationem reddit Cl. STARR. Symptomata, licet in omnibus quidem aegris unam eandemque faciem non habuerint, praecipitem tamen humorum diſpoſitionem ad putredinem in omnibus ſignificarunt. Alii ab initio morbi de glandularum, in ore et faucibus ſitarum, alii ſed pauciores de externarum harum partium, a mento ad glandulam uſque thyroideam, tumore, alii porro, cum vix aegrotare coepiſſent, de gangraenoſis cruſtis, in ore formatis, alii denique de non admodum moleſta degluriendi difficultate, quam calor tamen atque febrilis pulſus ſubſecuti ſunt, atque de valde difficili atque fere ſuffocante reſpiratione, cum breui, obſcura, aridaque tuſſi atque voce vehementer rauca, conqueſti ſunt. Haec ultima ſymptomata pro pathognomonicis ſtrangulatorii huius morbi ſignis haberi vult Cl. Auctor. Foetor oris, ſi adfuit, inter ſymptomata ut plurimum ex primis unum fuit. Reſpirationis difficultas ſuas habuit et remiſſiones et exacerbationes, prout materia glottidem aut laryngem occupans magis minusue apta fuit, quo eiiceretur. Haec vero materia, quam exſpuerunt aegri, pus bene coctum numquam fuit, ſed ſemper mucus viſcidus, putridam cruſtam membranoſam repraeſentans. Eiusmodi quoque cruſtae gangrae-

p. 435.
p. 437.
p. 440.

* v. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 493.

gangraenoſae in aliis locis, quibus veſicatoria, et aduſto ſic loco braſſicae folia applicata fuerant, generatae fuerunt, dum iuxta haec rubrae, paruae, puſtulae obortae, multum laticis fundentes, paucis elapſis horis, albae factae, baſi largiore cito aucta confluentes, latam ſuperficiei cutis partem corrumpentes, membranam prorſus putridam huic quaſi obduxerunt, quae facile et ſine omni aegri ſenſu ſolis unguibus ſeparari potuit, unius eiusdemque indolis

p. 442. cum materia ſputo exſcreata viſa. Obſeruationem ſatis amplam ſubnectit Cl. Auctor, notatu digniſſimam, ex qua illud tantum adhuc annotamus, quod ſeptimo morbi die mucidam atque corruptam factam ipſius veli palatini membranam, et paulo poſt, tuſſi cum ſuffocationis metu redeunte, ſacculum materiei putridae plenum, aliquot pollices longum et unum pollicem craſſum, aeger extuderit, qui nihil aliud fuit, quam interior membrana corrupta partis laryngis, et totius aſperae arteriae, et ramorum eius maiorum bronchialium ſeparata; quae utraque etiam membrana, icone addita, a Cl. Auctore deſcribitur. Horis deinde una et viginti elapſis, miſero huic puero vita ſubito fuit erepta. Confirmantur in primis ex huius morbi hiſtoria generales illae obſeruationes, quas ab omnibus fere auctoribus, qui de hoc morbo ſcripſerunt, relatas legimus, quod nempe nec dolor in faucibus, neque febris fuerit vehemens, neque ſitis neque delirium vexauerint aegros, quod vero omnium opinione citius gangraena non partes ſolum ab initio affectas, ſed vicinas quoque ſerpendo occupauerit, corruperit cito, et quam plurimis inopinatam mortem attulerit.

p. 446. 7) *Examen virium, quas variae ex praecipuis aquis purgantibus, in ſpecie illae ex fonte Ieſſop dicto (Ieſſop's Well) hauſtae poſſident, per litteras cum* CROMWELL MORTIMER *communicatum a* STEPHEN HALES. Cum decem aquarum mineralium,

in Anglia reperiundarum, ſpeciebus examen per euaporationis viam inſtituit Cl. Auctor, et ſecundum illud has, ex fonte *Ieſſop* nactas, reliquis omnibus, propter maiorem ſalis amari atque aliquam etiam martis copiam, praefert. Vt inueſtigaret, num aquae ad fundum, an in ſuperficie fontis hauſtae, plus ſalis continerent, unam lagenam ſubere, cui filum annexum erat, obturatam, mediante pertica, in ipſum fontem immiſit, tumque illam apertam factam, aqua inferius in eam intrante, alteram vero lagenam ea, quae in fontis erat ſuperficie, repleuit, et in ſedecim unciis prioris generis octoginta quatuor, alterius vero quadraginta octo grana ſedimenti inuenit, quod diſcrimen forſan ab aquis peregrinis, a quibus fons ille haud tutus eſſe videtur, ortum fuit. Annotat etiam Cl. Auctor, quod vir ad fontem ab immiſſis ſordibus repurgandum adhibitus, et per tres circiter horas in illo ſtans, diarrhoea, per ſeptimanam durante, vexatus fuerit. Num ab aquae vi purgante? an ab illius potius, uti nos quidem opinamur, frigiditate? Ad finem huius commentarii annexae ſunt breues litterae, ad Cl. HALES a Cl. SWITHIN ADEE M. D. datae, in quibus harum aquarum mineralium virtutes, in primis contra ſcorbutum, uſu ſibi comprobatas eſſe aſſerit.

p. 448. p. 450.

10) *Epitome litterarum* GVILIELMI ARDERON *ad* HENRICVM BAKER *datarum, continens deſcriptionem pumilionis, una cum comparatione menſurae huius homunculi cum pueri infra quatuor annos nati menſura inſtituta.* Auctore DAVID ERSKINE BAKER. Nanus hic in prouincia Nortfolcia anno huius ſaeculi vigeſimo octauo natus, ante hos duos annos Londini ponderatus, cum omnibus, quae geſſit, veſtimentis quatuor et triginta librarum pondus expleuit. Altitudo eius cum pileo, capillamento atque calceis, tum temporis triginta octo pollices, eadem autem anno 1744 triginta ſex pollices, pondus vero anno p.467.

1750 ſeptem et viginti libras ſemis aequauit. Corpus caeteroquin non fuit diſtortum, ſed iuſta dimenſione in omnes partes directum. Omnibus eius membris ſigillatim dimetiendo deſcriptis, puerulum nondum quatuor annos natum eodem modo metitus eſt Cl. ARDERON. Ex utraque igitur menſura cum ſeſe inuicem collata apparet, quod pumilio atque puerulus eandem fere corporis longitudinem, eandemque fere omnium membrorum proportionem, figuram atque magnitudinem, habuerint.

p. 470. 11) *Epitome litterarum* ROBERTI MORE, *ad* W. WATSON *datarum, continens methodum, qua Neapolitani Mannam colligere ſolent.* Confirmatur ea, quam hucuſque habuimus, notitia, quod arborem, quam ornum officinarum alii, alii vero fraxinum vocant, incidant ii, qui mannae colligendae ſtudere debent, et vaſe aliquo ſuccum, ex arbore vulnerata emanantem, excipiant, qui ſiccus deinde factus manna dicitur, qua via puriorem eam acquirere dicuntur, ac ſi in arboribus ſuccus ille condenſari deberet. Sub initium menſis Auguſti ille profluit, ſique ſicca et ſerena fauet tempeſtas, per quinque vel ſex ſeptimanas fluere pergit. A viro quodam chemiae perito Auctor accepit, quod dentur omnino, qui vario modo, inprimis ex ſale GLAVBERI, ſaccharo et pauca ipſius mannae copia, ſpuriam mannam praeparare ſoleant.

p. 472. 12) *Litterae* IOANNIS HVXHAM, *M. D. ad* C. MORTIMER, *datae, obſeruationes aurorae borealis, diebus decimo quinto et ſexto menſis Februarii anno* 1749-50 *viſae, continentes.* Obſeruauit in primis Cl. Auctor tum temporis valde coruſcantem atque peralbum arcum, illum communem latitudine ſuperantem, ab oriente vergentem ad occidentem, ex cuius ſumma parte variae admodum lucidae, candidae, breues atque vibrantes columnae exierunt, quae cum ipſa boreali aurora non communicare vi-

ſae

ſae ſunt. Icon addita arcum illum aliquo modo repraeſentat.

13) *Epiſtola* IOANNIS STARR, *ad* IOANNEM HVXHAM, *data, notitiam de equo, a cane rabido morſo, continens.* Primo menſis decembris die anno 1745 equum in variis corporis partibus, humero, pectore atque naribus mordet moloſſus, rabioſus factus, adeo ut multum ſanguinis ille fundat. Ne grauiora mala hunc morſum inſequerentur, illico unguentum, ex axungia porcina et mercurio viuo paratum, vulneribus illiniendum curabat Cl. STARR. Altero die poſt ſanguis equo detrahebatur, eique remedium, in Anglia certe contra morſum rabidi canis celebratum, lichen nimirum cinereus terreſtris cum pipere nigro, in lacte per quinque dies, et deinde, quatuordecim diebus elapſis, per quatuor denuo dies omni mane propinabatur. Vno alteroque poſt morſum die ab incuſſo quidem terrore male ſe habere videbatur, tum vero, vulneribus cito percuratis, priorem alacritatem recuperabat. Die autem eiusdem menſis vigeſimo quinto ad natalile vehementer intremiſcebat, aquas reſpuens, ad veſperam tamen bibebat. Altero autem die aquae pauor increſcebat, et ſitis, quam ſane maximam illum pati linguae et ariditas et color ex nigro brunus teſtabatur, ſedandae quidem cupidiſſimus, nares in aquam ſaepiſſime intrudebat, ſemper tamen terribili corripiebatur conuulſione, donec poſt duos proxime inſecutos dies, rabioſus plane factus, glande plumbea configereretur. Moſchus in primis aduerſus hydrophobiam a recentioribus commendatur; ideoque etiam, incipiente pauore, bolum e moſchi drachma dimidia, unaque cinnabaris antimonii cum conſerua anthos paratum, equo deuorandum dederat Cl. Auctor, miſſa ſimul larga ſanguinis quantitate; quo factum quoque fuerat, ut is poſt duas a ſumta medicina horas aquam libenter potaret. Dolet vero Cl. Auctor,

p. 474

Auctor, quod huius medicamenti uſum non continuauerit, neque nitri copiam in eam aquam, quam equo deinde prima vice praebuerat, indiderit. Hoc enim modo equum ſe curaturum fuiſſe exiſtimat.

p. 479. 14) *Deſcriptio foetus monſtroſi ſine ullo ſexus ſigno, regali ſocietati communicata per* IOB. BASTER. Saniſſima mulier, tertia vice pariens, tempore grauiditatis nec metu, neque terrore, neque corrupta imaginatione perculſa in lucem edidit hunc foetum, capite valde acuminato, ſiniſtro brachio dextro breuiori, ne minimo quidem partium genitalium aut ani veſtigio, ſed huius loco cute atque abundante pinguedine in gyros ducta, unoque tantum pede, ex medio ventre ex genitalium loco in unum quaſi digitum ſine ungue deſinente, conſpicuum. Ipſum aperire cadauer, Cl. Auctori non licuit, itaque illud tantum delineauit, iconesque ſocietati ſcientiarum obtulit, quas deſcriptioni huic ſubnexas videmus.

p. 480. 15) *Experimenta quaedam de rebus, putredini reſiſtentibus, auctore* IOANNE PRINGLE. Cum putredinis diſquiſitio in medicina potiſſimum varias ob rationes admodum ſit neceſſaria, Cl. vero Auctori data fuerit opportunitas, ob copioſos in noſocomio, quod militibus deſtinatum eſt, occurentes putridos morbos illius indolem perſcrutari, quaedam a communi opinione diſcrepantia obſeruauit. Hinc per artem excitatam putredinem explorauit et ſequentia in primis comperit. Communis eſt opinio, corpora putrefacta alcalina fieri, cuius veritatis cognoſcendae cauſa, ſero ſanguinis putrefacto ſublimatum mercurium, ſolutum aqua, addidit, turbidum inde factum eſt et particulae quaedam praecipitatae, ſyrupum tamen violarum non mutauit, neque cum ſpiritu vitrioli efferueſcentiam produxit. Aquam, in qua caro computruit, eadem inueſtigauit ratione, ſimilia inueniens, immo ſyrupum, ab acido adiecto rutilantem etiam, coloris nullam paſſum eſſe deſtru-

ctionem

ctionem animaduertit. Ex quibus experimentis conclusit, alcali admodum latere abſconditum. Deinde primae, quae in putrefactorum corporum deſtillatione prodit, aquae ſal volatile admixtum eſſe vulgo putatur, id vero de urina tantum verum eſſe reperit, BOYLE experimentis confirmatus. Vetuſta enim urina ſalem continet alcalinum, ſine deſtillatione iamiam cum acidis confligentem, non obſtante, quod inſignis reliquorum humorum putreſcentium foetor praeſentiae eius ſuſpicionem mouere poſſit. Vrina vero retenta, cum non noceat corpori, reſiſtere aut corrigere eandem putredinem poſſe autumat. De volatilibus porro ſalibus conſtat, ea ſine noxa in corpus introduci humanum poſſe, quodſi autem ea putredinis ſint progenies, eam ut accelerent neceſſe eſt, tam in morbis, quam in inſtitutis ex conſilio experimentis. Admiſcuit ea propter variis animalium partibus ſpiritum et ſal volatile cornu cerui, et conſtanter obſeruauit, putredinem inde fuiſſe impeditam, pro ea nimirum, qua addebatur, quantitate magis vel minus. Inſtituit autem haec experimenta cum ſero et cruore ſanguinis, immo cruſtam inflammatoriam ſanguinis pleuritici pari ratione tractatam, poſt menſem in aceto vini aeque incorruptam inuenit, ac in ſpiritu alcalino. Cum aliis deinde corporis animalis partibus, carne ſcilicet, cum ſale volatili C. C. mixta, illa repetiit, eodem euentu, immo abluto a carne ſale, ſaporem eius, recenti conuenientem detexit, nec non partem carnis, addito ſale exſiccauit, et illaeſam per annum ſeruauit. Quare verum antiſepticum remedium ſal volatile eſſe ſtatuit, ſali etiam marino forte praeferendum. Non huius ſalis genus tantum, ſed alcalina fixa etiam ſimilia praeſtitere, ex quibus uſus eſt tartari et abſinthii ſalibus. Vtrumque vero genus horum ſalium putredini cum obſit, inter ſe mixta magis adhuc reſiſtere quidem deberent, ſed contrarium experientia docuit.

cuit. Vtebatur autem aceto vini cum ſale volatili C. C. et ſucco limonum cum ſale abſinthii ſaturatis. Interim gradus dantur, ſecundum quos putredini mutationem afferant haec ſalia, de quibus hic pauca tantum monet, plura poſt ea adducturus. Tandem, cum reſinoſa putredini reſiſtere dicantur, eorum etiam explorationem non neglexit, hancque virtutem euidentius ac ſalia exhibere ipſi conſtitit. Myrrha aqua ſoluta, duodecim vicibus magis reſiſtit ac ſal marinum, duo iam camphorae grana plus efficiunt, ac ſedecim ſalis marini, cet. Quod autem in vegetabilibus, balſamicis partibus imbutis, acrimonia abeſt, efficaciora illa ſunt, id, quod experimenta cum chamomillae floribus, cortice peruuiano et ſerpentaria virginiana etc. comprobarunt.

p. 499. 17) *Litterae a Cl.* HENRICO BAKER *ad ſocietatis praeſidem datae, epitomas variarum obſeruationum aurorae borealis viſae continentes.* Cl. GVILIELMVS ARDERON Nordouici, et Cl. IOSEPHVS SPARSHAL Wellis die vigeſimo tertio ianuarii anno 1750 auroram borealem, eiusque fulgurantes radios vario modo atque ſub variis figuris mutatos obſeruarunt, et accurate ſatis deſcripſerunt. A ſex et triginta inde annis tales aurorae, boreales dictae, ſaepe quidem obſeruatae et multoties deſcriptae ſunt, ſed a rerum phyſicarum indagatoribus vera earum natura nondum ita expoſita fuiſſe videtur, ut nobis nullum ea de re dubium ſuperſit. Cl. HALLEY, uti notum eſt, materiem aliquam magneticam, terrae circumfuſam, ab una eius axis parte ad alteram ſeſe mouentem, in cau-
p. 504. ſa eſſe aſſeruit; et Cl. SPARSHAL eodem tempore, quo aurora apparuit, acus magneticae motum ſingulari modo mutatum eſſe, obſeruauit; dolemus vero, quod ad mutationem hanc tam parum attentus fuerit, ut nihil de illa mutatione dicere queat.

p. 518. 20) *Deſcriptio piſcis ſocietati regiae a Nob.* RALPH BIGLAND, *d.* 22 *martii* 1750 *oſtenſi a* C. MORTIMER

MER

MER *exarata.* Piſcis hic tres pedes et ſeptem pollices longus, atque tres pedes decemque pollices craſſus, octoginta duarum librarum pondus aequans, in mari atlantico ad oram Guineae frequens, atque guinienſibus ſub nomine *Opah* cognitus, ab Auctore ita deſcribitur: *Opah guinienſium eſt piſcis oſſeus, non ſquamoſus, edentulus, habens unicam in dorſo pinnam, anterius aculeatam, pone branchias par pinnarum, in medio ventre par pinnarum, ad poſticam ventris partem unicam pinnam, caudam forcipatam.*

21) *Epiſtola, a* IOANNE BVRTON, *M. D. ad* C. MORTIMER *data, de excreſcentia uteri extirpata.* Mulier a partu inde ſatis quidem facili per ſeptem annos valde copioſo ſeroſae atque viſcidae materiae, ex utero emanantis, profluuio laborat, quod ipſa pro fluore albo ſemper habuerat. Ex ipſo tandem uteri orificio fungus creſcit, extra pudendorum uſque labia propendens, et aegra de dolore et pondere in utero atque inferiore dorſi parte conqueritur, valde debilis facta. Accedunt vomitus frequentes, ſudores, et pulſus debilis. Cl. BVRTON itaque cum chirurgo ad eam vocatus, ulcus in ipſo uteri orificio deprehendit, ex quo fungus iſte excreuerat. Hunc igitur tam alte, ac a chirurgo fieri poterat, filo circumligarunt, quo factum eſt, ut poſt duos inde dies ille excideret, ſenſus omnis, dum iis adhuc partibus adhaeſit, expers, ſolidae conſiſtentiae, et atri liuidique coloris. Icon addita excreſcentiam repraeſentat. p. 520.

Num. 496. Menſ. novembr. et decembr. 1750 ſequentes, ad nos ſpectantes, continet articulos. p. 525.

2) *Continuatio experimentorum, de ſubſtantiis, putredini reſiſtentibus,* auctore IO. PRINGLE. In priori commentatione non nulla, cum ſalibus aliisque corporibus ſuſcepta, experimenta adduxerat iam Cl. Auctor, nunc ſpecialia magis proponit, ex quibus

 praeci-

praecipua recenſere liceat. Carnis recentis macrae partes vitreis vaſis indidit, aqua ſemi plenis et cum vel ſine ſale marino, et huius quidem diuerſa quantitate. Sale non conditae, applicato caloris, qui homini ſano conuenit, gradu, breui tempore coeperunt putreſcere, ſerius pauciori ſalis quantitate mixtae, maiori tardiſſime. Huic experimento inſiſtens ſequentem formauit regulam: ſi aqua, addito alio corpore, melius conſeruat carnem, quam deficiente illo, vel melius cum ſale adiecto, tunc additum corpus dici debet reſiſtere putredini magis ac aqua, vel 30 aut 60 gr. ſalis; ea enim eſt illa, qua in adductis experimentis uſus erat, ſalis quantitas: ſi vero aqua, accedente alio corpore, promouet corruptionem magis ac pura; ſubſtantia addita ſepticum eſt, et accelerat putredinem. In omnibus itaque experimentis eandem adhibuit aquam, aerem, calorem, facta relatione ad hanc regulam, in primis autem, inſtituta comparatione cum 60 gr. ſalis. Primum fuit, ut reliqua compararet ſalium genera, eorumque in tabula propoſuit virtutem, numeris eam exprimens, denuoque alcalina prae acidis magis reſiſtere deprehendit. Poſt modum ad reſinas et gummata accedens, myrrham explorauit, quae magis reſiſtebat ſale, idem euentus fuit cum aloe, aſa foetida, terraque iaponica. Gummi ammoniacum et ſagapenum minus virtutis exſerebant. Opium praecellebat omnes, niſi, ut plus exiret aeris, et caro fieret tenerior. Camphora tamen maximopere eminebat, ad grana tantum duo in vino, ad quinque in ſaccharo, vel tandem in oleo ſoluta. Deinde balſamica diſquiſiuit vegetabilia, infuſum nimirum florum chamomillae et ſerpentariae radicis, quorum minima portio maiorem, ac ſalis in coercenda putredine praeſtitit efficaciam, idem confirmatum eſt decocto corticis peruuiani, et magno vegetabilium aromaticorum, adſtringentium, refrigerantiumque numero, quorum

rum catalogum adducit Auctor. Vlterius progrediens, quousque virtus harum plantarum ſine infuſione penetret, diſquirere tentauit, hinc carnis particulis pulueres vegetabilium adſperſit, atmoſphaerae calidiori eas exponens et chamomillae puluere, ut alios taceamus, ita induratam carnem inuenit, ut a corruptione omni libera exiſteret. Corruptam etiam putridamque carnem reſtituit, immittendo illam in chamomillae et corticis infuſum, quo facto non foetor ſolum remotus fuit, ſed etiam fibris, a putredine relaxatis, redditum robur, immo poſterioris experimenti exemplar penes ſe habet, per annum iam incorruptum ſeruatum. Cum vero cortex peruuianus aqua ſolutus id magis praeſtaret ac eiusdem puluis, modum eius agendi in gangraena, febribusque intermittentibus, ex corruptionis natura tradit, in ſequentibus humorum putredinem ſe exploraturum eſſe promittens.

3) IOSEPHI PLATT, *epiſtola ad* PETR. COLLINSON *miſſa, de lapide plano, ſphaeroideo, lineis regularibus ſe decuſſantibus notato.* Globulus eſt, ex compacta materie formatus, obductus exterius molliori lapide, trium et ſemiſſis digitorum diametri, accedens ad formam echinorum marinorum, exceptis papillis, quae in eorum ſuperficie deprehenduntur. Quatuor albae ſuturae, pili equini craſſitie, in quatuor partes lapidem diſtinguunt, exacte ſibi reſpondentes magnitudine, qua propter marinam productionem eum eſſe, non artificis credit. Id quod magis comprobatum eſt, cum poſt ea lapidem, in duas partes diuiſum, lineae ad internam partem progreſſae, ſpathaceae ſubſtantiae et continuo latiores inuenirentur. Lapidum icones figurae exprimunt. p. 534.

4) *Epiſtola* ARTHVRI DOBBS *ad* CAROL. STANHOPE, *de apibus et methodo ceram melque colligendi.* Inſectorum hiſtoriam et inter illa etiam apum in primis, in accuratiſſimis elegantiſſimisque ſuis commen- p. 536.

tariis proſecutus eſt Cl. REAVMVR. Huius experimeuta repetiit Cl. Auctor, ipſique contigit eſſe tam felici, ut quaedam ab illius theoria annotaret diſcrepantia momenta, quae ad duo redeunt: ille nimirum ponit apes ex diuerſi generis floribus colligere una vice ſuas dapes, farinam ſcilicet, quam pedibus applicant, hasque dein digeſtas ore iterum reddere, cuius utriusque contraria reperit Cl. DOBBS. Illam enim ipſam farinam, pedibus applicatam ſeu ceram crudam, ita conſtanter ex unius generis flore colligere apes vidit, ut reliquos omnes negligerent, inter perſicam tamen et armeniacam non diſtinguerent. Confirmari porro putat ſuam opinionem ex conformi, quem in farina illa obſeruamus, colore, nec non ex ipſius collectae copia, et magnitudine ponderis, quippe quae, cum ab induſtria deſidiaue apum non dependeat, videatur in raritate florum, unde collectio inſtituta eſt, quaerenda eſſe. Rebus ita ſe habentibus, apes inſtrumentum eſſe putat, promouere quod poſſit vegetabilium incrementum. Farina antherarum ſemina plantarum foecundari conſtat, diuerſi vero generis farina, floribus applicata, ut vel monſtroſam vel hybridam plantam producat neceſſe eſſet, quod ex recentiſſimis obſeruationibus a Cl. LINNAEO comprobatum eſſe hic addimus. Apes igitur et hoc auertunt incommodum peruerſae generationis, dum unius generis farinam tantum ex vegetabilibus una vice colligunt, et ob motum circa piſtillum floris, quem efficiunt, faciliorem pulueris huius in illud ingreſſum producunt. In ſui ipſius utilitatem porro haec fit collectio; haec enim farina conſtans apum alimentum eſt, quod digeſtum cedit, REAVMVR notante, in nutrimentum iuniorum, uſque dum in nymphae formam tranſeant. Videntur etiam diuerſae illae farinae diuerſis inſtructae eſſe qualitatibus, quae remediorum loco ſint. Alterum, in quo a REAVMVR ſecedit Cl. Auctor, in modo, ceram

ram conficiendi emittendique, poſitum eſt. Concedit eidem, ceram in corpore apis digeri, et emiſſam demum veram conſtituere ceram, quam ita praeparari autumat REAVMVR, ut ex primo in alterum procedat ventriculum, redeat porro per utrumque et excernatur per os: confirmat inde, quod conficiendo cellulas apis capite ceram accommodet vel nimis denſam, vel male applicatam, obſeruaueritque motum linguae, qua plus addiderit. Sed ex obſeruatis, quas apes emittunt, faecibus cognouit noſter, illas eſſe ceram, quippe cum qua et conſiſtentia ſua et odore conueniunt. Puluis ſiue farina vegetabilis ipſi videtur conſtare ex ſpiritu ſeu principio mouente, oleo inhaerente, inuoluto autem exteriori cute, ceu cruſta, illudque eſſe id, quod ſemen reddit prolificum, facta digeſtione, ſpiritum huncce in nutrimentum cedere apum; forte autem in oleo contineri mel; idque ex eo probabile reddi, quod per calorem adauctum exterior fracta cruſta, rorem melleum excitet, in foliis et floribus, aeſtuante ſole conſpicuum. Interiorem igitur hanc ſubſtantiam gelatinam illam exhibere, quam ore in cellulas eructant apes, ad nutriendos vermiculos, uſque dum in nymphas conuertuntur, exteriorem, per anum redditam, ceram ſiſtere. Apes enim in cellularum faui compoſitione occupatas vidit ceram iis adaptare, applicata poſteriori corporis parte, varie illam contorquendo, quae etiam ratio eſt, qua propter margines cellularum denſiores ſint, reliquam autem earum partem ipſae poſt ea attenuant. In corpore apis porro oculorum diſquiſitionem inſtituit; praeter tres illos, qui ad triangulum antennis interſunt, tranſparentes et glabros, alii, annotante iam REAVMVR, ad latus capitis, utrinque unus, ponuntur, polygoni, ex lentibus hexagonis compoſiti, fauis eorum accurate reſpondentes, quare coniicit Auctor, a prouido naturae conditore apibus exempli loco fuiſſe pro-

 poſitos,

poſitos, quod in conſtruendis ſequantur fauis, et forte microſcopiorum officio fungi, quo et prope poſita, et ea, quae in obſcuro eorum fiunt domicilio, diſtinguant, reliquis vero remota dignoſci. Praeter ea de diuerſis, quas conſtat eſſe, apum ſpeciebus annotat, *laborioſam* illam, non ex clauſis, ſed ex apertis demum antheris farinam colligere, et ore receptam prioribus, mediis deinde, tandemque poſterioribus pedibus velocitate incredibili applicare. Magnus vero ille *marium* numerus admodum eſt neceſſarius, quod *regina*, communis reliquarum mulier, copioſa eget ad foecundanda, quae ponit, ouula ſpermatis quantitate, quippe cum et mares abſoluto coitu, protinus, ut in aliis ſolenne eſt, inſectorum familiis, pereant, vel a laborioſis apibus, earum cum nullus amplius uſus ſit, occidantur. In regina ſeu matre, et REAVMVR et SWAMMERDAM duos obſeruarunt ouarii lobos, et pro aeris veſiculis habuerunt, quibus adhaeret ductus, per quem oua tranſeunt, quem vero Cl. Auctor receptaculum ſpermatis eſſe aſſumit. Vltimo tandem loco methodum proponit, qua poſſint faui exſcindi, propellendo nimirum apes ex ſuo receptaculo, melle pleno, in aliud vacuum, et remittendo easdem, excifis fauis, in priſtinum, ut denuo nouum incipiant aedificium, de qua ipſum conſulant illius amantes Cl. Auctorem.

p. 550. 5) *Vlteriora experimenta de ſubſtantiis, putredini reſiſtentibus, additis experimentis de ratione illam adiuuandi accelerandique*, auctore IO. PRINGLE. In eo nunc eſt Cl. Auctor, ut recenſeat experimenta, cum humoribus animalium inſtituta. Vitellum itaque ouorum, abſinthii, cort. peruuiani decocto, aliisque per plures dies incorruptum ſeruauit. Sal etiam C. C. ſale marino melius illum a putredine defendit. In bile haec dicta iamiam et ſupra memorata addita corpora eundem produxere effectum, nitrum autem magnam elicuit aeris quantitatem, quo facto

bilis

bilis computruit. In ſero ſanguinis, crocus et camphora parum praeſtitere, quicquid vero carnem praeſeruat, uniuerſale eſt antiſepticum, quoad efficaciam tantum diſcrepans. Putridis autem iam humoribus addita eosdem reſtituunt, prout ſupra de carne retulimus. Ex quo, cum alia ex his remediis adſtringant, alia aliam exerceant virtutem, medicum decet bene diſtinguere caſus et conuenientibus uti adminiculis. Ex adductis quidem experimentis clarum eſt, ea ſaepe, quae ſeptica eſſe creduntur, contrarias poſſidere vires, per experimenta tamen capta, quae ultimo loco recenſet, uberius haec confirmatur ſententia, putridus vitellus recenti et incorrupto, in aqua diluto, admixtus breui eidem putredinem communicauit. Cum vero vas illum continens, bene obturatum, igni admotum fuerit, ſtagnantem aerem ſimul accuſandum eſſe iudicat. Alcalina ſalia reſoluunt quidem humores, aſt putredinem non inducunt; nec accelerant eandem cantharides, viperae, caſtoreumque, animalis licet ſint progeniei. Calx viua potius, teſtacea et ſal commune euidentiora putredinis acceleratae exhibent ſpecimina. Oculi enim cancrorum, bili admixti, prius putredinem excitarunt, ac bilis, aqua diluta, coepit eius docere praeſentiam. Eadem experimenta, cum reliquis ſuſcepta, demonſtrant, quod minor ſalis communis quantitas parum efficiat, maior vero putredinem coerceat. Ad quam quantitatem, cum alimentis noſtris non admiſceatur, in digeſtione perficienda ſeptica pollere virtute aſſerit Cl. Auctor. Et haec certe experimenta, putamus medicum inſtruere in morborum putridorum curationibus poſſe, licet non negemus, plures forte in corpore animali, cui putredinis inhaeſerit cauſa, concurrere actiones, diuerſitatem operationum, quas dicunt, remediorum efficientes.

8) HENR.

p. 571. 8) HENR. MILES *epiſtolae duae ad* HENR. BAKER, *datae, de calore menſis iulii et ſeptembris* 1750. et

p. 573. 9) GVILIELM. ARDERON litterae ad eundem *de calore eiusdem menſis iulii* ſtatum tantum diuerſis in diebus thermometri barometrique indicant, caloremque ita auctum fuiſſe poſterior commemorat, ut equi etiam eo fuerint extincti.

p. 584. 12) *Relationes de nouo ſemimetallo, cui platinae nomen, communicatae ſocietati a* GVILIELM. WATSON. Varias hic coniunctas deprehendimus litteras, dum natalem huius ſemimetalli locum, tum experimenta, de eo capta, proponentes, quorum omnium praecipua haec ſunt. In India occidentali primum inuentum eſt, vbi *Platina di Pinto* vocatur vel *Iuan blanco*. Ex metallorum ſcrutatoribus nemo eius fecit mentionem, primo ab ANTONIO D'VLLOA in itineris per Americam meridionalem, hiſtoria commemoratum eſſe obſeruatur, Pondere ſuo aurum fere aequat, hydrargyrum eo ſuperat, colore ad argentum accedit, nec docimaſticis inſtitutis operationibus ab auro et argento ſeparari potuit. Clarum eſt, ſplendens, polituram admittit, rubiginem vero non contrahit, durum et compactum eſt, et mallei ictibus extendi ſe non patitur. Inuenitur autem non in maſſis, ſed comminutum et in granis, non tamen purum, ſed cum aliarum particularum admixtione. Difficillime funditur, nec per ſe nec per additum ipſi boracem, aliaque. Igne vero auro et argento aliisque metallis facile miſcetur, mixtum tamen durum reddit fragileque, et aqua forti non ſoluitur. Quapropter et aurum, quod eo adulteratur, licet ſeiungi nequeat, fragilius euadit. Modum tamen, quo poſſit illud ab auro argentoque, ſi admixtum fuerit, iterum ſeparari, inuenit Cl. BROWNRIGGS, M. D. quippe qui illud ſemimetallum diſſolui poſſe reperit, ſi maior, quam vulgo fieri ſolet, plumbi copia ipſi fuerit addita, quo ſimul experimento quintam fere eius

ponderis

ponderis partem perdi ipſi conſtitit. Id, quod ſingulari, hic addita, epiſtola docuit.

13) *Commemoratio praegrandis humani calculi.* Auctore GVILIELMO HEBERDEN, M. D. In libraria, quam Cantabrigiae collegium trinitatis dictum poſſidet, ſuppellectile aſſeruatur calculus ex veſica mulieris poſt mortem ante hos octoginta, et quod excurrit, annos extractus, figurae oualis, in ſuperficie laeuis, et ab una parte planus, inſignis ſane ponderis, quod adhuc dum, licet iam olim fruſtum aliquod de eo fuerit praeciſum, pondus trium et triginta unciarum, trium drachmarum et triginta ſex granorum, ponderis inter pharmacopoeos uſitati, explet. Attentionem in primis meretur, quod tam ingens calculus aegrae parum attulerit incommodi. Cum illa vero aliquando equum conſcendiſſet, eo vecta ſubito vehemente dolore, urinaeque mittendae difficultate, ad mortem uſque excruciata fuerat; ex quo apparet, quod incommodus calculorum ſitus ſaepe plus periculi afferat aegris, quam eorum figura, et quod aegros, ſitu tantum calculi mutato, ſaepius iuuare poſſimus. p. 596.

14) CAROLI LYTTELTON *epiſtola ad ſocietatis praeſidem de inſecto petrefacto, nondum deſcripto,* p. 598. deſcriptionem tantum, delineati in tab. II. huius numeri, inſecti continet, in addendis vero ad eandem erucae nomen ipſi imponit, inuentum fuit in comitatu Wigornienſi, Dudleii.

15) *Vlteriorem notitiam foſſilis Dudleienſis*, ab *editore Tranſactionum* conſcriptam, ſuppeditat, qui in ſpecimine, a D. POCOCK ad praeſidem ſocietatis miſſo, in lapidea nimirum maſſa, diuerſae magnitudinis illius inuenit exempla, in quibus vel caput, vel pedes vel dorſum potuerit diſtingui, et cum aliqualem cum ſcolopendra aquatica ſcutata, in Tranſact. no. 447 deſcripta, haberet conuenientiam, nihil praeter ea in aliis notatum inuenerit ſcriptoribus,

ſcolo-

ſcolopendrae aquaticae ſcutatae affinis animalis petrefacti nomen illi dedit. Diuerſas eius partes tab. I. in in iconibus refert.

p. 602. 16) *Deſcriptio delineationesque parui ſphaeroideique lapidis, lineis interdiſtincti*, auctore C. MORTIMER. Fuſci coloris lapis, et marmoris eſt conſiſtentiae, in Cantio repertus, maxime cum illo, quem ſupra a COLLINSONO deſcriptum adduximus, conueniens, linearum directione pauliſper diſcrepans. Superficiem externam, internasque lineas exhibitae tab. I. icones repraeſentant.

XXI.

Noua Medica.

Profeſſores et Doctores medicinam docentes in Academia Ienenſi:

GEORGIVS EHRHARD HAMBERGER, Phil. et Med. Doct. Phyſices Chymiae et Praxeos P. P. O. Sereniſſ. Ducum Saxoniae ſtirpis Erneſtinae Conſil. Aulic. A. N. C. Sodalis, Concilii Acad. Aſſeſſor, Medicus Prouincial. Ienenſ. Facult. Med. Senior.

CAROLVS FRIDERICVS KALTSCHMIED, Phil. et Med. Doct. Anat. Chirurg. et Botan. P. P. O. Sereniſſ. Ducis Vinarienſ. et Marchionis Brandenburgico Culmbacenſis Conſil. Aulic. Prioris Medicus, et Phyſicus, Comes Palat. Caeſ. A. N. C. Sodalis.

IOH. CHRISTIAN STOCK, Phil. et Med. D. Theoretices P. P. O. A N. C. Sodalis.

EMANVEL CHRIST. LOEBER, Med. Doct. et P. P. Extraord. Conſiliar. Iſenacenſis.

IOH. WOLFFGANG WEDEL, Med. Doct. Conſil. Aulic. Vinarienſ. et Iſenacenſis.

IOH. CHRISTOPH. TANNENBERGER, Med. Doct.

GEORGE AVGVST FVCHS, Phil. et Med. Doct.

IOH. FRIDER. FASEL, Med. Doct.

Collegii

Collegii Medico Chirurgici Dreſdenſis.

1) Commiſſarii et Directores:

AVGVSTVS SIGISMVND DE ZEVTSCH, Regis Poloniarum et Elect. Saxon. Conſiliarius bellicus intimus.

IOH. FRIDERICVS DE HEVCHER, Conſiliarius Aulae et Iuſtit.

IOH. CHRISTOPH. NEIDE, Med. Doct. Conſiliarius Aulic. et Archiater.

IVSTVS GODOFREDVS GÜNZ, Phil. et Med. Doct. S. Reg. Mai. Polon. Conſiliarius Aulic. et Archiater, in Acad. Lipſienſ. Anat. et Chirurg. P. P. O. de Acad. Reg. Scient. Pariſin. et Acad. Reg. Scient. et Art. Rothomag. et Suecic. Stockholm. Sodalis.

2) Doctores et Demonſtratores:

CHRISTIANVS HENRICVS HAENEL, Med. Doct. medicus aulicus et copiarum Saxonicarum primarius, cui munus pathologiam et therapiam morborum praecipue caſtrenſium edocendi traditum eſt.

FRIDERICVS LEBEGOTT PITSCHEL, M. D. tuguriorum militarium (Caſernen) medicus, qui anatomen et phyſiologiam, in theatro anatomico profitetur.

FRIDERICVS GOTTLOB GÜNTHER, S. Reg. Mai. Polon. chirurgus, qui lectiones et operationes chirurgicas inſtituit.

Cum voluptate ſemper eorum inſtitutorum mentionem iniicientes, quae quicquam utilitatis aut incrementi rei medicae tribuere videntur, *regium* etiam *Nanceienſium medicorum collegium* in commentariis noſtris deſcribendum eſſe putamus. Coaluit illud in *Nanceio*, ducatus lotharingici urbe regis STANISLAI iuſſu atque auctoritate et per publicatum a. d. 15 maii huius anni mandatum, confirmatum fuit. Ex eo,

eo, in eadem urbe, in forma quarta impreſſo, et ex annexis illi, a rege acceptis, legibus atque ſtatutis, ut praecipua notamus ſequentia: Omnes, qui in dicta illa urbe viuunt, doctores medici practici, hancce ſocietatem ingrediuntur. Qui iis annumerari in poſterum cupiunt, poſt exhibita acceptarum magiſtri artium atque doctoris medicinae dignitatum, et praxeos per tres iam annos exercitae, documenta, trium horarum examen ſuſtinere, aphorismum deinde ex Hippocraticis, dicto in illum commentario latino, explicare, digni denique a ſocietate habiti, ſolutis 300 ponderibus gallicis, iuramento, coram urbis praefecto, publice praeſtito, legibus collegii ſeſe obſtringere tenentur. Electi ex ſociis, per ſuffragia, praeſes, duo conſiliarii et ſecretarius perpetuus, una cum decano, collegii concilium conſtituunt, quod praeſidis iuſſu, ſi opus eſt, de rebus, ad ſocietatem pertinentibus, iudicat. Ipſum collegium ſingulo menſe unica ſaltim vice conueniens, de medicina et iis, quae artis aeque ac collegii incrementum concernunt, tractabit. Qui enim primus eſt huius collegii finis, rei medicae perfectio, omnium optime ex collectione obſeruatorum et lectione commentariorum in conuentibus, de morbis potiſſimum a ſociis perficiendorum, obtineri poteſt. Quilibet igitur eorum, peculiarem ſibi ſumet morbum, in quo disquirendo laborabit. De iis vero diſſerentes, anatomen primo partis affectae, aliorum deinde aeque ac ſuas de ſimili morbo obſeruationes et, ex his ſimul ſumtis, collectas regulas practicas, medendique methodum pertractare debent, ita tamen, ut, optime iubentibus legibus, non ſingularia ſemper atque noua phaenomena, aut e longinquo petita ratiocinia quaerant atque proponant, ſed ipſam rei naturam in obſeruando ſequantur, hinc etiam in rarioribus morbis, duos ſociorum ad viſitationem aegrotorum adhibeant. Fide digni eius modi commentarii

mentarii in conuentibus lecti, et plurimorum ſuffragio laudati, a ſecretario colliguntur. Societas inſuper, anatomicos, chymicos et botanicos curſus abſoluet, et plantas exoticas, quae in uſu ſunt, indigenas vero omnes, in horto, una cum aedificiis requiſitis et bibliotheca medica inſtruendis, colere ſtudebit; ſingulis praeter ea ſociorum illud iniunctum eſt, ut quilibet eorum, certum plantarum, ibidem ſponte naſcentium, quoad vires nondum ſatis cognitarum, numerum diſquirat, et bonos aeque ac noxios earum effectus obſeruando, in quantum illae in medicina adhiberi poſſint, conſtituat. Eorum etiam cadauera, qui morbo, non ſatis cognito vel inopinato, fatis ceſſerunt, in noſocomiis non tantum, ſed penes alios quoque diſſecanda ſunt, hinc ordinarii aegrorum illorum medici, tanquam collegii ſocii, tempore ſectionis ſecretario prius indicato, et conuocatis ab eo quibusdam ſociorum, illo in primis, qui morbum, quo aeger diſceſſit, in ſpecie diſquirendum deſcribendumque ſibi ſumſit, de ipſo morbo et ſymptomatibus eius prius differentes, poſt diſquiſitum exteriorem corporis habitum, ſectionem curabunt, factam denique ſectionis et morbi hiſtoriam, et medicorum praeſentium de iis iudicium, ſi illa attentione digna ſunt, ſecretario tradent. Habebit collegium in variis illius prouinciae urbibus, medicos, qui, ita ut pauperum medici ordinarii, de epidemicis aeque ac rarioribus morbis eorumque remediis, de omni deinde medicinae et naturalis hiſtoriae conditione ſuas obſeruationes illi transmittent. Praeter id vero, quod ſtipendio conductis medicis, in epidemicis morbis adſiſtere debeant, nominati a collegio ſocii, illud pauperum etiam medicis ordinariis quinque ſocios adiunget, qui per tres integros annos, ut medici adſiſtentes, omni ſeptimana una vice conuenient atque pauperibus, morbis affectis, gratuita dabunt conſilia. Nouiter in ſocietatem recepti, per

duos integros annos, omnibus iſtis conſultationibus intereſſe, conſultantium medicorum dicta calamo excipere, et, ſi rarior caſus fuerit, commentarium de eo conficere tenentur, quae vero, dato conſilio, de morbi hiſtoria eiusque exitu ſuperſunt, ab adſiſtentium quodam diſquirenda et expiſcanda, cuncta vero collegii ſcriniis tradenda ſunt. Aeris etiam ventorumque, qui Nanceio regnant, viciſſitudines a collegii ſecretario et uno eius ſocio obſeruandae, et aduerſariis inſerendae ſunt. Curam denique hocce collegium habebit pharmaceuticarum officinarum, eorumque, qui chirurgiam aut medicamentorum crudorum atque ſimplicium mercaturam in dicta urbe exercent, et medicam quam vendunt materiem et iuſtum eorum pretium diſquiret. Collegii nunc inſtituti ſocii atque concilii, prima hac vice a Rege nominata membra, ſequentia ſunt:

CAROLVS BAGARD, collegii praeſes, Regis STANISLAI medicus ordinarius primus.

CHRISTIANVS RONNOV, Regis medicus primus huius collegii ſocius honorarius.

GEORGIVS CHRISTOPH KAST, ſocius honorarius.

IOHANNES DE NIHELL, ſocius honorarius.

FRANCISCVS NICOLAVS MARQVET, collegii decanus et noſocomii urbis medicus adſiſtens.

IOSEPH CALLOT.

IOH. SALMON, conſiliarius collegii et medicus adſiſtens.

CAROLVS DEODATVS PLATEL, conſiliarius collegii et medicus adſiſtens.

IOSEPH NICOLAVS GERARD.

PETRVS SIREIEAN, ordinarius Regis medicus conſiliarius, collegii medicus adſiſtens.

CAROLVS IOSEPH DE VILLERS, urbis medicus ſtipendiarius.

NICOL.

NICOL. FRANCISC. CHANOT, Regis medicus ordinarius.

MARCELLINVS CVPERS, medicus Regis ordinarius collegii adſiſtens.

CLAVDIVS MICHAEL CHAILLY, urbis medicus ſtipendiarius.

CLAVDIVS CAROLVS FRANCISCVS.

CLAVDIVS FRANCISCVS BARRY, urbis medicus ſtipendiarius.

IOH. FELIX, medicus collegii adſiſtens.

DOMINICVS BENEDICTVS HARMANT, Regis, vrbis et noſocomii medicus ordinarius.

ELEONOR LANDEVTTE.

BERNARD MAVRY.

NICOLAVS THOMAS.

NICOLAVS IOSEPH GORMAND, collegii ſecretarius perpetuus.

In *Patauina* celebri uniuerſitate Cl. CAROLVM GIANELLA Ligniacenſem, medicinae theoreticae profeſſorem nominatum fuiſſe legimus. Edidit ille, praeter alia, diſſertationem de legendorum librorum medicorum ratione inſtituenda et librum de medicina praeſeruatoria, italico ſermone conſcriptum, Veronae proxime elapſo anno publicatum.

Londinenſis Regia ſcientiarum ſocietas, a. d. 18 menſis maii virum Cl. IOH. IACOBVM HVBER Sereniſſ. Ducis Heſſo Caſſellani conſiliarium aulicum et collegii med. chirurgici, quod Caſſellis floret, prof. P. in alio vero a. d. 8 iunii habito conuentu, Cl. QVESNAY conſiliarium et medicum Regis Galliae, aeque ac GVILIELMVM CADOGAN medicum Briſtolienſem in numerum ſociorum recepit.

Holmienſis itidem regia ſcientiarum academia Cl. ANDREAM MAYER, mathematices et phyſices in

academia Gripſwaldina profeſſorem publicum ſuis annumerauit. Habuit ille in illa Sueciae metropoli, haud ita pridem, ad tempus commorans, publicam in conuentu ſocietatis orationem, qua locum in ea ſibi vindicauit.

Göttingae fundata Regia ſcientiarum ſocietas, exterorum non nullos, quorum merita in rem literariam nouit, et qui, ut auditores, illius conuentibus non interfuerunt, correſpondentium titulo, academiae Pariſinae inſtar donauit. Primi ex iis, quos nominauit, ſunt: IOH. PHIL. LAVR. WITHOFF, in academia Duisburgenſi medic. P.P.; GEORGIVS CHRISTIANVS OEDER, M.D. Hafniae nunc degens, et IOH. GODOFREDVS ZINN, M. D. qui Berolini iam viuit.

XXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1751 prodierunt.

GOTTFRIED EINSPORN *Beſchreibung einiger ſonderbaren chymiſchen Verſuche, nebſt Antwort auf die Zweyſporniſche Widerlegung, Erlangen* 8.

GEORGE HENRIC. EISENMANN theſes miſcellaneae medicae, Reſp. *Io. Pfeffinger*, Argent. 4.

Traité de l'ouie, l'on a joint à ce traité une obſervation, qui peut ſervir à eclaircir l'action du poumon du fetus, par Mr. ESLEVE, à Avignon 8.

PHILIPP. CONRAD FABRICII Or. de praecipuis germanorum in rem herbariam meritis, Helmſt. 4.

Eiusd. Or. de officii prorectoris academici, ſalutis publicae academicae cuſtodis, cum functione medici inſigni analogia et conuenientia, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de lethalitate vulnerum ventriculi ſecundum principia anatomica et medica expenſa. Reſp. *Aegid. Iungen*, ibid. 4.

PHILIPP CONRAD FABRICII Propemt. ſiſtens non nullas obſeruationes anatomicas, Helmſt. 4.

Eiusd. Proluſio anat. dubia quaedam circa nouum ſyſtema euolutionis vaſorum cutaneorum naturalis, in morbo variolarum contingentis, ſibi enata exponens, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de noxiis ex cibis oriundis effectibus, Reſp. *Ernſt Ludwig Brückmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de miris quibusdam motibus ſpaſmodico conuulſiuis vagis, Reſp. *Io. Barthold Hoffmann*, ibid. 4.

GEORG. DE LA FAYE *Anfangsgründe der Wundarzney, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Straſsburg*, 8.

LAVRENT. FERRET quaeſt. med. an Cliui meudonici ſitus, ut amoenus, ſic ſalubris? Reſp. *Simon Anton Bringaud*, Paris, 4.

Cours de chymie par NIC. LE FEVRE, a Paris, 5 Vol. 12. c. f.

I. GOTTFR. FISCHER Comment. phyſ. med. de vermibus in corpore humano et anthelmintico priori anno inuento, Stadae, 8.

The nature of the nervous fluid, or animal ſpirits demonſtrated with an introductory preface, by MALCOLM FLEMYNG, Lond. 8.

An account of the ſore throat attended with ulcers. By IOHN FOTHERGILL the third edition, London, 8. mai.

Experiments and obſervations on electricity made at Philadelphia in America, by BENJAMIN FRANKLYN, ibid. 4.

IO. HERMANN FÜRSTENAV *Anmerkungen von rechtem Gebrauch und vielerley Miſsbrauch der mineraliſchen Waſſer, ſonderlich des Pyrmonter Geſund-Brunnens*, Lemgo, 8.

Lettre de M. de G. * * * à M. de M. * * * à Aix la Chapelle ſur l'elixir d'or et blanc de M. le General de la Motte, à Paris, 12.

Reponſe de M. G.*** Docteur en medecine, reſident a V*** à la lettre de Mr. Olivier, a Paris, 12.

Förſok til en Oeconomiſk Beſkrifning öf wer Satacunda Höraders nörra delan, PETER ADRIAN GADD, *Stockholm*, 8.

I. A. GARRIDO livro de agricultura etc. Liſſabon, 4.

IO. MICH. GASSERI Pr. de artibus mutis ad illuſtrand. Virgil. loc. Aen. XII. 397. Halae, 4.

HIERON. DAV. GAVBII methodus concinnandi formulas cum praef. DANIEL. WILHELM. TRILLERI editio quarta. Frft. ad Moen. 8.

Chroageneſie, ou generation des couleurs contre le ſyſteme de Newton, par Mr. GAVTIER, Tom. II. a Paris, 12. c. f. aen.

GEBERI *vollſtändige chymiſche Schriften in 4 Büchern, wie man Silber und Gold machen ſoll*, *Wien*, 8.

A new treatiſe on britiſh and foreign vegetables, which are now conſtantly uſed in the practice of phyſick &c. being an improvement upon the materia medica of the FRAW GEOFFROY, Lond. 8.

RVBERT. GHERARDI Rifleſſioni ſopra l' uſo del mercurio nella medicina fatte da un academico e communicate agli amici, Lucca, 4.

CAROLVS GIANELLA Trattato di medicina preſervativa diviſo in ſette parti, Verona, 4.

A new treatiſe on the diſeaſes of horſes &c. by WILLIAM GIBSON, Lond. 4. c. f.

NICOLAVS GISLER Orat. *Tal om Medelpads och Angermanlands naturliga lynne och beſkaffenhet. Holmiae*, 8.

I. GEORGE GMELINS *Reiſe durch Siberien, erſter Theil, Göttingen*, 8.

PIERRE LEON GOMEZ Diſſertationes morales y medicas etc. Madrid, 4.

IO. DE GORTER opuſcula varia medico theoretica, Pataui, 4.

IO. DE GORTER medicina dogmatica ſ. opuſcula medico practica, tres morbos particulares, delirium, vertiginem et tuſſim, aphoriſtice conſcriptos etc. ſiſtens, Patauii, 4.

CLAVD. FRANCIS. GRANDCLAS quaeſt. med. an ex poris potius quam ex vaſorum extremitatibus tranſpiratio? Reſp. *Io. Baptiſta Barjolle*, Paris, 4.

I. S. G. GRAPIVS *von dem Vortreflichen in der Arzneywiſſenſchaft*, *Hoja*, 4.

Diſſertazione in cui ſi inveſtiga quali ſieno le operazioni che dependono della magia diabolica, et quali, quelle che derivano delle magie artificiale e naturale; e qual cautela ſi ha da uſare nella malgevolezza di diſcerner le da CONSTANTINO GRIMALDI, in Roma, 4.

FRANC. GRISELINI dall utilita delle zootomia, in Venezia, 4.

IOH. AVG. GROTIAN *phyſikaliſche Winter-Beluſtigungen*, *mit Hyacinthen*, *Jonqvillen*, *Tazetten etc.* *Nordhauſen*, *2te Auflage*. 8.

Ecole de cavalerie contenant la connoiſſance l'inſtruction et la conſervation du cheval par Mr. DE LA GVERINIERE, a Paris, fol. c. f. aen.

AARON SALOMON GVMPERTZ Diſſ. de temperamentis, Frft. ad viad. 4.

HAGVENOT Tr. de morbis capitis externis, Avenione, 12 mai.

IO. DAVID. HAHN Diſſ. de efficacia mixtionis in mutandis corporum voluminibus, L. B. 4.

Eiusd. Diſſ. de conſuetudine, ibid. 4.

IO. GODOFR. DE HAHN Hiſtoria podagrae eminentiſſimi cardinalis Phil. Ludov. a Sinzendorff, Noriberg. 4.

Eiusd. variolarum ratio expoſita, Vratiſlav. 4.

Conſiderations ſur la cauſe phyſique des tremblemens de terre par Mr. HALES etc. Paris, 8.

ALB. VON HALLER opuſcula anatomica, Götting. 8. c. f. aen.

Eiusd. primae lineae phyſiologiae auctae et emendatae, edit. 2da, ibid. 8.

Eiusd. Diſſert. anat. Vol. VI, VII, ibid. 4. c. f.

Reflexions ſur le ſyſteme de la generation de Mr. de Buffon, trad. d' une preface allemande de Mr. DE HALLER, a Geneve, 12.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens experimenta quaedam in viuis animalibus praecipue circa tuſſis organa exploranda inſtituta, Reſp. *Io. Melch. Frider. Albrecht*, Goetting. 4.

Eiusd. Diſſ. de victu ſalubri ex animalibus et vegetabilibus temperando, Reſp. *Nicol. Himſel*, ibid. 4.

Lettre de Mr. DE HALLER à Mr. de Maupertuis ſur une brochure de la M. (Metrie) avec la réponſe de Mr. de Maupertuis,

THEOPHIL. EMANVEL. DE HALLER Epiſtola in qua dubia ex Linnaei fundamentis botanicis hauſta tradere pergit, Goetting. 4.

GEORGE ERHARD HAMBERGER phyſiologia medica, Ienae, c. f. aen. 4.

Eiusd. Diſſ. fetum in utero materno liquorem amnii deglutire, Reſp. *Io. Frider. Keſſel*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſiti, Reſp. *Paul. Conrad. Ieſſen*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſcirrho, Reſp. *Io. Chriſtoph. Paezel*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de atoniae cauſis in genere, Reſp. *Phil. Iac. Hoffmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de anxietatibus, Reſp. *Mich. Iac. Buch*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de calore ac frigore C. H. atque modo agendi remediorum refrigerantium et calefacientium, Reſp. *Ioachim Francke*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſcorbuto frigido, Reſp. *Io. Auguſt. Wilhelm Lezuis*, ibid. 4.

GEOR-

GEORGE ERHARD HAMBERGER Diſſ. de natura febris, Reſp. *Iulius Albertus Henricus Zeller*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de conuulſionum natura, Reſp. *Chriſtian Adam Gondela*, ibid. 4.

PETR. IMMANVEL. HARTMANN de ſudore unius lateris c. praef. de quibusdam febribus ſudatoriis malignis, Halae, 4.

IO. ERNESTI HEBENSTREIT anthropologia forenſis ſiſtens medici circa rem publicam cauſasque dicendas officium, Lipſ. 8.

Eiusd. Progr. palaeologiae ſpec. 27. de fonte auxiliorum diaeteticorum, ibid. 4.

Eiusd. Pr. pal. ſpec. 28. de fonte auxiliorum therapeutico-medico, ibid. 4.

Eiusd. Ἐξηγησις ὀνοματων των περι παθων. Exegeſis nominum graecorum, quae morbos definiunt, ibid. 4.

Αντιθηριακα An Eſſay on mithridatium and theriaca, by W. HEBERDEN, Lond.

PETR. HECKERS Diſſ. de carebaria, L. B. 4.

FRIDER. GODOFRED. HEINTZE Diſſ. de carie oſſium, Gryphswald, 4.

LAVR. HEISTER Diſſ. de generibus plantarum medicinae cauſa potius augendis quam minuendis, Reſp. *Io. George Magnus Woellnerus*, Helmſt. 4.

Eiusd. Diſſ. de partu mirabili foetus viui in ſomno matris profundo, Reſp. *Io. Brand. Heinr. Behrens*, ibid. 4.

La methode de tailler au petit appareil et ſes avantages par Mr. HEISTER, trad. du latin par Mr. M. S. a Paris, 12 mai. c. f.

HELLOT *Färbekunſt, oder Unterricht Wolle und wollne Zeuge zu färben etc. aus den Franzöſiſchen überſetzt durch* A. G. Kæſtnern, *Altenburg*, 8.

IOACHIM FRIEDR. HENKEL *Anmerkungen von widernatürlichen Geburthen zur Verbeſſerung der Hebammenkunſt*, *Berlin*, 4.

IOACHIM FRIEDR. HENKEL *Sechſte Sammlung ſeiner medicíniſch - und chirurgiſchen Anmerkungen, Berlin,* 4.

GEORGE HEVERMANNS *Phyſiologie 1ſter Theil, Coppenhagen und Leipzig,* 8. c. f.

IO. ANTON. HEYN animaduerſiones iuxta neruum opticum atque amphibleſtroidem tunicam, Kilonii, 4.

A hiſtory of the materia medica containing deſcriptions of all the ſubſtances uſed in medicine etc. by IOHN HILL, London, 4.

Hiſtory of plants, by IOHN HILL, ibid. fol. c. f.

MAYER HIRSCH Diſſ. de cholera humida, Giſſae, 4.

Iemtlands oeconomiske beſkrifning i akt tagen po en reſa om ſommer 1749. *af* I. OTTO HAGSTRÖM, *M. D. Stockholm*, 8.

FR. HOFFMANN *kurzgefaſste* Diaetetic *oder Vnterricht, wie ein Menſch durch ordentliche Lebensart ſich lange Zeit geſund erhalten könne, 3te Auflage, Jena und Leipzig,* 8.

La politique du medecin ou les regles de prudence, qui doit ſuivre un jeun medecin, traduit du latin de Mr. FRID. HOFFMANN, par IAQVES IEAN BRVHIER, Paris, 12.

WILLHELM CHRISTIAN HOFFMANN diſquiſ. medico forenſis de oſſibus foetus, quatenus inſeruiunt eiusdem determinandae aetati in caſu ſuſpecti infanticidii, Frft. et Lipſ. 4.

GEORGE HOLYKS *neu vermehrtes Garten - Buch, Frft.* 8.

An eſſay on the contents and virtues of Dunſe-Spaw in a Letter to Mylord *** by FRANCIS HOME, Edinburgh, 8.

IO. GODOFR. IANCKE de oſſibus mandibularum puerorum ſeptennium Diſſ. prima, Reſp. *Ernſt Samuel Wehle,* Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ. 2da de ead. mat. ibid. 4. c. f.

10.

IO. IAC. IANTKE Manuductio ad veram theoriam morborum, praxinque clinicam de haemorrhagia narium, Reſp. *Io. Iac. Frider. Deinlein*, Altorf. 4.

P. GIOVAN CARLO IGNACI aleſſifarmaco per la corrente epidemia degl' animali e preſervativo per le conſeguenti epidemie, in Venezia, 4.

Practical caſes and obſervations in ſurgery with remarks etc. by DALE INGRAM, London, 8.

CHRISTIAN GOTTLIEB IOECHER elogium Caroli Chriſtiani a Tettav, Lipſ. 4.

HERM. PAVL IVCH Diſſ. de pollutione, Reſp. *Chriſtian Gotthold Schwenke*, Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſelectis remediis ac medicamentis externis contra inflammationes eorundemque prudenti adminiſtratione, Reſp. *Io. Gottlieb Grundmann*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de conuulſionibus, Reſp. *Io. Erneſt. Rauſchenberg*, ibid. 4.

IO. IVNCKER Diſſ. de regulis generalioribus circa venae ſectionem obſeruandis, Reſp. *Iac. Frider. Sander*, Halae, 4.

BERNARD DE IVSSIEV quaeſt. med. an minor in foetu quam in adulto partium ſolidarum abraſio? Reſp. *Simon Anton. Bringaud*, Paris, 4.

IOH. GOTTFRIED KIESLING *Magazin oder Vorraths-Kammer, darinnen anzutreffen, was zu Einrichtung ordentlicher Wirthſchaften etc. nebſt dem männlichen Geſchlechte beſonders das Frauenzimmer auf natürliche und ſittliche Weiſe zu beobachten hat. Leipzig*, 8.

IO. KAEMPF Diſſ. de infarctu vaſorum ventriculi, Baſil. 4.

PETER KALM *en kort beraettelſe om naturliga ſtættet nytten ſamt ſkoetſel af nogra wexter hembragte Notra America, Stockholm*, 8.

CAROL. FRIDERIC. KALTSCHMIED Diſſ. de phthiſi pulmonali eiusque praeſeruatione, Reſp. *Phil. Bernhard Pettmann*, Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. de ſanguinis in venam portarum ingeſti vera natura, Reſp. *Io. Frider. Fuſelius*, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de hernia incarcerata exulcerata cum veſica ita ut faeces et urina ex rupto perinaeo profluerent, aegro per 17 annos conſeruato, ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de variis praeter naturalibus in ſectione cadaueris inuentis, ibid. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. de geneſi calculi renum, Reſp. *Nicol. Heinr. Schubart*, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de caſu partus difficilis, ubi infanticidium licitum eſt, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de experimento pulmonum infantis aquae iniectorum, adiecta obſeru. de dextro infantis lobo aquae immiſſo ſupernatante, ſiniſtro fundum petente, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de pleuritide vera atque ſpuria, Reſp. *Iac. Frider. de Neufville*, ibid. 4.

IO. FRIEDR. KESSEL *Wiederlegung derer im* 99, 105 *und folgenden Stücken des Hamburgiſchen Correſpondenten befindlichen Beurtheilung der Phyſiologie des Hrn. Hambergers, nebſt Anhang wider zween Aufſätze der Göttingiſchen Zeitungen, Iena*, 4.

IO. KIRCHOFER Diſſ. de circulatione ſanguinis eius obſtaculis et auxiliis mechanicis naturalibus, L. B. 4.

Some reflections on the cauſes and circumſtances that may retard or prevent the putrefaction of dead bodies etc. by I. KIRKPATRICK, Lond. 12.

IAC. THEOD. KLEIN quadrupedum diſpoſitio breuisque hiſtoria naturalis, Lipſ. et Lubecae, 4. c. f.

IO. HIERONYMI KNIPHOFII Diſſ. de reſpiratione, Reſp. *Wilhelm. Franciſc. Engel*, Erford. 4.

IO. HIERONYMI KNIPHOFII Diſſ. de medicamentis diureticis ſpecificis, Reſp. *Andr. Adam Siegfried*, Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. de gutta ſerena, Reſp. *Io. Gottfr. Hoffmann*, ibid. 4.

Eiusd. de ſalubritate Erfordiae, Reſp. *Io. Frider. Tennemann*, ibid. 4.

VAL. KRAEVTERMANN *Compendioeſes deutſch und lateiniſch Blumen und Kräuter-Buch*, *Arnſtadt*, 8.

Praelectiones academicae in phyſicae partes mechanicas et his cognatas conſcriptae a GEORGIO WOLFGANGO KRAFFT, Tubingae, 8.

Eiusd. Diſſ. de iride, Reſp. *Chriſtoph. Frider. Stockmaier*, Tubing. 4.

FERDINAND AVG. KREVTZER *Erörterung der Frage: ob die güldene Ader dem menſchlichen Körper zuträglich, und ob ein Aderlaſs am Arm beſſer oder am Fuſs nützlich ſey? Königsberg*, 4.

IO. GOTTLOB KRÜGER Diſſ. de lege naturae, quod in corpore animali ſenſationem excipiat motus ſenſationi proportionatus, Reſp. *Petr. Samuel de Chauſepie*, Halae, 4.

Eiusd. *Diät oder Lebens-Ordnung*, ibid. 8.

Eſſai ſur le mechaniſme des paſſions en general par Mr. LALLEMANT, a Paris, 12 mai. c. f.

PETR. LA LOVETTE quaeſt. med. an praecauendis ſanandisque chronicis affectibus exercitatio? Reſp. *Petr. A Gäeſſe*, Paris, 4.

GEORGE AVGVST LANGGVTH Diſſ. de purgatione alui frequentiore veneno magis quam panacea, Reſp. *George Chriſtian Klingner*, Viteb. 4.

Eiusd. Pr. deſcriptio embryonis trium cum dimidio menſium abortu reiecti, qua faciem externam ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de nutritione foetus per ſolum umbilicum, Reſp. *Io. Philipp. Glaſer*, ibid. 4.

Nouveaux

Nouveaux eſſais de phyſique par Mr. LE RATZ DE LANTHENEE, a Paris, 12.

IO. HIERON. LAPPII Diſſ. de curatione ſtranguriae contumacis, frequentem maleque tractatam gonorrhoeam virulentam conſequentis, Romae, 4.

BENIAMIN LVDOVIC. LVC. DE LAVREMBERT quaeſt. med. an cereuiſia potus ſaluberimus? Reſp. *Claud. Ioſeph. Gentil*, Paris, 4.

IACOB LAZERME curationes morborum, Tom. I. II. Monſpelii, 12 mai.

CAROL. GEILLE DE SAINT LEGER quaeſt. med. an homini mature ſeneſcere, et ultimum mori tam naturale tam ineluctabile ſit, quam adoleuiſſe et maturuiſſe? Reſp. *Iacob Franciſ. Latier*, Paris, 4.

IOH. CHRISTIAN LEHMANN *vollkommne Blumen-Garten im Winter*, *Leipzig*, 8. c. f.

IO. GOTTLOB LEHMANN *Einleitung in einige Theile der Bergwerks-Wiſſenſchaft*, *Berlin*, 8. c. f.

FRIED. CHRISTIAN LESSERS Lithotheologie, *oder natürliche Hiſtorie und geiſtliche Betrachtung der Steine*, *Hamburg*, 8.

Suite des obſervations ſur les cauſes et les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux etc. par Mr. LEVRET, a Paris, 8. c. f. aen.

CAROL. LINNAEI *Skonska Reſa förrättadt A.* 1749. *Stockholm*, 8 mai.

Eiusd. philoſophia botanica, in qua explicantur fundamenta botanica, cum definitionibus partium, exemplis terminorum et obſeruationibus variorum, Stockholm, 8 mai. c. fig.

Eiusd. Diſſ. de plantis hybridis, Reſp. *Io. Hartmann*, Vpſal. 4.

Eiusd. noua plantarum genera, Reſp. *Io. Leonh. Chenon*, ibid. 4.

Eiusd. de ſapore medicamentorum, Reſp. *Iacob. Rudberg*, ibid. 4.

CAROL.

CAROL. LINNAEI amoenitates academicae ſ. diſſertationes phyſicae, medicae, etc. Vol. II. Holm. 8 mai. c. fig.

Medical principles and cautions, by THEOPHILVS LOBB, London, 8.

DON IVAN LOPEZ compendio anatomico 2 parte de la myotomologia, Madrit, 8.

HIERONYM. LVDOLF Diſſ. de gonorrhoea, Reſp. *Io. Balthaſar Muſculus*, Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. docens methodum ſpecialem tumores glandularum chronicos in ſcirrhos degenerantes e fundamento curandi, Reſp. *Frider. Erneſt. Pfeiffer*, ibid. 4.

PHILIPP SILVESTER LVRSENII Diſſ. de cortice peruuiano, L. B. 4. c. f.

PETR. MACQVER quaeſt. med. an fami potius quam temporibus in aſſumendo victu parendum? Reſp. *Ludov. Petr. Fel. Renat. le Thieullier*, Paris, 4.

Elemens de chymie pratique par Mr. MACQVER, Tom. I. II. a Paris, 12 mai.

IACOB. MALBOIS Diſſ. de inteſtinis ac vermibus in iis nidulantibus, L. B. 4.

PAVL. IACOB. MALOÜIN quaeſt. med. an in actionis reactionisque aequalitate, oeconomia animalis? Reſp. *Claud. Thom. Guillet. Guilbert de Preval*, Paris, 4.

Viridarium Florentinum ſiue conſpectus plantarum, quae floruerunt et ſemina dederunt an. 1750 in horto caeſareo florentino, ſocietatis botanicae cuſtodiae commiſſo, auctore XAVERIO MANETTI, M. D. Florenz, 8.

Eiusd. viridarii Florentini auctuarium etc. ibid. 8.

CHRISTOPH. ANDR. MANGOLD regulae condendi ſyſtematis perfecti, facilis et certi medicinae practicae, Reſp. *Carl. Guilielm. Frider. Struu*, Erford. 4.

EVERARD DE MARCQ Diſſ. de melancholia, L. B. 4.

FRAN-

FRANCOIS NICOLAVS MARCQVET obſervations ſur la guériſon de pluſieurs maladies notables aigues et chroniques, a Paris, 8.

A. G. MARGGRAF *Prüfung der Schriften und Streitigkeiten des M. D. J. F. Henckels, nach der Vernunft und Erfahrung nebſt der Beantwortung der Frage: ob und wie der Mercurius in unſern Kœrper degeneriren könne*, *Berlin*, 4.

Traité des pierres gravées par P. I. MARIETTE, 3 Vol. a Paris.

Diſſertations ſur la chaleur, avec des obſervations nouvelles ſur la conſtruction et la comparaiſon des thermométres par MARTINE, ibid. 12.

D. M. C. M. A. (MARTINI) Diſſ. epiſt. quae de oleo Witnebiano ſiue Kaiuput inuento eiusque ſaluberrimis effectibus exponit, Wolfenbutt. 4.

IO. NIC. MARTII *Vnterricht von der* magia naturali *und derſelben mediciniſchen Gebrauch*, acc. *neu eræfnetes Kunſt-Cabinet, und* ANTONII MIZALDI 100 *curieuſe Kunſt-Stücke*, *Frf. und Leipz.* 8.

IOSEPHI MARZVCCHI noua et vera chymiae elementa, Patavii, 8. c. f.

Monita et praecepta medica, auctore RICHARD MEAD, Londini, 8 mai.

RICHARD MEAD opera, interpr. A. C. LORRY, Paris, 8. c. fig.

DE LA METTRIE Oeuvres philoſophiques, 4.

Eiusd. Oeuvres de Medecine, Tom. I. a Berlin, 4.

IACOB DE MEZA Diſſ. de peripneumonia, L. B. 4.

RICHARD MILNES Diſſ. de teneſmo, L. B. 4.

LAVR. MIZLERVS Progr. de uſu ac praeſtantia medicamentorum chemicorum, Varſaviae, 4.

IO. GEORGE MODELS *Abhandlung von Beſtandtheilen des* Boracis *bey Gelegenheit der Vnterſuchung eines gewiſſen Perſiſchen Saltzes, aus dem lateiniſchen überſezt und mit einer Einleitung vermehret von*

dem

dem Autore, nebſt einer Vorrede von D. Ioh. Georg Gmelin, *Stutgart*, 8.

LVDOVIC. GVILIELM. LE MONNIER quaeſt. med: an a frequentiori potu Café vita breuior? Reſp. *Edmund. Thom. Moreau*, Paris, 4.

IO. FRANCISC. CLEMENT. MORAND quaeſt. med: utrum in corpore humano fluidarum duntaxat partium deperditio et reparatio? Reſp. *Paulus de Roy*, ibid. 4.

ANDR. GERHARD MÜLLER Oratio de longaeuitate acquirenda, Giſſae, 4.

Eſſais de phyſique par MVSSCHENBROEK, 2 Voll. a Paris, 4. c. f.

ERNEST. IER. NEIFELD ſpec. I. phyſico med. de ſecretione humorum in genere, Züllichouiae, 8. c. f.

IO. FRIDR. NEVMANNS *nähere Erklärung des Begriffes von der wilden Erde, nebſt Gedancken von Miſtmachen, Berlin*, 4.

ERNEST. ANTON. NICOLAI ſyſtema materiae medicae ad praxin adplicatae, P. I. Halae, 4.

Eiusd. *von den Wirkungen der Einbildungskraft in dem menſchlichen Koerper, ed.* 2da *auct. Halle*, 8.

I. A. NOLLET Recherches ſur les cauſes particulieres des phenomenes electriques et ſur les efets nuiſibles ou avantageuſes qu'on en peut attendre, Paris, 4.

ANDREAE NVNN Diſſ. qua euerſa vaſorum rubrorum uteri anaſtomoſi ac communicatione cum placenta, ſaniorem ac naturae inſtituto magis conſentaneum nutritionis foetus modum ac mechaniſmum demonſtrat, Erford. 4.

A practical eſſay on the uſe and abuſe of warm bathing in gouty caſes by WILLIAM OLIVER, Bath et London, 4.

Lettera medica practica della morte apparente degli animali non dipendente da malattia e maniera di ſoccorerli da G. D. P. in Genua, 4.

Aggiunta alla ſtoria del ſomnambulo publicata dal ſign. D. GIOVAN. PIGATI, col racconto della di lui guarigione per mezzo della virtu elletrica di ORAZIO MARIA PAGANI, Vicenza.

PAVL. ANDR. PARENTI de doſibus medicamentorum liber cum praefat. H. D. GAVBII, L. B. 8 mai.

GASP. ROD. DE PAYVA epicriſis critico apologetica de affectu atrabiliario, mirachiali, ſiue de morbis cerebri et mentis, qui extra cerebrum originem ducunt, Romae, 4 mai.

LEAND. PEAGET quaeſt. med: an ablactandis pulticula potior a medulla panis aut malti farina? Reſp. *Iacob Franciſc. Latier*, Paris, 4.

ANDR. PIQVER Tratado de las calenturas ſegun la obſervation y et mechaniſmo &c. a Valence, 4.

IOH. ZACH. PLATNER *Abhandlung von der Reinlichkeit, mit Anmerkungen und einer Vorrede begleitet von D.* Chriſt. Gotth. Schwencke, *Leipzig*, 4.

ANTON. WILHELMI PLAZII organicarum in plantis partium hiſtoria phyſiologica, Lipſ. 4.

CORNEL. PLEVIER *gezuiverde Vroedkonſt*, *Amſtelod*, 4.

GODOFR. PLOVQVET de materialiſmo cum ſupplemento et confutatione libelli l' homme machine inſcripti, Tubing. 4.

Eiusd. Diſſ. contra harmoniam animi et corporis praeſtabilitam, Reſp. *Iac. Frider. Weiſs*, ibid. 4.

Mecanique des langues et l' art de les enſeigner par PLVCHE, a Paris, 12.

GEORGE WILH. POEZINGER propoſitiones aliquot ſtaticae, Erlangae, 4.

IOH. HEINRICH POTT *Fortſetzung derer chymiſchen Vnterſuchungen, welche von der* Lithogeognoſie

oder

oder Erkänntniſs und Bearbeitung derer Steine und Erden ſpecieller handeln, *Berlin und Potsdam*, 4.

Traité de la pharmacie moderne par Mr PYRAVX, avec DRAKEI diſcours ſur la fievre intermittente, ſur la petite verole, la rougeolle, et la pharmacie trad. du latin, a Paris, 12 mai.

SAMVEL THEODOR. QVELMALZ Pr. de clysmatibus frigidis, Lipſ. 4.

Eiusd. Diſſ. de potu morborum cura, Reſp. *Friedr. Gottlieb Hübner*, ibid. 4.

GEDEON. DE RABOVRS quaeſt. med: an fumus ceſpitum inflammabilium, picardis tourbes, ſanitati noxius? Reſp. *Io. Baptiſt. Baſſeville*, Paris, 4.

IACOB CHRISTOPH RAMSPECK ſelectarum obſeruationum anatomico phyſiologicarum atque botanicarum ſpecimen, Reſp. *Conrad Schindler*, Baſil. 4.

PHILIPP. CHRISTIAN. RANGII obſerv. miſcel. circa animae et corporis unionem, Reſp. *Io. Iac. Lux*, Argentor. 4.

L'art de faire eclorre et d' elever en toute ſaiſon des oiſeaux domeſtiques de toutes eſpéces &c. par Mr. DE REAVMVR avec les preceptes de pure pratique de cet art, ſeconde edit. 2 Vol. a Paris, 12.

Pratique de l'art de faire eclorre et d' elever en toute ſaiſon des oiſeaux domeſtiques etc. par Mr. DE REAVMVR, a Paris, 12. mai. c. f.

CHRISTIAN REICHARDT *Abhandlung von allerhand Saamenwerk, als der erſte Theil des Erfurtiſchen Land-und Garten-Schatzes*, Erf. 8.

CHR. CARL. REICHEL de vegetabilibus petrefactis, Viteb. 4.

IOH. CHRISTOPH. REINMANN proluſio, qua actum anatomicum aperit et de incremento chirurgiae ex ſtudio anatomiae ſumto diſſerit, Rudolſtadii, 4.

Eiusd. *daſs die Betrachtung des menſchlichen Koerpers, eins der edelſten und nützlichſten Beſchäftigungen ſey*, ibid.

IOHANN CASPAR REISERS *gründliche Vnterſuchung des Aderlaſſens und Schroepfens*, *Augſp.* 8.

GEORGE GOTTLOB RICHTER de voce naturae ſeu ſenſibus internis variae corporis indigentiae adſtrictis, Reſp. *Io. Frider. Ackermann*, Goett. 4.

Eiusd. pr. de balneo in primis animali, ibid. 4.

Garten-Lexicon mit einem Garten-Calender von IOH. CHRISTOPH RIEDEL, *Nordhauſen*, 8.

IO. GEORGE RÖDERER Pr. de axi peluis, Goett. 4.

IAC. ROHALTI phyſica, Roterod. 8.

ROLLI de motu corporis, Venetiis, 8. c. f.

EBERHARD ROSEN de medicina laborum Lulenſium, Reſp. *Lorenz Montin*, Lond. 4.

Epitre a Mr. MOREAV premier chirurgien de l' hotel dieu de Paris par Mr. LE ROY, a Paris, 8.

GVILIEL. SANDIFORD de viris de re medica optime merentibus, L. B. 4.

IO. DOMINICVS SANTORINI inſtruzione intorno alle febbri. Edizione noviſſima accreſciuta di varii aggiunte tratte da manuſcritti dell' autore medeſimo. Venedig, 4.

AVGVST SCHAARSCHMIDT *myologiſche Tabellen*, *2te Ausgabe*, *Berlin*, 8.

Eiusd. *adenologiſche Tabellen*, ibid. 8.

SAMVEL SCHAARSCHMID *Abhandlung von der Geburthshülffe*, *mit Zuſätzen von* ERNST ANTON NICOLAI, *Berlin*, 8.

Eiusd. *Phyſiologie*, 2 *Voll. Berlin*, 8.

IO. FRID. SCHEIBLERI fundamentorum totius ſcientiae medicae pars theoret. prima, acc. praef. de praerogatiua medicinae prae reliquis ſcientiis, Berolini, 8.

IO. ANDREAE GOTTFRIED SCHETELIG de vita humana in primis eius breuitate hodierna huiusque cauſis cogitationes, Hamburgi, 4.

THEOD. AVGVST. SCHLEGELII Diſſ. de morbis ſexus feminei ex defectu potus oriundis, Reſp. *Car. Guiliel. Frider. Struv*, Helmſt. 4.

CASI-

CASIMIR CHRISTOPH SCHMIEDEL Diſſ. de dentitione praeſertim infantum difficili, Reſp. *Chriſtoph. Iac. Apia,* Erlangae, 4.

Eiusd. Diſſ. de oreoſelino, Reſp. *Georg. Chriſtian Troeltzſch,* ibid. 4.

Alſatia illuſtrata celtica romana francica Tom. I. Auctore IO. DAN. SCHOEPFLIN, Colmar, fol. c. f.

PROSPERI MARTIANI annotationum in coacas praenotiones ſynopſis, accurante R. SCHOMBERG, Londini, 8.

DANIEL GOTTFRIED SCHREBERS *Beſchreibung des Waidtes etc. Halle,* 4 mai. c. f.

GOTTWALD SCHVSTER votum monſpelienſe vade et occide Cain. epiſt. Chemnit. 4.

CHRISTIAN GOTTHOLD SCHWENKE *das geſunde Landleben nebſt Beantwortung der Frage: ob man die Aerzte in geſunden Tagen brauchen könne? nebſt einer Vorrede D.* I. E. HEBENSTREITS *von der alten griechiſchen Medicorum Meynung von dem geſunden Landleben, Leipzig,* 8.

Eiusd. *von dem abführenden Pulver, welches* IOH. AILHAVD, *nebſt einem Tractat herausgegeben, Erft. und Leipz.* 4.

SAM. SHARP Recherches critiques, ſur l' etat preſent de la chirurgie, trad. de l' Anglois par A. F. IAVLT, a Paris, 12 mai.

IACOBI SINIBALDI animaduerſiones practicae, Madrit.

Nouveau voyage de Guinée traduit de l' Anglois de GVILLAVME SMITH, Pars I. II. a Paris, 12 mai.

DAVID SOAME the caſe of receiving ſmallpox by inoculation impartially conſidered, Lond. 8.

IOSEPH MARIAE FRANCISC. DE LA SONE quaeſt. med: an tabacum lentum ſit homini venenum? Reſp. *Io. Baptiſt. Bariolle,* Paris, 4.

IOACH. FRIDER. SPATH *Entwurf der Geſchichte einer Steinſammlung bis auf unſre Zeiten, Berlin,* 8.

GEORG. ERNEST. STAHL Diſſ. de vena portae porta malorum, Reſp. *Ioachim. Petrus Gaetke*, rec. Hal. 4.

BALTHAS. ABRAH. STIERIVS de fallaciis circa artem chemicam obuiis, ep. Lipſ. 4.

IO. CHRISTIAN STOCKII proluſ. de tuenda ſanitate in meditationum laboribus 9-14, Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. de praeſtantia martis in morbis chronicis, Reſp. *Frid. Erh. Loeber*, ibid. 4.

IOH. STORCH *von Weiber-Krankheiten 6, 7ter Band*, *Gothe*, 8.

Eiusd. *von Kinder-Kranckheiten 4ter Band, Eiſenach*, 8.

ALBERT EX ALTO VAN DER STRAATEN Diſſ. de paralyſi Traiect. ad Rh. 4.

CAROL. GVILIELM. FRIDER. STRVVII Diſſ. de ſpiritu carminatiuo de tribus, Reſp. *Io. Gottfr. Kniphof*, Erford. 4.

ADAM LVDWIG SVCHLAND Diſſ. de impedimentis circulationis ſanguinis, Reſp. *Godf. Sam. Heyer*, Regiom. 4.

A ſhort account of the ſucceſs of warm bathing in paralytic diſorders, by IOHN SVMMERS, Lond. 8.

TIELEMANN TAME Diſſ. de medicinae ſimplicitate, L. B. 4.

Relazioni d'alcuni viaggi fatti in diverſe parti della Toſcana per oſſervare le produzioni naturali e gli antichi monumenti di eſſa dal GIOV. TARGIONI TOZZETTI, Tom. I. II, Fiorenze, 8.

HERM. FRIDERICI TEICHMEYERI inſtitutiones medicinae legalis vel forenſis, Ienae, 4.

HENRICVS TEMPEST Diſſ. de iis, quae praeſtant lotiones in morbis acutis, L. B. 4.

GEORGE DANIEL THEBESII *Nachricht vom Rauch und Schnupftaback, nebſt einem Auszug aus* HEINRICH BARNSTEINS *Tractat vom Tobac, Halle*, 4.

IO. CHRISTIAN THEMEL comment. med. qua nutritionem foetus in utero per vaſa umbilicalia ſolum

lum fieri occaſione monſtri ouilli ſine ore et faucibus nati oſtenditur, Lipſ. 4. c. f.

IO. CHRISTIAN THEMEL *Ober-Erzgebürgiſches Journal, oder Sammlung von allerhand in die hieſige Natur-Wiſſenſchaft &c. einſchlagende merkwürdige Abhandlungen &c. 8tes und 9tes Stück, Freyberg und Leipz.* 8. c. f.

GVILIELM. THOMSON Diſſ. de medicina rationali vera et de uſu eius in praxi medica, L. B. 4.

IO. CHRISTIAN TILLINGII obſeruat. med. ſingulares circa verum uſum thermarum carolinarum in diuerſis morbis inſtitutae, Lipſiae, 8.

A. TITSINGH *Ruſt-Cluren, beſteed tot opbouw der loffelyke Heelkonſt, Amſterdam.*

Die Stuffen-Jahre des menſchlichen Lebens, betrachtet von ALEXAND. NIC. TOLKEMIT, *Elbingen.*

Scienza della natura del padre, GIO MARIA DELLA TORRE, Tom. I. in Neapoli, 4.

TRENDELENBVRGS *fernere Fortſetzung der Halleriſchen und Hambergeriſchen Streitigkeiten vom Athemholen &c.* 4.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia, Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa pinxit, *Georg. Dionyſ. Ehret.* collegit, nominibus notisque illuſtrauit CHRISTOPH. IACOB. TREW, in aes incidit et viuis coloribus repraeſentavit, *Io. Iac. Haid* decuria 2da, fol. reg. c. f.

DANIEL WILHELM TRILLER Pr. de veterum chirurgorum arundinibus atque habenis ad artus male firmos confirmandos adhibitis ad loc. SVETONII rec. Amſtel. 8 mai.

Eiusd. exercit. altera ad quendam SVETONII locum in vita AVGVSTI de remedio habenarum atque arundinum etc. Frf. ad Moen. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſpecificorum ſic dictorum remediorum dubia fide et ambiguo effectu, Reſp. *Io. Iac. Klunge*, Viteb. 4.

CASPAR FRIDERIC. VALENTINI aſthmatis pathologica conſideratio, Kiliae, 4.

VRBANI DE VANDENESSE quaeſt. med: an aeſtate, ſanitatis tutela balneum in flumine? Reſp. *Io. Baptiſt Thurant*, Paris, 4.

ABRAH. VATER Diſſ. de phoſphori loco medicinae aſſumti virtute medica aliquot caſibus ſingularibus confirmata, Reſp. *Io. Gabriel Mentzius*, Viteb. 4.

Eiusd. Pr. de olei oliuarum efficacia et virtute aduerſus morſum animalium venenatorum caſu ſingulari confirmata, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de praeiudiciorum in medicina noxis, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de cauſis et effectis plethorae, Reſp. *Chriſtian Paeđken*, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de hypotheſium in phyſicis et medicis noxis, ibid. 4.

Eiusd. Pr. de vitrioli eiusque ſulphuris et tincturae indole atque praeſtantia, ibid. 4.

ABRAH. VATERI memoria a Rectore academiae Vitebergenſis D. W. TRILLERO commendata, Viteb. fol.

LVDOV. ALEXAND. VIEILARD quaeſt. med: an menſtrua purgatio in lactantibus noxia? Reſp. *Carol. Gillot*, Paris, 4 mai.

Traité des maladies des os par Mr. DV VERNEY, Tom. I. II. a Paris, 12 mai.

RVDOLPH AVGVSTIN VOGEL *mediciniſche Bibliothec, darinnen von denen neueſten zur Arzney-Gelahrheit gehörigen Büchern Nachricht gegeben wird, 1ſtes bis 7tes Stück, Erfurth*, 8.

IO. GOTTSCHALCK WALLERIVS *Hydrologie, oder Waſſerreich nebſt einer Anleitung zur Anſtellung der Waſſerproben, wie auch deſſen Gedancken von Dennemarcks Geſundbrunnen, überſetzt von* IO. DANIEL DENSO, *Berlin*, 8. c. f.

10.

IO. GOTTSCHALCK WALLERIVS ſpecimen acad. de principiis vegetationis primum, Reſp. *Iacob Stenius*, Holmiae, 4.

Eiusd. *Bref om Chemiens raetta beſkaffenhet nytta och waerde Til. N. N. oeswerhaendt och of honom til trycket befordradt, Stockholm och Vpſala*, 8.

WALTERS *mediciniſch und oeconomiſche Abhandlung vom Butter und deſſen vielfältigen Gebrauch und Nutzen, verſehen mit einer Vorrede von D*, MATTHIA GEORGE PFANN *von dem Nutzen der Milch bey einigen durch den ſchädlichen Gebrauch gewiſſer giftiger Arzneyen verunglückten Perſonen*, *Erlangen*, 8.

IO. WILH. WERNER Diſſ. de medicina forenſi praeter differentiam vulnera in abſolute lethalia et per accidens diſtinguentem nullam prorſus agnoſcente, Reſp. *David Schulzus*, Regiomont. 4.

Eiusd. exercitatio academica ad rationem variolarum ill. D. IO. GODOFR. DE HAHN, qua fundamenti loco ſuppoſitae quaedam doctrinae modeſte examinantur, Regiom. 4.

A hymen to the Nymph of Briſtol ſpring, by Mr. WILLIAM WHITEHEAD, Lond. 4,

An eſſay on the vital and other involuntary motions of animals, by ROBERT WHYTT, Edinburg, 8.

BARBARA WIDMANNIN *Anweiſung chriſtlicher Hebammen*, rec. *Augſpurg*, 8.

IO. PHIL. LAVR. WITHOFF de aegidio corbolienſi comment. Duisburg, 4.

OLAI WORMII et ad eum doctorum virorum epiſtolae medici, anatomici, botanici, phyſici et hiſtorici argumenti etc. Tom. II. Haffniae, 8.

IO. IAC. WOYTS Gazophylacium medico phyſicum, *oder Schatzkammer mediciniſch und natürlicher Dinge*, *nebſt Hrn. D.* Ioh. Ernſt Hebenſtreits *Verſuch eines mediciniſchen Wörter-Buchs*, *Leipzig*, 4 mai. c. f.

RVDOLPH. ZAPFII ſynopſis obſeruationum medicarum de ſelectiorum medicamentorum viribus, c. hiſtoria et curat. anginae 1745. et 46. epidemicae, acc. obſ. med. PHIL. LVD. DE PRESSEVX de aquis ſpadanis, L. B. 8.

IOHANNA CHARLOTTA ZIEGLERIN *Grundrieſs einer natürlichen Hiſtorie und eigentlichen Naturlehre für das Frauenzimmer, Halle*, 8. c. f.

IO. GEORGE ZIMMERMANN Diſſ. de irritabilitate, Goett. 4.

IO. ADAM FRIDERIC. ZOBEL Diſſ. de modo agendi atque effectu veſicatoriorum in corpore humano, Argentor. 4.

Con-

Contenta in hac parte:

1. MEAD monita et praecepta medica p. 555
2. CONNEL Diſſ. de optima tutiſſimaque luem veneream extirpandi ratione p. 565
3. LVRSENIVS de cortice peruuiano p. 566
4. PLAZ organicarum in plantis partium hiſtoria phyſiologica p. 568
5. Acta ſocietatis regiae ſcientiarum Vpſalienſis ab anno 1744 - 50 p. 471
6. LINNAEI Diſſ. de plantis hybridis p. 581
7. BOHADSCH de veris ſepiarum ouis p. 585
8. WHYTT eſſay on the vital motions of animals p. 589
9. BOYER an pharyngis muſculi ipſum dilatent conſtringantue p. 602
10. BERCHER an noſtris in regionibus a potu glaciali abſtinendum p. 603
11. CANTWEL an ſex rerum non naturalium effectus ad quatuor reduci poſſint capita p. 605
12. CLEGHORN obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca p. 607
13. BARTRAM obſervations on the inhabitants etc. in Canada p. 616
14. BOEHMERI inſtitutiones oſteologicae p. 618
15. *Hamburgiſches Magazin VII. Band* p. 624
16. *Oeconomiſch-phyſicaliſche Abandlungen 2 Theil* p. 633
17. DV VERNEY traité des maladies des os p. 640
18. HAHN Diſſ. de efficacia mixtionis in mutandis corporum voluminibus p. 648
19. HAMBERGERI phyſiologia medica p. 656
20. Philoſophical tranſactions no. 494 - 496. p. 681
21. Noua medica 710
22. Continuatio indicis ſcriptorum - medico - phyſicorum an. 1751. p. 716

IN-

INDEX.

A.

Abietis cultura 428
Abſceſſus muſculorum abdominis 459. ventriculi 690. meſenterii diarrhoea purulenta ſolutus 459. 460
Abſorbentium medicamentorum natura 264
Accardium 181
Acida cur metalla ſolvant 225
Acrimonia nitroſa in humoribus corporis humani 119
Aer elaſticus num inter pleuram et pulmones 683. eius vſus in nutritione 509. in plantarum vegetatione 329. motus in fodinis 226. corruptus in navibus 32. eius correctio 33. vis elaſtica 223. 224. 227. 228.
Albinus, Chriſt. Bern. mortuus 530
Amboinenſe herbarium 175
Amnii liquor 93. 680
Anabaſis, planta 135
Anatomica opuſcula 189. obſeruationes 232
Androſace, plantae genus 478
Angina epidemica 494. 495. pariſienſis 91. maligna 281 in ea an emeticum 92
Anglicana ſocietas chirurgorum claſſicorum 607. 608. eiusdem ſcientiarum concilium 526
Animalis regni materia medica 263. 264. animalium brutorum nutritio a ſale communi 3
Antherarum pulvis et vſus controuerſus 225. 256. 257
Antimonii crudi vſus 109. 110. vitrum ceratum 273. eiusdem vſus 274
Apes vegetabilium incrementum iuuant 704. quo modo ceram atque mel colligant 703 ſqq. ipſarum foeces dant ceram 705
Apotheoſis electrica 687
Aqua vegetabilium nutrimentum 120. calidae in aere frigidiori euaporatio 221. cur ſalia ſolvat 225. marina cur ſalſa 245. aquae picis liquidae vſus in ſcirrho et cancro curando 139. aquae ſtagnantes morborum cauſae 283. 284. ſaponaceae plomberianae 277. ſqq. purgantium anglicarum examen 694
Arboris petrefactae hiſtoria 523. 524. arborum vulnera coalita 293 ſqq. circuli lignei 439. corticis regeneratio 294. autumno florentes 261
Arenae diuiſio 429
Argentoratenſis academiae profeſſores et doctores medicinae 334. 335.
Argentum depurandi methodus 387
Arſenici diſquiſitio chemica 288 ſqq. eius actio in nitrum 289
Arteriarum euolutio 207. 209.

209. ſtructura 8. brachialis diuiſio 78
Arundinum atque habenarum remedii diiudicatio 69. 70
Aſcitis ſedes 561
Aſparagi incrementum accelerandum 424
Aſthma pneumodes 412
Auguſti, Octav. morbus 64-69
Aurora auſtralis 682. borealis 685. 696. 700
Avium origo 11. diſpoſitio methodica 52-58. hiſtoria 49. aues erraticae 59. migratoriae ibid.

B.

Bacca 197
Barometricae ſcalae conſtructio 390
Bartram, John, obſervations on the inhabitanes, climate, ſoil, rivers, productions, animals, and other matters worthy of notice 616
Beatificatio electrica 687
Been nucis deſcriptio 107. eius vis et vſus 108. oleum ibid.
Beguelin, noua methodus ope flammae lampadis excludendi pullos 140
Belladonnae vis 384
Bercher, Petr. an noſtris in regionibus a potu glaciali abſtinendum 603
Bergen, Car. flora francofurtana 102
Berger, Joh. Juſt. archiater factus 153
Bermudiana, plantae ſpecies 486. 487
Berolinenſis academiae ſcientiarum theſes et praemia conſtituta 148. 149. ſcholae obſtetriciae fundatio 151
Betula nana 455
Bianchini Jo. Fort. lettere all' indole delle febbri maligne 237
Bilis ſecretio 672
Birch, Thom. londinenſis ſocietatis ſecretarius factus 338
Boehmer, Phil. Ad. inſtitutiones oſteologicae 618
Boehmer, Joh. Benj. calli oſſium e rubiae tinctorum radicis paſtu deſcriptio 521. de radicis rubiae tinctorum effectu in corpore animali 519
Boehmer, Ge. Rud. profeſſor medicinae Vitebergenſis factus 526
Boerhaave, Herm. methodus ſtudii medici 315
Bohadſch, Jo. Bapt. de veris ſepiarum ovis 585
Bononienſis lapidis diſquiſitio chemica 394. 395
Boracis diſquiſitio chemica 36. partes conſtituentes 265. acidum dubium 26
Botanica philoſophia 192. botanicorum methodicorum recenſio 193. 194. regulae 200
Boulland, Touſan. Gilb. an anginae catarrhoſae emeticum 91
Bouſſac, de progreſſu et vſu vrachi 123
Boyer, Joh. Bapt. an pharyngis muſculi ipſum dilatent conſtringantue 602

Bradley, londinenſis ſocietatis membrum factus 358
Brónchialia vaſa 23
Bruckmann, Urb. Frid. Bened. proſector in theatro anatomico brunſuicenſi 337
Brunſuicenſis collegii anatomici chirurgici membra 525
Burdigalenſis academiae theſes et praemia conſtit. 149

C.

Cadogan, Guil. londinenſis regiae ſcientiarum ſocius factus 715
Calcis vivae proprietates 292
Calculi in corpore animali cauſa 253. humanus praegrandis 709. in palato geniti hiſtoria 252
Calli oſſium e rubiae tinctorum radicis paſtu deſcriptio 521. oſſium fractorum impedimentum a graviditate 689. geneſis 647. 648
Caloris quantitas poſt miſcelam fluidorum 220. incrementum et decrementum 220. 221. caloris et frigoris cauſa 222
Calyx 196
Cancri ſpecificum 334. occulti mammarum ſigna 138. curatio 138. 139
Cantwel, And. an ſex rerum non naturalium effectus ad quatuor praecipua reduci poſſint capita? 605
Capodes aves 180
Carebaria 514
Cartilago cricoidea 22
Caſſia, plantae ſpecies 488
Catalepſis 414 ſqq.
Caulis 194
Ceraſtes 577
Cerebri diſquiſitio 46. 47. in eodem ſecretio 669. eius motus duplex 8. 9. 10. cerebrum morboſum 232. 233. idem in foetu 12
Cereuiſiam coquendi ratio 422. 425.
Ceruus camelopardalis 574
Chemiae diuiſio 418. vtilitas 419. 420
Cheſelden, Guil. obiit 531
Chicoyneau, Franc. obiit 531
Chinae corticis vſus 567. eius vſus cum rhabarbaro 559
Chirurgicae inſtitut. 314
Chyli color 675. ſapor ib. cum ſanguine mixtio 676
Ciconiarum hybernacula 60
Cimicifuga planta 136
Cleghorn, Ge. obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca 607
Clyſteribus nutrientibus aegra diu ſeruata 691
Cobalti minera in gallia iuuenta 27
Coecum inteſtinum 493
Coerulei coloris ratio 45. parandi methodus 89. pruſſici praeparatio 43
Coldenhamienſes plantae 580
Coluber cornutus 576. 577
Conceptio 679
Conchylium ſingulare 308
Conell, Conall. tutiſſima luem veneream radicitus extirpandi methodus 565. de operatione caeſarea in partu deſperato 565
Cor pericardio deſtitutum 12. eius

eius actio 660. contractio 507. vis 507. 508. motus a ſanguine 592. 593. vaſorum mira diſpoſitio 12. inuerſum 11. 12
Corallii rubri deſcriptio 481. 482
Coriariae vis 384
Corolla 196
Corporis humani contemplatio phyſiologica 182 ſeqq. elementa 184. natura 251. vires 185. corporum formatio 124. fluidis ſubmerſorum pondus 20. 21. naturalium conſeruatio in liquoribus ſpirituoſis 302 ſeqq.
Corpuſculorum diaphanorum in plantis uſus 133
Corticis regeneratio in arboribus 294
Cryſtallus islandica 309
Culmus 194
Cutanea reſorptio 671
Cuticulae fibrae tendinoſae 77
Cyprini ſpecies 578. 579

D.

Deſpreaux, Car. Franc. Bont. an diu poſſit homo ſine cibo potuque et viuere et valere 121
Diaeta corporis humani calida 631. 632
Diarrhoea puerperis fatalis 282. in variolis 98. 99
Digeſtio 675. huius organorum actio 594
Docimaſia ſine igne 470
Dresdenſis collegii medico chirurgici directores et doctores 711
Drupa 197
Dudleienſis foſſilis deſcriptio 709
Dutoy, Franc. Ioſ. de prognoſi in febribus acutis 497
Duverney, traité des maladies des os 640
Dyſenteria vitro antimonii cerati curata 273

E.

Electricitatis agendi ratio 113. communicatio 301. effectus in corpore humano 113. phaenomena noua 269. uſus in rheumatismo 571. 572. huius ope odores non tranſeunt vitri poros 686. 688. ipſa quos morbos ſanauerit 112. per eandem remedia applicata 112. 113. hemiplegia curanda 114
Electricae materiae proprietates 28
Emeticum in angina 92
Equi cur vomere nequeant? 271
Eruca vitis 17. erucarum maiorum ſalicis deſcriptio 41
Eſchenbach, Chriſt. Ehrenfr. *anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Körpers* 75
Exegeſis nominum graecorum quae morbos definiunt 378

F.

Falconum inſtinctus naturalis ſenſuumque perturbatio 81
Fames 676
Farina mineralis auerſtadienſis 82

Febris

Febris apoplecticae tertianae caſus ſingularis 74. 75. febrium acutarum prognoſis 498. 499. diuerſarum remedia 558. 559. malignarum cura 240
Febrifugus puluis 559
Fellis vitri natura 126. uſus 127. cum eo experimenta facta 629. 630
Ferrum natiuum 629. 630.
Ferulae veterum chirurgorum 69
Fiſcherus, Chriſt. Gabr. mortuus 529
Flamma ignis petrefacta 85
Flora francofurtana 102
Florum diuiſio 197. 198. flos ringens 196
Foetus in utero ſtatus 92. membranae 93. vaſa ibid. hydropicus ibid. foetuum deformatorum cauſae 367. 368
Folia 195. horum ortus 439
Formicarum acidum 391. 392. oleum expreſſum 391. congregatarum obſeruatio 392. 393
Foſſilia Galliae et Angliae 298. 299
Fothergill, Ioh. of the ſore throat with ulcers 493
Frensdorf, profeſſor Rintelenſis factus 152
Frons plantae 195
Fructuum ortus 440
Fructificatio 196
Frumentorum multiplicatio 446. contra eorundem curculiones remedium 430
Fulcra plantae 195
Fungus peculiaris 454. permagnus 486. ſingularis deſcriptio 85. 86. ut ſtipticum in haemorrhagia 144. eorum generatio 389. corpora diaphana 132
Fulica 575

G.

Galli criſtae anatome 297
Gangliorum neruorum utilitas 400. 401
Gemmarum in plantis conſideratio 437
Genitalium deformatio 229
Geoffroi, Claud. Ioſeph. mortuus 530
Geſnerus, Ioh. academiae Berolinenſis ſocius factus 152
Gianella, Carol. profeſſor medicinae in uniuerſitate Patauina factus 715
Glandularum officium 670. folliculoſae cauae 77. ſupra renales variolarum cauſae 95. earundem humoris in foetu uſus 124
Gmelin, Phil. Frid. ſpecificum contra morſum canis rabidi 61
Goettingenſis academiae doctores e profeſſores medicinae 335. 336. ſocietatis ſcientiarum theſes propoſitae et praemia conſtituta 150. 528
Gorter, Ioh. praxis medicae ſyſtema 115
Grauiditas calli oſſium fractorum impedimentum 689
Grauitas mixti ſpecifica 651. partium corporis diuerſa 668
Gronouius, Ioh. Frid. index

dex ſupellectilis lapideae 37
Guettarda, plantarum genus 381
Gunz, Iuſt. God. de ſuffuſionis natura et curatione 321
Guttae ſerenae medela 563

H.

Habenarum atque arundinum remedium 69. 70
Hahn, Ioh. God. hiſtoria podagrae cardinalis comitis a Sinzendorf 203. variolarum ratio expoſita 205
Hahn, Ioh. Dav. de efficacia mixtionis in mutandis corporum voluminibus 648
Haller, Albert. academiae chirurgorum pariſienſis membrum factus 527
Eiusd. obſeruationes medicae practicae 74. opuſcula anatomica 189. Hermanni Boerhaaue methodus ſtudii medici 315. primae lineae phyſiologiae 506
Hamberger, Ge. Erh. phyſiologia medica 656 ſeqq.
Hamburgiſches Magazin Vter Band 80. *VIter Band* 244. *VIIter Band* 624
Hanouerana conſtitutio medica 151
Haſſelquiſt, Frid. obiit 530
Hebenſtreit, Ioh. Ernſt. exegeſis nominum graecorum, quae morbos definiunt 378. anthropologia forenſis 365
Heckers, Petr. de carebaria 514
Heiſter, Laurent. inſtitutiones chirurgicae 314. de nuce Been 106
Hellot, de la fonte des mines et des fonderies 213
Helvetica acta phyſico mathematico botanico medica 448
Hemiplegia per electricitatem curanda 114
Herba 194
Hermaphroditus ouillus 228. 229. veri an dentur 228
Hirundinum diuiſio 60. ſtationes hybernae 59
Hiſtoire de l'academie royale des ſciences à Paris année 1746, 267. a Berlin année 1748, 124. an. 1749 385
Hoffmann, Dan. mortuus 531
Hominis natura quintuplex 183
Huber, Ioh. Iac. londinenſis regiae ſcientiarum ſocietis ſocius factus 715
Hybernaculum pars plantae 195
Hybridae plantae 582. ſeqq.
Hydrargyri in vermes actio 242. in febribus malignis uſus 237. 241
Hydrocephalus cum defectu caluariae 448. 449
Hydrophobia in equo obſeruata 697
Hydrops peritonaei 454. 455

I.

Iallabert, academiae berolinenſis ſocius 338
Ienenſis academiae profeſſores et doctores medicinae 710
Indiae diuiſio 177
Inediam animalia varia cur tolerent 122. 123
Iniectio anatomica vaſorum in viſceribus 123

Inſaniae cauſa 560
Inſectum petrefactum 709
Inſitionis ratio in animalia 296. in plantas 294. 296
Inundatio a cataracta 687. an nebularum effectus 431
Irritabilitas partium 511. 512
Iſatidis cultura et praeparatio 517
Iuncker, Ioh. de antimonii crudi uſu interno 109
Iuſſieu, Bern. an minor in foetu quam adulto partium ſolidarum abraſio 515
K.
Kamſchatcenſes plantae 134
Klein, Iac. Theod. hiſtoria auium 49. quadrupedum diſpoſitio breuisque hiſtoria naturalis 461
L.
Lac medicatum 559
Lacerta aquatica viua per aluum reddita 451
Languedociae corpora naturalia 308-310
Lapis ſphaeroides lineis interdiſtinctus 703. 710. calcarei diſquiſitio 292. 293. ſteatites deſcriptio 406. 407. pirnenſis differentiae 248. lapidum geneſis et incrementum 87. 88. claſſes 310. 311. duritiés 310
Lapideae ſupellectilis index 73
Laryngis muſculi 22
Laurus vulgaris 458
Leidenſis pharmacopoea 495
Libella penſyluanica 682. 690
Lien magnus, morbus 564
Linnaeus, Car. de plantis rarioribus Kamſchatcenſibus 134. de materia medica in regno animali 263. de nouis plantarum generibus 499. de plantis hybridis 581
Lipſienſis uniuerſitatis profeſſores et doctores medicinae 146. 147
Liquorum diuerſorum mixtio 652
Lithodendrorum ortus 181
Lucentes ſtriae et punctula in veſte 268
Luem veneream curandi methodus 565
Lugduno Batavae academiae profeſſores medicinae 525
Lumbricus ex abſceſſu muſculorum abdominis 459
Lunariae ſpecies 235 236
Lunae cornuae reductio 388
Lurſenius, Philipp. Silv. de cortice peruuiano 566
Lycoperdon apertura elaſtica radice ſtellata 87
M.
Madriti florentis medicorum ſocietatis theſes et praemia conſtituta 336
Magiſtratus cura ratione aeris et victus 370. 371. in peſte 374. 375. pro gratuidis. 367. 368. de naſcentium vita 368. 369. in mortuos 377
Magnetis actio 29. vires 488
Manetti, Xaver. viridarium florentinum 329
Mannae collectio 696
Maſticatio 675
Mauchart, Burgh. Dav. vita 531-537
Mayer, Andr. holmienſis academiae regiae ſcientiarum ſocius factus 715
Mead, Rich. monita et praecepta medica 555

Mediaſti-

Mediaſtinum in variis corporis locis 23
Medicamentorum abſorbentium natura 264
Medicina forenſis 365. ſqq.
Medici ſtudii methodus 315
Memoires préſentés à l'academie royale des ſciences de paris 1750 1
Menſtruorum chymicorum actio 725
Mentis actio 599. 600. alienatio 120
Mercurius vid. Hydrargyrus, eius in aere deſcenſus 227
Meſenterii abſceſſus diarrhoea purulenta ſolutus 459
Metallorum transmutatio 627. 628. gravitates ſpecificae 654
Metallica otia 469
Meteoron globi ignei in mari diſploſi 687
Meteorologicæ obſervationes 219
Mettrie, Jul. Offrai, mortuus 154
Mictus cruentus cum veſica calloſa 449. 450
Mimoſa plantae ſpecies 572
Mineralium diſquiſitio unde petenda 405
Minorcae inſulae ſolum 611. tempeſtas 610. plantae 612. incolae 613. morbi 613. 614. 615.
Mixtio volumina corporum mutans 649. ſqq.
Model, Joh. Ge. *Abhandl. vom Beſtandtheilen des Baracis* 265
Monſtrum ſine ſexus ſigno 698
Morand, Joh. Franciſc. Clemens, vtrum in corpore humano fluidarum tantum partium deperditio et reparatio 514
Morbillorum cauſae 95. 101. curatio ibid. ſymptomata ibid.
Morbus 250. lethalis 252. eius ſedes 250. ſtrangulatorii deſcriptio 693. morborum diuiſio 116-118. 250. 251. de his meditationes generales 250 ſqq. 259 ſqq. in his naturae inſtinctus 626. epidemicorum pariſienſium hiſtoria 280-282. oſſium 641 ſqq.
Mors hominis 188. phyſica 252
Morſus canis rabidi et contra eum remedium 62
Mortimer, Cromwell, mortuus 338
Moſchi virtus 62. 63
Mucor viridis in ligno 683
Muller, Gerh. Andr. Giſſam vocatus 152
Mus aegyptius 574. alpinus 60
Muſculorum actio 678. rectorum abdominalium interſectiones tendineae 30. intercoſtales interni num elevent coſtas 682. laryngis 22. muſculus geminus ſterni 492

N.

Nanceienſium medicorum, collegium fundatum 711. eiusdem ſocii 714. 715
Nani deſcriptio 695
Naturae inſtinctus in morbis 626
Nautili deſcriptio 502-505
Nectarium 196
Neruorum actio 186. noui ganglii deſcriptio 399. 400

Niccolinia plantarum genus 380
Niduli eſculenti 180
Nodi plantarum 435
Nonnaturalium rerum effectus 605. 606
Nutritio et incrementum corporis humani 673. 674. in fluidis tantum 515

O.

Obſeruationes botanico meteorologicae 272. lithologicae 307. medicae 269 practicae et forenſes 312. anatomicae et chirurgicae Vateri recenſentur 72. in Canada factae 274
Obſtetriciae ſcholae berolinenſis fundatio 151
Oculi inueſtigatio 322. corona ciliaris ibid. ligamentum circulare ibid.
Odor 677
Oeconomiſche Nachrichten II Band 421
Oeconomiſch phyſicaliſche Abhandlungen I Theil 434. *II Theil* 633
Oeder, Ge. Chriſt. goettingenſis regiae ſcientiarum ſocietatis correſpondens nominatus 716
Olei uſus in vegetatione plantarum 328. 329. oleorum inſpiſſatio 304
Opah piſcis 701
Operatio caeſarea 565
Opoſſum animal 268
Oreoſelini analyſis chemica 243. vires ibid.
Oſſium geneſis 76. natura 620. articulationes 623. 624. ſyntaxis 76. fiſſura in longitudinem 645. morborum genera 644. cauſae ibid. de iis obſeruationes 621-623
Oſteocollae origo 130. cum ea experimenta chemica facta 131. 132. marchica brandenburgica 129. ſpuria 130
Oſteologicae inſtitution. 618
Ouium phthyſeos medicina prophylactica 428

P.

Palmae oleum 325. 326. dactiliferae foecundatio 401. 402
Paracenteſin in hydrope inſtituendi enchireſis 562
Pariſienſis academiae chirurgorum theſis et praemium conſtitutum 527
Partus hybridus 581
Payen, Car. an mente motis multum ſanguinis detrahere conducat 120
Pecorum color 639
Pediculi piſcium 580
Pedunculus 194
Penis erectio 679
Penthorum, plantarum genus 573
Percae ſpecies 579
Pericardium cum corde concretum 233
Pericarpium 197
Perſicariae ſpecies 234
Perſpiratio 671. de ea experimenta 18. 19
Peruuianus cortex putredinem arcet 703
Peſtis boum circa Lipſiam 376
Petiolus 195
Petit, Ioh. Lud. vita 155 ſqq.
Petropolitanae academiae fundatio et incrementum 217. 218. commentariorum tom. XI. XII 485. nouorum commentariorum tom.

tom. I. 217. theſes et praemia conſtituta 148
Pfann, Matth. Ge. *Sammlung gerichtlicher und practiſcher Fälle* 312
Pharingis muſculorum actio 602
Philoſophical transactions no. 494. 495. 496. 681
Phyſiologia generalis 183. medica 656 ſqq.
Phytolaccae virtus 334
Pilorum incrementum 77
Pirnenſis montis deſcriptio 248. 249
Piſtillum floris 96
Plantanimalium diſtinctio 482. 483
Plantarum odor a cultura varius 6. habitus 199. nodi 435. ſtructura ex vegetatione declarata 434 ſqq. corpuſcula diaphana 133. vegetatio in muſco 33. 34. in ſpongia marina 34. 35. genera noua 499 ſqq. ſyſtema a ſtaminibus ſumtum 402. 403. marinarum methodus 476 - 478. rariorum deſcriptiones 234. degeneratio 633. 634. paraſiticarum nutritio, ſtructura et cohaeſio 285 - 287
Platina novum ſemimetallum 708. ab auro ſeparanda ibid.
Plaz. Ant. Guil. organicarum in plantis partium hiſtoria phyſiologica 568
Pleuritis epidemica 282
Pocgerebae corticis vſus 145
Podagrae hiſtoria 203
Polyparorum diſquiſitio methodica 479 480. 481
Polypus faucium et oeſophagi 456
Pomum 197
Potus glacialis noxa 603. 604
Pott, Ioh. Heinr. *Fortſetzung der* Lithogeognoſie 404
Pragenſis vniuerſitatis profeſſores et doctores medicinae 145
Praecipitationis variae disquiſitio 7. 8.
Propago plantae 197
Pſeudogalena ſcharffenbergenſis lucens 83. 84. 88.
Pullos excludendi methodus 140 396 - 398
Pulmonum actio 509. 510. cohaeſio ad vertebras dorſi 78
Pulſuum varietas 508
Putredini quae reſiſtant 698. 701. 706. eandem quae accelerant 706
Putrefacta corpora alcali in ſe habent valde abſconditum 698
Pyraux traité de la pharmacie moderne 473

Q.

Quadrio, Gueſ. Mar. methodo per curare il canchero coperto 137
Quadrupedum animalium caracter naturalis 50. diuiſio ib. ordines 462 ſqq.
Quelmalz, Sam. Theod. de oleo palmae, materia iniectionibus anatomicis aptiſſima 325
Quesnay, londinenſis regiae ſcientiarum ſocietatis ſocius factus 715

R.

Radix 194. earum vegetatio 442 443. rubiae congenerum effectus in oſſibus 275 276. 277

Ren unicus 24. renes ſuccenturiati in puero 493
Reſeda flore odorato 5
Reſinoſa reſiſtunt putredini 700. 702
Reſorptio cutanea 671
Reſpiratio 597. 598. 665. eius deſiderium in foetu 598
Rheum ſinenſe 179
Richter, Ioh. Chriſt. vita 153
Riſus involuntarius cum purpura 453. 454
Riviere, Raym. an in morbis melancholicis purgatio per inferiora 90
Roederer, Ioh. Ge. de foetu perfecto 92. profeſſor goettingenſis factus 152
Ros feminum melleus 635
Rubiae radicis tinctorum effectus varii 520. 521. in corpore animali 519 ſqq. in callo oſſium 522. radices ipſi effectu congeneres 275-277
Rudelſtadii ſcholae anatomicae apertae 336. 337
Rumphius, Ge. Everh. herbarium amboinenſe 175

S.

Salis in vegetatione plantarum vſus 328. in nutritione animalium brutorum 3. ſedativi praeparatio 25-27. medium ſingulare 247. arſenicale 289. alcali fixum minerale 266. alcali volatile dat antiſepticum remedium 699. putredinem impediunt volatilia 699. alcalina magis ac acida 702. alcalina fixa 699. Salium fodinae polonicae 244-246. in fodinis geneſis 244. 245. voluminis decrementum 656
Salivatio in variolis 99
Salviae ſpecies 235
Sanitas 250. 260
Sanguinis partes conſtituentes 659. motus 662. 663. ab arteriae ſtructura interna pendens 4. 5. celeritas 663. mutatio in pulmonibus 664. in variolis miſſi natura 100
Sapor 676
Scapus 194
Scabioſa plantae ſpecies 573
Scheuchzeria plantae genus 458
Schlutter, Chriſt. Andr. ars docimaſtica ab Helloto translata 213
Schmidelius, Caſim. Chriſt. de oreoſelino 242
Schreber, Dan. Gottfr. *Beſchreibung des Waidts* 576
Scincus 577
Scirrhorum in mammis cauſae 138. ortus ibid.
Scolopendrae ſpecies 42
Scombri ſpecies 579
Scriptorum phyſico-medicorum index anni 1750. 159. 350. 538, 539. index anni 1751. 542. 716
Secale fruteſcens ex Wallachia 422. cornuti ortus 634. 635.
Secretionis ratio 666
Seguieria plantarum genus 381
Seminis humani viae 684. vaſa efferentia ibid. ſecretio 671. natura 441. Semen plantae 197. ipſorum degeneratio 442.
Senac Petr. archiater regis galliae 531
Senſationis modus 676
Sepiae ſpecies 578. iuli gelatinoſi 586. oua 586-588
Silicis artificialis formatio 292
Sloane, Ioh. ſocietatis ſcientiarum goettingenſis membrum 527
Soda 267
Spelunca glacialis prope Veſontium 19. 20
Springsfeld, Gottl. Carl. de loco quodam Suetonii 65. academiae berolinenſis ſocius electus 152
Stamen 196
Steatites lapidis deſcriptio 406. 407
Stigma 196
Stipes 195

Stoma-

Stomachica paſſio 413
Strumarum diſquiſitio 15
Stylus 196
Succus lapideſcens 309. Succorum in plantis motus 439
Suetonii locus illuſtratus 63 ſqq.
Suffocatio a ſemine phaſeoli 452. 453
Suffuſio vid. gutta ſerena, eiusdem deſcriptio et genera 321
Surdus loquens 143. 144
Swieten Gerhard. academiae chirurgorum pariſienſis ſocius electus 151
T.
Taenia vermis 241. deſcriptio 38. 39
Talci deſcriptio 408
Tarin, Petr. adverſaria anatomica 46
Tartari ſal neutra ſalia praecipitat 6. 7
Temperamentorum varietas a diverſitate nervorum 187
Tendines digitorum numero aucti 492
Terebinthinae vſus in podagra 204. phaenomena in ſaliva 205
Terra agrorum ſterilis 426. 427. eius fertilitas a ſale 2. a terrarum miſcela 385. 387. examen chemicum 386. 387
Teſticuli humani vaſa 684
Tetanus maxillae inferioris 456. 457
Thalictri ſpecies 236
Thermae carolinae 202
Thermometri florentini correctio 447
Thlaſpi remedium contra frumenti curculiones 430
Thymi et glandularum ſuprarenalium humoris in foetu vſus 124
Thyroideae glandulae ſtructura 13-15. vſus 16. lobi 22
Tilling, Ioh. Chriſt. obſeruationes medicae de thermis carolinis 202
Tophus Longoſaliſſenſis 754
Tracheae plantarum 438
Trew Chriſt. Iac. plantae ſelectae 330-333
Tribulus aquaticus 445
Triller, Dan. Wilh. de arundinibus atque habenis veterum chirurgorum 63. remedii arundinum atque habenarum vindiciae 67
Trunci ſpecies 194
Tubi capillares priſmatici 490. plumbo immiſſi 489. coeleſtes tractandi methodus 227
Turdus ſolitarius 575
Turfum Longoſaliſſenſe 754
V.
Variolarum definitio 206. cum plantarum gemmis comparatio 208. origo 95. cauſae 95. 211. febris 97. pus ſuccus laudabilis 208. medendi ratio 97. regimen ib. eaedem ſine morbo 208. 211. malignae 99. confluentium ratio 210. contra cicatrices remedium 100. 109
Vaſa corporis ſanguifera 661. 662. praeparata conſeruandi methodus 128. 129. ipſorum anaſtomoſis in animalium cicatricibus 296. in plantarum ramis 296. in plantis ortus 438. longitudo 436. ſuccifera 435
Vater, Abr. muſeum anatomicum 70. vita & ſcripta 339 ſqq. mors 154
Vegetabilis ſpiritus 637. 638
Vegetabilium incrementum ab apibus 704. nutritio ab aqua 327. diſpoſitio unde petenda 199. familiae 194. aromatica coercent putredinem 702
Vegetationis plantarum cauſae 637. 638. principia 326. 327
Vena azygos trunco duplici 492. cauae morbus 410. 411. 412. duplex aſcendens 491. iugularis externa duplex et quadruplex 491. portarum ſanguis 672
Venaeſectio in melancholicis 120
Ventorum obſeruatio 485
Ventriculi morbus ſingularis 30.

30. 31. vomica 561. in equis ſtructura 270
Veratti, Ioſeph, obſeruations ſur l'electricité 111
Vermium origo 238. ſedes 238. 239. morbi 239. cucurbitinorum os et proboſcis 452. febrium malignarum cauſa 239. 240. puluis contra vermes 561
Veſicae urinariae tumor exſtirpatus 692
Violante, Philipp. de variolis et morbillis 94
Vipera aegypti 576
Viſcerum ſtructuram detegendi ratio 128. transpoſitio 24. concretiones morboſae 234
Viſus ratio 512. 595. 596. 677. imperfecti caſus ſingularis 258
Vita hominis 188. eius differentia 250. 251. 252. animalium euolutiones 206
Vitaliano, Donati, ſtoria naturale marina dell' adriatico 475
Vitaliana plantae genus 484
Vitrorum orificia muniendi modus 303 ſeqq.
Vitulos nutriendi ratio 423
Vomica ventriculi 561
Vltraiectinae academiae profeſſ. et doct. medicinae 335
Vnguium origo 77
Vnzer, Io. Aug. *philoſ. Betracht. des menſchl. Körpers* 182
Vpſalienſis academiae profeſſores 147. 148. ſocietatis regiae ſcientiarum acta anni 1744-1750. 571
Vrachus 94. eius cauitates 123
Vrinae ſecretio 672. putrefacta tantum ſal volatile continet 699
Vteri muliebris anatome 230. virgineus 231. ceruix 231. grauidus 230. excreſcentia exſtirpata 701

W.

Wahlbom, botanicus holmienſis 527
Wallerius, Ioh. Gottſch. *om chemiens raetta beſkaffenhet nytta och waerde* 418. de vegetationis principiis 326
Whytt, Robert, an eſſay on the vital and other involuntary motions of animals 589
Withof, Ioh. Philipp. Laurent. goettingenſis regiae ſocietatis ſcientiarum correſpondens nominatus 716

Z.

Zinn, Ioh. Godofr. goettingenſis regiae ſocietatis ſcientiarum, correſpondens nominatus 716
Zinnwaldenſes fodinae 471. 472
Zygomaticae apophyſeos fractura eiusque cura 645. 646

EMENDANDA:

Pag. 2. lin. 22. deriuatis *lege* deriuatas. p. 24. l. 2. pulmonales l. pulmonalis. p. 44. l. 27. ioco l. loco. p. 171. l. 7. intex l. inter. p. 261. l. 13. extraordinari l. extraordinariae. p. 268. l. 31. inſertam l. inſerta. p. 282. l. 26. diſcendentibus l. diſcedentibus. p. 284. l. 11. puridas l. putridas. p. 351. l. 25. Reſp. *Io. Beni. Roſſ.* l. *Io. Franc. Heusler.* p. 355. l. 14. Serreto l. Serveto. p. 363. l. 12. TLICHTING. l. TSCHLICHTING. p. 376. l. 35. tandum l. tandem. p. 391. l. 7. animalcularum l. animalculorum. p. 413. l. 2. anuum l. annuum. p. 418. l. 3. chemicus l. chemiens. p. 429. l. 9. *tabaco* l. *tabaco.* p. 439. l. 18. humorum l. humorem. p. 441. l. 10. oſſium l. oſſeum. p. 443. l. 11. deſcendant. l. deſcendat. p. 449. l. 20. eius modo l. eius modi. p. 539. l. 35. DRAN l. DARAN. p. 549. l. 24. BELTEN. l. BOLTEN. p. 549. l. 30. BOURDEN l. BOURDEV. p. 572. l. 20. NOLLES l. NOLLET. p. 576. l. 17. vagna l. vagina. p. 576. l. 27. albidu l. albidus. p. 583. l. 38. orto l. orta. p. 586. l. 10. nuam l. uuam. p. 645. l. 22. uns l. nus. p. 648. l. 26. HAAN l. HAHN. p. 654. l. 21. ſimilier l. ſimiliter.